



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

1. 6. 400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

XII A
MAFF

1. 6. 400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

1. 6. 400

RESPONSIONES
IOANNIS MAFFEI
CIVIS PISANI,

Sacræ Theologiæ Doctoris, Primatialis Ecclesiæ Pisanæ Canonici,

Et in Pisano Lycæo publici Physiologiæ Interpretis Ordinarij

AD ACCVSATIONES

PETRI GASSENDI

Sacræ Theologiæ Doctoris, & Cathedralis Ecclesiæ Diniensis Canonici

ADVERSVS

Aristotelem, & Aristoteleos

DICATÆ

Sereniss.mo, & Reuerendiss.mo D.D.

CARDINALI LEOPOLDO PRINCIPI AB ETRVRIA.



NON  LAEDAR.

LVCÆ, Apud Hyacinthum Pacium. M. DC. LXXIII.

De Superiorum Licentia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



SERENISS. & REVERENDISS. D.D.

CARDINALI LEOPOLDO PRINCIPI AB ETRVRIA.

IOANNES MAFFEVS PISANVS
Salutem, ac perpetuam felicitatem.



Vis neget (Sereniss. ac Reverendiss. Cardinalis Leopolde) Quis neget, Aristotelē inter Aristoteleos, quasi Solem inter Sidera prælucere? Nemo sane. Tum quia vterque suum obtinet Principatum. Tum quia sicuti Solem aliquando pati eclypsim, non est, fontem lucis ea luce destitui, quam, vtpote sibi satis intimam, aliunde non mutuatur, sed intuentium oculos, Lunari corpore interiecto, vsque adeo præpediri, vt in illud Luminare maius, Mundi oculum, diei parentem, obtutum figere nequeant, sic Aristoteleas assertiones apud nonnullos primo aspectu mendis, & erroribus quandoque scatere, non est, eas abesse à vero, sed propriæ mentis aciem, interposita prauæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

dispositionis ignorantia, ita obtundi, vt exploratissimam illarum veritatem nõ possint habere perspectam. Hunc igitur obicem e medio sublaturus, Te Serenissimum, & Reuerendissimum Cardinalem Leopoldum huius Operis Patronum præ cæteris eligendum censui, quem Studiosorum Mœcenatem amantissimum, tam claro ingenij acumine præditum, ac tot singularium virtutum splendoribus illustratum esse non ignorabam, vt sicuti Sol sui pręsentia tenebras pellit, sidera fugat, ita sub Tuis felicissimis auspicijs, hinc procul pellantur mentes, non solum densis ignorantiæ tenebris inuolutæ, sed etiã quæ nimium inflatæ, quodã eminenti veritatis lumine se gaudere opinantur. Foue igitur CARDINALIS AMPLISSIME, ac SERENISSIME PRINCEPS, tanta sapientia cumulate, vt iuxta Scitum Platonis Ciuitatibus optatam possis afferre beatitatem, foue has meas qualescumque lucubrationes ea, qua semper soles, humanitate, mihique obnixe Deum precanti, vt diu Te seruet incolumem, iugiter adesse digneris. Vale.

LE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

LECTORI.

DIu hæsi, vehementerque dubitaui (candidissime Lector) an expediret, vt sinerem, hoc opus in lucem edi, vt ab Aristotele starem contra Gassendum. Ab incepto me retrahebant acutissima quorumdam Philosophorum ingenia, quibus magis, quàm mihi omnino integrum erat huiusmodi prouinciam suscipere. Me vero ad hunc laborem alacriter subeundum, vnius veritatis amor, ne dum summopere incitabat, sed etiam totis viribus impellebat. Huic tandem obtemperandum fuit, ne accusationes Gassendi, Aristotelicæ doctrinæ præualerent; Quare, prudentissime Lector, sic velim excipias opusculum istud, vt in eo solam respicias veritatem, quæ me, vel inuitum induxit, vt aliquando permitterem, patere omnibus, quod latebat. Interea te monitum, ac rogatum velim (benignissime Lector) vt si quos errores inter legendum reperias, eos in calce huius operis emendatos legere non dedigneris. Vale.

BRE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

BREVIS PRÆFATIO
In Librum Accuſationum.

CVM Gaſſendus libro primo ſuarum exercitationũ paradoxicarum, exercitatione quarta, n. 13. aperte profiteatur, ſe in exercitatione quinta velle aggredi accuſationes aduerſus Ariſtotelem, ſeu (quod idẽ eſt) aduerſus Ariſtoteleos (Tales quippe appellantur, non niſi quia ſectantur, ac tueri nituntur, vt decet, omniſque ratio poſtulat, doctrinam, & ſententias Ariſtotelis) Ait enim Gaſſendus in calce quartæ exercitationis paradoxicæ. *Sed rem ipſam tandem aggrediamur*. Et initio exercitationis quintæ ait. *Principio, vt exordium ducamus ex organo &c.*

Propterea hinc etiam ego Ariſtotelem propugnaturus, auſpicabor, non quidem ea mente, vt omnes, & ſingulas Gaſſendi accuſationes aduerſus Ariſtotelem, & Ariſtoteleos proſequi velim, ſed ea intentione, vt illas dumtaxat expendere ſatagã, quæ ſpectant ad octo libros phyſ., ad quatuor de Cœlo, & ad tres de Anima. Neque vero iſtud meum inſtitutum admirationi eſſe debet, vel Sectatoribus Ariſtotelis, adeo vt merito conquerantur, me in vindicando Ariſtotele defeciſſe: vel Aduerſarijs eiuſdem, adeo vt glorientur, Gaſſendũ, ſaltem in alijs abijſſe immunem, atque illæſum. Omnes enim deſinent admirari, cum nouerint, me id ea potiſſimum ratione inductũ prompto animo præſtitiſſe, quia nunquam conſueui, nec vnquam par eſſe duxi mittere falcẽ in meſſem alienam. Etenim in Piſano Lycæo ex prudentiſſimo Sereniſſimi Magni Etruriæ Ducis inſtituto, ſingulis Ariſtotelis Interpretibus publica legendi munia ita præſcripta fuere, vt in eo ſint, qui Metaphycam, qui Logicam artem optime profiteantur: qui tres Phyſiologiæ partes, quas

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Extraordinarias appellant, nimirum de Generatione,& Corruptione, de Metheoris, & de Paruis naturalibus egregie, ac subtiliter exponant: nec non qui totidē eiusdem disciplinæ partes, quas Ordinarias vocant, nempe de Physico auditu, de Cœlo, & Mundo,nec non de Anima explicare teneantur, in quorum numero (licet reuera minimus omnium) ego sum, ideoque, nisi velim alieno munere fungi (quod à me procul absit) efficere non possum, quin intra tres prædictos fines, & cancellos me contineam. Nec enim parum existimabitur, me alijs exemplo præisse, quorum potius vestigia sequi, & præclara imitari facinora debuissem. Quin etiam valde vereor, & iure quidem dubito,ne quis propterea mihi vehementer succenseat, & iustam audaciæ notam inurat. Verum vtcumque sit,illud certe maximum erit,me quoad potui, de antiqua nostri Principis gloria, & auctoritate fuisse sollicitum. Sed iam opportunum est, vt accedamus ad audiendas accusationes Gassendi, à quibus volumus dissentire, ita illas meditando,vt ea, qua decet, puritate, physicas dumtaxat rationes, ad veritatem indagandam idoneas, iugiter nobis ob oculos proponamus. Vt autem recta methodo vtamur, easdem accusationes in tres præcipuas partes distribuemus.

In prima ponentur simul, quæ pertinent ad libros Physicorum.

In secunda, quæ ad libros de Cœlo, & Mundo.

In tertia, quæ ad libros de Anima.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

EGO Fr. Augustinus GarZonius S. T. M. Ord. Prædicatorum, ex ordine Reuerendiss. Vicarij Generalis, vidi Defensionem accuratam, subtilem, & profundam Doctrinæ Aristotelicæ R. D. IOANNIS MAFFEI *aduersus Petrum Gassendum iniustè Philosophũ redarguentem, & cum nihil dicat, quod non sapiat sanam, & genuinam interpretationẽ, & Catholicæ veritati conformem, iudico opus dignum esse typis mandari. In quorum fidem hæc scripsi, & propria manu subscripsi.*

Fr. Augustinus Garzonius qui supra.

Imprimatur

Flam. Nobil. Vic. Gen. Luc.

Vidit Laurentius Mansius pro Perill. Off. sup. Iurisd.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

1.6.400

PRIMÆ PARTIS

Accusatio Prima.



ASSENDVS accusat Aristotelem, quia in Physicis non assignat definitionem Physicæ, nec declarat materiam subiectam, siue proprium eius obiectum.

Maffeus dissentit, & respondet negando Aristotelem in prædictis defecisse. Ratio autem negationis desumitur ex doctrina Iacobi Zabarellæ in secundo libro de Methodis capite quarto, vbi docet scientias omnes, omnesque disciplinas, & artes à definitione auspicari, quia præceptum est Platonis in Phedro, vt de re aliqua dicere aggressuri, eius rei definitionem in primis proponamus. Ipsæ quoque scientiæ Mathematicæ à definitionibus exordiuntur. Et Galenus talem artis Medicæ definitionem proposuit: Medicina est scientia salubrium, & insalubrium, & neutrorum. Idem præcepit Aristoteles in primo libro de moribus capite septimo, & alijs in locis, quod etiam in omnibus suis libris obseruauit; librum enim de Interpretatione auspicatus est à definitione nominis, & verbi, & orationis, & enunciationis. Librum Priorum analyticorum à definitione ratiocinationis, vel syllogismi Librum Posteriorum à definitione scientiæ, ac demonstrationis. Totam scientiam naturalem à definitione naturæ, nec non ipsius corporis naturalis. Nam in secundo physicorum t. 3. affert definitionem naturæ, quæ est ratio formalis subiecti totius scientiæ naturalis, & in t. 4. definit corpus naturale, dum declarat, quid sit illud, quod habet in se naturam paulò ante definitam, adeo vt ex his facillimum sit colligere definitionem Physicæ dicendo. Physica est scientia, quæ versatur circa naturam, vel circa corpora, quæ habent naturam, idest intrinsecum principium motus, & quietis.

Materiam verò subiectam satis expressit in eodem 2. libro cap. primo, cum, facta diuisione eorum, quæ sunt, ita vt alia quidem sint natura, alia verò propter alias causas, nominat anima-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

lia, & plantas, & corpora ſimplicia, cuiuſmodi ſunt ignis, aer, terra, & aqua, vndè Ariſtoteles non eſt redarguendus.

Accuſatio Secunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia in Phyſica non addducit diuiſionem vniuerſalem, vt oſtendatur, quorſum, quomodo, aut quo ordine agendum fuerit de Cœlis, Metheoris, animantibus, & cæteris huiuſmodi, quæ ſunt phyſicæ ſpeculationis.

Maffeus diſſentit, & prius quam ad prædicta reſpondeat, animaduertit, quod, vt docet Zabarella loco citato in prima diſſentione, omnis diſciplina, cui Proemium ſit appoſitum, diuidi ſolet in Proemium, ac tractationem. Tractatio quidem præcipua eſt, imo ſola eſt neceſſaria, & eſt corpus ipſum, vt ita dicatur, illius diſciplinæ; Proemium verò non eſt ipſius diſciplinæ pars propriè dicta, nec eſt neceſſarium; cum ſine ipſo tractatio, & diſciplina integra maneat, ſed ab auctoribus apponi ſolet ad Lectoris docilitatem; ſolent enim in Proemijs proponere ipſas res conſiderandas, & etiam quandoque ordinem, quo conſiderandæ ſunt; nihil tamen ibi conſideratur, nihil tractatur, ſed vbi incipit auctor aliquid conſiderare, ibi tractato incipit, quæ à Proemio diſtinguitur, vnde patet poſſe à quauis diſciplina Proemiũ auferri, ea integra manente; cum non ob neceſſitatem, ſed propter maiorem commoditatem apponatur. Hoc itaque præaccepto iuxta ſententiam Zabarellæ, quæ veriſſima eſt

Primò reſpondet dicendo, quod quamuis Ariſtoteles illud non præſtiterit, non tamen ob id redarguendus eſt, quia, vt prædictum fuit cum Zabarella, hoc aliquando quidem fieri ſolet ab Auctoribus; non tamen ſemper; cum non ſit ſimpliciter neceſſarium.

Secundò reſpondet dicendo, quod licet Ariſtoteles illud non fecerit vniuerſaliter; attamen fecit particulariter. Nam in ſingulis fere ſuis operibus Proemium præmiſit, quo ſuam nobis intentionem aperit, & quæ dicenda ſint manifeſtat, vt ſatis conſtat ex primo phyſicorum, ex primo Cœli, ex primo de generatione, & corruptione, ex primo Metheororum, ex primo de anima, & ex principio paruorum naturalium.

Etenim primo phyſicorum ait. *Quoniam cognoſcere, ac ſcire contingit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

git circa omnes methodos, quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa, ex horum cognitione &c. Postea in fine ait. *Manifestum est, quod & ea, quæ sunt circa principia scientiæ, quæ de natura est, primum determinare tentandum.*

In primo Cœli ait. *Scientia de natura ferè plurima videtur esse circa corpora, & magnitudines, & horum passiones, atque motus, adhuc autem, & circa principia, quæ talis substantiæ sunt. Natura enim constantium hæc quidem sunt corpora, & magnitudinem; hæc verò principia eorum, quæ habent, sunt.*

In principio primi de gen. & corr. ait. *De generatione autem, & corruptione eorum, quæ natura generantur, & corrumpuntur, similiter de omnibus, & causas diuidendum, & rationes eorum determinandum. Amplius autem de alteratione, & augmentatione, quid vtrumque, & vtrum existimandum sit, eandem esse naturam generationis, & alterationis, an semotam, vt distinctum est & nominibus.*

In initio primi Metheororum toto primo capite Aristoteles ita loquitur. De primis igitur causis naturæ, & de omni motu naturali, adhuc autem de recte dispositis secundum superiorem lationem astris, & de elementis corporalibus, & quot, & quæ, & de ea, quæ ad inuicem transmutatione, & de generatione, & corruptione communi dictum est prius. Reliquum est autem huius methodi adhuc considerandum, quod omnes Priores Metheorologiam vocabant. Hæc autem sunt, quæcumque accidunt secundum naturam quidem, inordinatiorem tamen primi elementi corporum, circa locum maximè propinquum lationi astrorum, vt & de lacte, & Cometis, & ignitis, & motis imaginibus, & quæcumque ponemus vtique aeris esse communes passiones, & aquæ. Adhuc autem terræ quæcumque species, & partes, & passiones partium, ex quibus, & de flatibus, & Terremotibus considerabimus vtique causas, & de omnibus, quæ fiunt secundum motus horum, in quibus hæc quidem dubitamus; hæc autem attingimus quodammodo. Adhuc autem de fulminum casu, & vorticibus, & accensis turbinibus, & alijs circularibus, quæcunque propter congelationem accidunt passiones eorumdem horum corporum. Cum autem pertransierimus de his, speculabimur, si quod possumus secundum inductum modum dicere de animalibus, & plantis vniuersaliter, & singillatim. Ferè enim his dictis, finis vtique factus erit totius eius, quod à principio, nobis propositi.

In primo de anima ita loquitur. *Bonorum, & honorabilium notitiam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

opinantes, magis autem alteram altera, aut secundum certitudinem, aut ex eo quod & meliorum, & mirabiliorum est: propter vtraque hæc animæ historiam rationabiliter vtique in primis ponemus.

Deindè proposita vtilitate scientiæ de anima in t. 2., proponit in t. 3. ea, de quibus est verba facturus, insinuans etiam ordinem suæ tractationis, & ait. Quærimus autem in contemplari, & cognoscere naturam ipsius, & substantiam, postea quæcumque accidunt circa ipsam, quorum alia quidem propriæ passiones videntur; alia autem communes, & animalibus propter illam inesse.

In ipso initio libelli de sensu, & sensilibus inquit. Quoniam autem de anima secundum se ipsam dictum est prius, & de virtutum qualibet secundum partem ipsius, consequens est facere considerationem de animalibus, & vitam habentibus omnibus, quæ sunt propriæ, & quæ communes operationes eorum.

Ex his autem omnibus locis Aristotelis patet

Primò ipsum non defecisse in significando nobis res peculiariter, & singillatim tractandas, ac simul indicasse ordinem tractationis.

Secundò veram esse sententiam Zabarellæ dicentis, id facere non esse simpliciter, & absolute necessarium, sed positum esse in arbitrio auctoris; vnde considerantibus prædicta loca manifestum esse potest; Aristotelem variè se gessisse; nam aliquando paucioribus immoratus est in recensendis rebus, quas vult contemplari; aliquando auté pluribus, vt apparet ex primo Metheororũ, & interdũ etiam de ordine minus; interdum verò magis fuisse sollicitũ.

Tertiò accusationem Gassendi aduersus Aristotelem, è medio sublatam esse.

Accusatio Tertia.

GAssendus accusat Aristotelem, quia cum dixisset, procedendum esse à notioribus nobis adnotiora natura, & ex Analyticis, ipsoque communi sensu singularia sint notiora nobis, vniuersalia notiora natura, postea perperam infert, procedendum esse ab vniuersalibus ad singularia; cum potius deducere debuisset, procedendum esse à singularibus ad vniuersalia.

Maffeus dissentit, & respondet, quod hęc accusatio respicit id, quod Aristoteles tradit in 4. cont. pr. Physicorum. In eo autem Ari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſtoteles non docet, vniuerſalia eſſe notiora natura, imò aſſerit, & argumento deducto à toto ſenſibili, à toto integrali, á toto definibili, ſeu eſſentiali, nec non à quodam exemplo familiari probat, vniuerſalia eſſe notiora nobis. Quare falſum eſt, Ariſtotelem non bene colligere, procedendum eſſe ab vniuerſalibus ad ſingularia ex eo, quod procedendum eſt à notioribus nobis ad notiora natura.

Quod verò ſpectat ad id, quod Ariſtoteles in Analyticis, ſcriptum reliquit, facilè patebit reſponſio, ſi afferamus in medium, & ſoluamus difficultatem, quæ ſolet ab Interpretibus excitari, & expendi circa eundem quartum context. pr. Phyſicorum. Dubitant enim, quoniam Ariſtoteles dicens, vniuerſalia eſse magis, & priùs nota nobis, videtur ſibi aduerſari; cum in poſtprædicamentis capite de Priori dixerit, vniuerſale eſſe prius ſecundum naturam, quàm minus vniuerſale, quia illud eſt natura prius, à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, ſicuti non conuertitur à magis vniuerſali ad minus vniuerſale; licet enim v. g. animal ablatum auferat hominem; homo tamen ablatus, non aufert animal, & ideo animal, quod eſt homine vniuerſalius, eſt prius natura; non autem nobis. Similiter primo poſteriorum te. 12. & in Proemio pr. Metaphyſicorũ Ariſtoteles aſſerit, vniuerſalia eſſe nobis maximè ignota, quomodo ergo nunc fatetur ea eſse nota.

Zabarella huic difficultati occurrit quoad vtramque partem. Quoad primam, quæ reſpicit prioritatem, dicit, quod vniuerſale poteſt accipi duobus modis.

Primò, pro vniuerſali in multis, quod ſignificat naturam communem in ſingularibus latentem.

Secundò pro vniuerſali poſt multa, quod in animo ex particularibus eſt collectum.

De primo vniuerſali verum eſt dicere, quod eſt ſubſtantia, & natura prius ipſo ſingulari, adeo vt ablatum auferat ſingularia, quoniam habet rationem cauſę, & eſt potius pars eſſentialis, quàm totum, vt animal in homine contentum eſt pars eius, & natura prius homine, ac nobis ignotum; natura verò notius homine, vt infra dicetur in conſideratione ſecundæ partis.

Cœterum vniuerſale ſumptum ſecundo modo eſt purum accidens in animo (dummodo ſumatur formaliter, & non repræſentatiuè; ſic eſt enim eſt ſubſtantia; cum repręſentet vniuerſale in multis, quod eſt ſubſtantia) & huiuſmodi vniuerſale non eſt priùs natura, neque ablatum aufert; cum ſit potiùs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

natura posterius, vt nomen ipsum significat; vocatur enim post multa, quia est posterius singularibus, non modo natura, sed etiã tempore; cum ab animo nostro ex ipsis collectum sit; hoc autem habet rationem totius, & species omnes confusè continet, vt partes subiectiuas.

Aristoteles ergo hic dicens, vniuersalia esse priora nobis, loquitur de vniuersali post multa, quod est natura posterius. Alibi verò affirmans, vniuersalia esse priora secundum natúram, respicit vniuersale in multis, & ita sibi non contradicit.

Quo ad secundam partem, quæ respicit cognitionem, Zabarella sequens doctrinam Auerrois, tum hìc, tum pr. post. Commentario 12. dicit, quod quamuis vniuersale in causando, dè quo loquitur Aristoteles pr. post., & pr. Metaphysicorum, sit notius natura; tamen vniuersale in prædicando, de quo Aristoteles hìc agere intendit, est notius nobis: vnde valida est eius illatio, dum ait. A notioribus nobis procedendum est ad notiora natura, ergo ab vniuersalibus, nempe in prædicando, procedendum est ad singularia, quoniam huiusmodi vniuersalia sunt notiora nobis.

Accusatio Quarta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia in eodem t. 4. confirmat quidẽ conclusionẽ, quod vniuersale sit quoddã totũ, sed tamen postea tractat primo loco de principijs, ex quibus cõponitur corpus naturale. Profectò debebat posterius loqui de principijs.

Maffeus dissentit, & respondet animaduertendo, quod, cum per Aristotelem pr. post. t. 25. omnis demonstratiua scientia versetur circa tria, nempe circa subiectum, circa principia, & accidentia propria subiecti, ob id quando in aliqua disciplina instituitur tractatio ad scientiam consequendam, vel oportet incipere à subiecto præcisè sumpto, vel ab accidentibus, vel à principijs. Non à subiecto præcisè sumpto, quia hoc, vt docet Zabarella in tractatu de tribus præcognitis capite 5., in scientia nullibi tractatur, & vbique. Nullibi. Quia non potest in aliqua parte scientiæ considerari seorsim, & separatim à principijs, & ab accidentibus. Nam si à subiecto remoueantur ista duo, nihil in eo superest, quod sub considerationem cadere possit. Vbique verò dicitur tractari, quatenus nulla est scientiæ pars, in qua non expendatur aliquid

subie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

subiecti, nimirum, vel aliquod principium, vel aliqua passio propria ipsius. Non ab accidentibus. Quia hæc sunt ignota, & perfecta eorum cognitio dicitur esse finis totius scientiæ. Ab ignotis autem non fit illatio. Superest ergo, vt inchoandum sit á principijs, idque valde rationi consentaneum est, tum quia principia sunt nota simpliciter, & se habent tanquam termini, à quibus, tum quia cętera omnia dependent ab ipsis, vt effectus à suis causis, vnde perspicuum est, Aristotelem recte se gessisse, dum cępit prius contemplari principia.

Accusatio Quinta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia impugnans Parmenidem, vel aliquid aliud agitans, assumit pauciora, quàm necesse sit. Prætermittit enim aliquas categorias libro pr. capite 2., quibus omissis, inductio, & ratio non potest esse sufficiens. Prætermittit etiam aliquos modos vnius; cũ non assumat, nisi tres, & tamen 10. Metaphysices capite pr., ipsemet enumerat vsque ad decẽ.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem assumere pauciora, quàm oporteat, dum vel Parmenidem impugnat, vel aliquid aliud agitat. Ad primam probationem dicit, quod quamuis Aristoteles omiserit loco citato aliquas categorias; adhuc tamen reduarguendus non est, eo quod inductio, & ratio, quam adhibet, non possit esse sufficiens.

Vt autem hoc manifestum euadat, in primis nosse debemus, Toletum opinari, ob id Aristotelem non meminisse aliorum prædicamentorum, sed solummodò substantiæ, quantitatis, & qualitatis, quia certissimum erat, antiquos Philosophos de illis non intellexisse suam opinionem, vnde Aristoteles inductionem, & rationem affert sufficientem, saltem secundum quid, idest in ordine ad opinionem Antiquorum, contra quos disputationem instituit.

Deinde nõ est ignorandum, quod quamvis Antiqui suam opinionem intelligere voluissent de omnibus categorijs, nihilominus ego arbitror, facile defendi posse, inductionem ab Aristotele factam esse rectam, atque sufficientem. Quare sciendum est, duplicem esse inductionem. Vnam Dialecticam, & alteram demonstratiuã, quæ bifariam inter se differunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Primo ratione materię. Quia inductio dialectica versatur circa materiam probabilem, & contingentem, quæ potest aliter se habere; cum sit particeps veri, & falsi. Dialecticus enim habet pro fine opinionem, quę est cognitio rei cum formidine oppositi. Uerùm inductio demonstratiua vtitur materia necessaria, quæ non potest aliter se habere, sed semper eodem modo se habet, quippe demonstratiuus respicit scientiam, quæ dicit notitiam rei cum certitudine, quoniam per Aristotelem pr. post. cap. 2. oportet, simpliciter scientem à credulitate impermutabilem esse.

Secundo ratione formæ. Nam inductio dialectica requirit; vt accipiantur omnia, vel saltem plura singularia, vt docet Aristoteles sec. priorum cap. 29. Inductio autem demonstratiua recte fieri potest, quamvis accipiatur vnicum singulare.

Hoc igitur præaccepto, dicitur, quod siue Gassendus velit, inductionem Aristotelis esse dialecticam, siue demonstratiuam, semper sequitur, ipsam esse sufficientem. Nam si ponatur, esse dialecticam, in ea non est necesse omnia particularia exprimere; cum plura sufficiant, vt patet ex hac inductione dialectica, videlicet. Petrus est homo, & currit. Franciscus est homo, & currit. Andreas est homo, & currit, & sic de singulis hominibus (nec enim omnes enumerari possunt; cum sint propemodum infiniti) ergo omnis homo currit. Sic ergo licet Aristoteles non recensuerit omnes categorias, sed aliquas tantum, potuit sufficientem facere inductionem dialecticam. Quod si quis velit, esse inductionem demonstratiuam (qualem esse arbitror; cum sit necessarium; non verò contingens, ens esse vel substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem &c.) tunc longe facilius erit ostendere, Aristotelem non defecisse, imo adduxisse plura, quàm opus fuerit. Etenim ex prædictis liquet, inductionem demonstratiuam fieri posse per vnum tantummodo singulare, in quo differt à dialectica, quamuis nihil prohibeat, quo minus ipsa quoque demonstratiua inductio conficiatur ex pluribus particularibus. Cum itaque Aristoteles in sua inductione plures expresserit categorias, non est repræhendendus, quod fuerit insufficiens, etiamsi non enumerauerit omnes.

Denique puto, Aristotelem à prædicta Gassendi repræhensione omnino esse immunem, propterea quod licet agat cum illis Antiquis Philosophis, qui motum inficiabantur, dum aiebant, omnia esse vnum, & immobile; ipse tamen respicere volens id, quod maxime verum est, & quotidiano probatur experimento, nempe dari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ri motum, illas dumtaxat categorias exprimere voluit, ad quas potest fieri motus, cuiusmodi sunt substantia, quantitas, & qualitas; non verò alias, & ideo sufficienter locutus fuit.

Si dicas, hanc rationem ea difficultate vrgeri posse, quod cum motus fieri valeat ad vbi, Aristoteles debuisset huius quoque prædicamenti meminisse; cumque id non fecerit, videtur fuisse insufficiens.

Respondetur, animaduertendo, quod Aristoteles aggreditur disputationẽ cum veteribus Philosophis de principijs generationis, de quibus postea pertractat in toto primo libro physicorum, vt patet ex illis verbis ab ipso prolatis in t. 68. eiusdem primi libri. *Quot igitur*, inquit, *sint principia rerum naturalium, quæ circa generationem, & quomodo tot, dictum est*. Generatio autem est duplex, videlicet, simpliciter dicta, vt illa, per quam comparatur forma substantialis: & secundum quid, vt illa, per quam comparatur forma accidentalis, quæ vel pertinet ad categoriam quantitatis, vel qualitatis.

Quapropter Aristoteles iure optimo meminit illorum tantummodo prædicamentorum, ad quæ fit motus, qui possit dici, generatio, vel simpliciter, vel secundum quid. Tale autem non est prędicamentum vbi, quandoquidem per quãcumque generationem acquiritur aliquid, vt per generationem simpliciter dictam, forma substantialis, & per generationem secundum quid, vel quantitas, vel qualitas. Cæterum per motum localem, qui fit ad vbi, non comparatur de nouo aliqua forma inhærens ipsi subiecto, quod mouetur de loco ad locum, & idcirco Aristoteles non debuit exprimere ipsum vbi.

Ad alteram probationem dicitur cum Zabarella, quod Aristoteles omisit alios modos vnius, vt est esse vnum genere, vnum specie, vnum proportione &c., quia nimis euidenter includunt cum vnitate multitudinem, & propterea videntur alieni à mente Parmenidis, & Melyssi; cum nullo eorum modorum defendi posset, ens esse vnum, ob id Aristoteles illos dumtaxat modos vnitatis nominare voluit, qui maiorem ponunt vnitatem, & sunt sine multitudine: sic enim magis defendi posse videtur, ens esse vnum, & non multiplex.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Sexta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia libro secundo Physicorum insufficientem naturæ definitionem assignat dicens, quod Natura est principium aliquod, & causa mouendi, & quiescendi in quo est primo, per se, & non secundum accidens. Hæc autem definitio à Gassendo censetur insufficiens, & vitiosa.

Primo, quia per eam natura non distinguitur à causa efficiente; cum per Aristotelem secundo physicorum t. 29. etiam hæc sit principium, vnde motus.

Secundo, quia per ipsam non distinguitur ab arte, quæ dicitur esse principium motuum artificialium, sicuti natura est principium motuum naturalium. Etenim ars non est dicenda qualitas passiua, sed actiua, ideoque aliquod agendi, seu mouendi principium.

Neç sat est dicere, naturam ab arte distingui per illam particulam. *Eius in quo est*. Nam, inquit Gassendus, etiam ars est principiũ motionis artificis, in quo ipsa est.

Tertio, quia dicta definitio non conuenit contentis sub definito, nempe materiæ, ac formæ. Non materiæ, quia eius inertiæ nihil motus attribuit. Non formæ, vt forma est, quia, vt sic, munus eius est solum actuare materiam, vndè superest, vt illi conueniat, tanquam principio efficienti.

Quarto, quia superfluè in ea ponitur causa; cum omnis causa sit principium. Et particula quietis; cum eadem sit facultas contrariorum. Nam quæ est facultas loquendi, eadem est facultas tacendi. Et particula primo, & per se. Nam & ars primo, ac per se est causa motus artificialis, quatenus huiusmodi est. Et demũ particula illa. Et non secundum accidens. Hanc enim apponere necessarium non erat; cum iam posuisset particulam per se.

Maffeus dissentit, & respondet negando, allatam naturæ definitionem esse insufficientem, ac vitiosam.

Ad primam probationem dicitur, latissimum esse discrimen inter modum, quo natura, & modum, quo efficiens dicitur esse principium motus. Nam per illam particulam. *Eius, in quo est* indicatur, naturam non esse principium motus extrinsecum, sed intrinsecum. Etenim natura, siue sit materia, siue forma, est in eo, cuius est natura, & est in illo subiecto, in quo est ipse motus, sicuti cum animal progreditur, in ipso animali, in quo est iste motus progressiuus, inest etiam quoddam principium, quo pro-

gre-

greditur. Efficiens autem eſt principium motus extrinſecum; hoc enim non eſt in eodem ſubiecto, in quo reperitur motus, ſicut ignis reſpectu aquæ calefactæ dicitur eſſe principium extrinſecũ, quoniam ignis non eſt in aqua, in qua tamen eſt ipſa calefactio, & homo generans eſt extrinſecum principium generationis.

Ad ſecundam probationem dicitur, eam coincidere cum illo argumento, quod ab omnibus fere interpretibus Ariſtotelis afferri ſolet pro ratione dubitandi contra definitionem naturæ; dicunt enim, eam non videri rectam, quoniam ars cantandi, ſaltandi,& aliæ ſimiles non ſunt naturæ, & tamen ſunt intrinſeca motus principia per ſe, non ſicut medicina, quæ ſanat alios; hæ verò motum efficiunt in ijs, in quibus ſunt; quiſque enim per artem, quá in ſe habet, cantat, & ſaltat.

Hoc autem argumentum ſoluitur à Toleto quæſt. pr. in 2. phyſicorum, animaduertendo, quod in motu ſunt duo, videlicet, eſt ipſa res, quæ eſt motus, & eſt modus, vel qualitas motus, prout motus dicitur eſſe, aut fieri ſic, vel aliter. Tunc dicit, quod ipſius motus ſaltandi, vel cantandi non eſt principium ars, ſed natura: modum verò præſtat ars illa, ideò non eſt natura; cum non ſit principium motus, ſed ſolius modi. Hac eadem reſponſione occurritur prædictæ probationi.

Ad tertiam probationem reſpondetur negando, definitionem ipſius naturæ non competere materiæ, neque formæ. Quod enim ſpectat ad materiam, dicitur, ex eo, quod motus nihil attribuit eius inertiæ, colligi quidem, ipſam non eſſe principium motus actiuũ; namque ad agendum eſt iners, & inepta; non tamen ob id infertur, eam non eſſe vllo modo principium motus, quia eſt ſaltem principium paſſiuum, & in ordine ad hoc motus multum illi attribuit; cum non ſit inepta, & iners ad patiendum, ſed ad hoc eſt maxime prompta, & expedita; cum ſit apta nata recipere omnes formas, & cum quidquid patitur, patiatur propter materiam.

Quod verò pertinet ad formam, in primis dicitur, quod non bene aſſeritur, definitionem naturæ conuenire formę, vt forma eſt; ſic enim competeret ſoli formæ, atque ideò materia excluderetur à definitione naturæ, vnde nec poſſet appellari natura; cum tamen Ariſtoteles in 2. phyſicorum t. 10. apertè doceat, naturam non ſolum dici de forma, ſed etiam de ipſa materia.

Deindè dicitur, munus formæ non ſolum in eo poſitum eſſe, vt actuet materiam, ſed etiam in eo, vt det eſſe ipſi compoſito. Et quia quod dat eſſe, dat etiam ea, quæ conſequuntur ipſum eſſe, idcir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

cò forma dans esse composito, dat quoque illi motum proprium qui consequitur esse illius, vndè forma dicitur esse principium motus, non quidem, vt forma, sed vt natura, licèt vt forma dimacatur esse principium motus actiuum, in quo distinguitur à materia, quæ est principium passiuum.

Ad quartam probationem, quæ continet plures partes respondetur singillatim.

Quo ad primam dicitur, quod ratio, qua Gassendus probat, in definitione naturæ superfluè positam esse causam, quia nimirum omnis causa est principium, non concludit. Nam licet omnis causa sit principium; non tamen omne principium est causa; cum detur principium viæ, quod tamen non est causa viæ. Unitas quoque dicitur esse principium numeri; non autem causa, eodemque modo se habet punctum ad lineam. Quare non fuit superfluum addere causam pręter principium, sed potius necessarium fuit. Si enim Aristoteles meminisset solius principij, fortasse aliquis putare potuisset, naturam esse tantummodo principium, non verò causam. Vt ergo tolleretur hęc occasio errandi, oportuit, pręter principium exprimi causam.

Debuisset potius Gassendus dubitare de ordine, quo hę duę voces, videlicet. Principium, & causa prolatę fuerunt. Nam Aristoteles pręferens principium, quod latius patet, ipsi causę, quę angustior est, videtur commisisse nugationem, quę fit, quando magis vniuersale anteponitur minus vniuersali: vt si dicatur; Animal, & homo, qui enim dicit hominem, necessariò dicit animal.

Sed quamvis hic dubitandi modus fuisset rationabilior, adhuc tamen nihil validè conclusisset aduersus Aristotelem. Nam responderetur negando, Aristotelem prętulisse magis commune minus cõmuni; nec enim dixit. Principium, & causa, sed dixit. Principium aliquod, & causa. sicq; tollitur etiã hęc dubitatio, vndè apparet, benè dixisse Aristotelem, quod natura est pincipiũ aliquod, & causa.

Quoad secundam dicitur, quod ratio, qua Gassendus ostendit, in definitione naturæ non esse ponendam quietem præter motum, eo quia eadem est facultas contrariorum, non videtur efficax.

Primò, quia ob eandem rationem redarguenda esset, hæc definitio Medicinæ, scilicet. Medicina est scientia salubrium, & insalubrium, & neutrorum; cum tamen ita definiatur ab Auicenna, & vt recta definitio recipiatur ab omnibus Medicis. Etenim salubria, & insalubria sunt contraria. Satis ergo erat exprimere vnum tantum ex his; cum tamen exprimatur vtrumque.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundò, quia Gassendus videtur supponere, omnem quietem esse contrariam ipsi motui; quod tamen falsum est; licet enim quies in termino à quo sit contraria motui, eique contraria sit etiam quies in termino ad quem, si accipiatur pro cessatione motus; attamen si sumatur pro perfectione motus, non est illi contraria, sed potius refertur ad motum, tanquam finis, ad quem dirigitur motus, vnde oportet, in definitione naturæ fieri mentionem etiã quietis, vt pateat, naturam non esse causam illius quietis, quæ est contraria motui, sed illius, quæ dicitur finis, & perfectio motus.

Quoad tertiam dicitur, quod Gassendus non bene accommodat arti particulas illas. Primò, & per se. Quia per motum artificialem significatur ille, quo aliquid ab arte, seu ab artifice per artem producitur, vel ille, quo mouetur illud, in quo est ars, vt dictum est de arte saltandi. Si agatur de primo, prædictæ particulæ non possunt ei competere. Nam istæ supponunt illam priorem particulam, nempe. *In quo est primum*, quam certum est, non posse tribui motui artificiali accepto, iuxta primam significationem, siquidem prædicta particula denotat principium internum. At verò motus dictus primo modo deriuatur ab arte, vt à principio externo. Si de secundo, dicitur, artem esse principium talis motus quoad modum tantum; non verò quoad substantiam, vt est natura.

Quoad quartam dicitur, quod illa particula. *Et non secundum accidens* necessariò exprimi debuit in definitione naturę, tantum abest, vt fuerit superflua. Quod autem oporteret illam apponere, deducitur

Primò ex eo, quod per eam designatur, naturam, & motum naturalem separari non posse ab inuicem, non solum si spectentur absolutè (id enim iam significatum fuit per superiorem particulam) sed etiamsi accipiantur, quatenus reperiuntur in hoc, aut in illo corpore naturali, vt sic natura distinguatur ab ijs, quę quamvis absolutè accepta coniungantur per se; tamen sumpta, provt locum habent in hoc, vel in illo subiecto, dicuntur coniungi per accidens, quemadmodum sanitas absolutè loquendo efficitur per se à Medicina; Medicus tamen sanat se ipsum per accidens, quia non sanatur, vt Medicus, sed vt ægrotus. Motus autem naturalis per se prouenit á natura, ne dum absolutè, sed etiã provt est in aliquo corpore naturali; animal enim per se mouet seipsum.

Se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundò ex eo, quod per eam denotatur, quomodo sumenda sit prior particula, videlicet per se; significatur enim, hanc non esse sumendam largo modo, sed stricto, & provt est eadem cum conditione quatenus ipsum, quæ omnem contingentiam excludit, & omnem respectum accidentarium, vndè intelligimus, naturæ, quatenus natura est, conuenire, vt sit primum, & intrinsecum principium motus naturalis. Quare dicta particula non est superflua. Nam iuxta doctrinam Auerrois receptam à Zabarella, & ab alijs, fieri potest, vt cum particula per se coniungatur etiam particula per accidens, vt constat ex hac enunciatione; homo est animal; quamvis enim animal insit homini per se, atque ideò sit illi necessarium; homo tamen accidit animali; cum possit esse animal sine homine, vndè prædicta propositio dicitur continere necessitatem cum contingentia mixtam, quoniam est per se largo modo, hæc autem, homo est risibilis continet necessitatem puram, & seiunctam ab omni respectu accidentario, ita vt non solum prædicatum sit necessarium subiecto, sed etiam subiectum sit necessarium prædicato, nec possit esse vnum sine alio, quia est per se stricto modo. Ut ergo pateret, hanc propositionem, natura est principium motus, esse per se stricto modo, adeò vt sit vndequaque necessaria, nec vllam omnino contingentiam admittat, sed sicuti natura non potest esse sine hoc attributo, scilicet est principium motus, ita hoc attributum, videlicet principium motus non possit esse sine natura, necessarium fuit præter particulam per se in definitione naturæ ponere quoque particulam istã, Et non secundum accidens.

Accusatio Septima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia libro 3. physicorum capite 3. definit motum, vt sit actus entis in potentia, quatenus est in potentia. Hæc autem definitio non videtur esse recta.

Primò, quia dubium est, quænam sit ratio illius generis, Actus, qui Grçcè dicitur Entelechia, quç quidem apud Aristotelem est forma, anima, motus, Deus, quinta essentia. vndè Gassendus existimat, Oedipum esse habendum, qui generalem illius notionem expresserit; cum in vniuersa Physica Aristotelica nullum verbum occurrat frequentius, ex quo videtur posse inferri, prædictam particulam non esse idoneam ad explicandam propriam naturam

turam motus, quod eſt contra officium definitionis, quæ datur cauſa innoteſcendi, & dicitur eſſe oratio declarans eſſentiam rei definitæ.

Secundò, quia, cum forma ſit actus materiæ; materia verò ſit ens in potentia, hæc definitio non erit propria motus, & cum competat etiam formæ, conueniet alijs à definito, quod ſimiliter aduerſatur rectitudini definitionis, quæ cõpetere debet ſoli definito.

Tertiò, quia eodem capite ſpecies motus eodem genere definit dicens. Alteratio eſt actus alterabilis, vt alterabile eſt, &c. ſic enim vitioſe diſſimulat proximum genus, quod iam motum conſtituit; & de hoc genere remoto eſt nimium ſollicitus.

Quartò quia capite ſecundo eiuſdem libri tertij motum diuidit, prius quàm definiat.

Maffeus diſſentit, & reſpondet negando, prædictam definitionem non eſſe numeris omnibus abſolutam. Ratio autem negationis eſt. Quia datur per attributa, quæ ſunt accommodata motui. Nam Ariſtoteles in t. 7. libri tertij Phyſicorum oſtendit, motum eſſe actum, & arguit ſic iuxta expoſitionem Toleti, ſcilicet, Id, quo poſito, quod erat in potentia, eſt in actu, eſt actus. Atqui poſito motu, quod erat in potentia, eſt in actu, ergo motus eſt actus. Minorem tali manifeſtat exemplo. Ædificatio eſt motus, vel actus ipſius ædificabilis, quoniam per ędificationem ędificabile, actu ędificatur; vnde concludit, motum eſſe actum, non quidem perfectum, qui excludit omnem potentiam, ſed imperfectum, qui ſecum habet coniunctam aliquam potentiam, ſi quidem quod mouetur in ordine ad motum eſt actu, & in ordine ad terminum eſt in potentia, quamvis dici poſſit etiam in ordine ad terminum aliquo modo in actu, & aliquo modo in potentia, quatenus non ſtatim acquirit illum ſecundum omnem modum, quo poteſt ipſum acquirere.

Quod autem in prędicta definitione conuenienter ponantur illa verba, nimirum Entis in potentia, vt in potentia, facilè manifeſtatur. Nam ſi ſumamus motum aeris ad ſtatuam, certè vel hic motus competit aeri, vt eſt actu aes, vel, vt eſt poteſtate ſtatua. Primum dici non poteſt, quia eſſet de illius eſſentia (quod enim conuenit rei, quatenus eſt actu talis, competit illi ſecundum eſſentiam) hoc tamen falſum eſt; cum ſit aes, antequàm moueatur ad ſtatuam. Quare conuenit illi, vt eſt poteſtate ſtatua, ſi que motus erit actus entis in potentia, vt eſt in potentia, & proinde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ab Aristotele fuit benè definitus. Neque obstant rationes Gassendi.

Ad primam respondetur dicendo, quod iuxta sententiam Themistij in Commentario sexti contextus tertij physicorum, vbi continetur adducta definitio, in ea fit ista reduplicatio, scilicet provt est in potentia, vt denotetur, motum esse actum imperfectum; non verò perfectum, vndè satis constat, quę nam sit notio illius generis. Actus. Forma verò, anima, Deus, & quinta essentia dicuntur esse actus perfecti, & ideò hęc particula sic intellecta idonea est ad explicandam propriam naturam, & essentiam ipsius motus.

Ad secundam dicitur, falsum esse quod prędicta motus definitio possit attribui formę. Nam in primis forma est actus perfectus, nullam includens potentiam. At verò motus, vt patet ex dictis, est actus imperfectus, qui semper includit aliquam potentiam. Deinde motus dicitur esse actus illius entis, quod est actu, & completa substantia, cum sit corpus naturale compositum, & constás ex materia, & forma. Uerùm forma est actus illius entis, quod est in pura potentia secundum se, nec non est substantia quędam incompleta, nullam habens naturam determinatam, qualis est materia prima, de qua 7. Metaphysicorum t. 8. Aristoteles dixit, quod non est quid, non quale, non quantum, nec aliquid aliud eorum, quibus ipsum ens determinatur.

Ad tertiam dicitur primò, quod Aristoteles, post traditam definitionem motus, vt clarè docet etiam Toletus in expositione sexti contextus, pro illius declaratione affert exempla desumpta ex ipsismet speciebus motus, vnde dicere possumus, quod Aristoteles eodem genere non definit species motus, vt aiebat Gassendus, sed potius vtitur speciebus motus, pro exemplis ad ostendendum, quod motui conuenit esse actum entis in potentia, provt in potentia, idque verum esse, colligitur etiam ex ipso modo loquendi, quem Aristoteles adhibet dicens. *Eius, quod potentia existit, actus, quatenus huiusmodi, motus est, vt alterabilis quidem, quatenus est alterabile, alteratio &c.*

Dicitur secũdo, quod quãuis cõcedatur, Aristotelẽ ibi definire species motus; adhuc tamen nõ est dignus repręhẽsione. Quia, cũ definitio, & definitũ sint vnũ, & idẽ secundũ rẽ, propterea quando volumus definire aliquod inferius per illud superius, sub quo continetur, nobis integrum est, vel exprimere proprio nomine ipsum superius, vel accipere propriam eius definitionem, quemadmodum hominem

nem definituri, dicere possumus, homo est animal rationale, vel homo est substantia, corporea, animata, sensitiua (quæ est definitio animalis) rationalis. Aristoteles ergo in definitione specierum motus non accepit motum, sed illius definitionem, dum dixit, verbi gratia, quod alteratio est actus alterabilis, provt alterabile, nec opus fuit exprimere illas particulas. In potentia, vt in potentia, nam istæ satis insinuantur, cũ subditur. Alterabilis, provt alterabile, quoniã alterabile appellatur illud, quod est aptũ natũ, siue potẽs alterari, vel quod habet in se potẽtiã, vt alteretur. Ita vt sit sensus. Alteratio est actus entis in potentia, vt alteretur, quatenus est in potentia, vt alteretur. Sic enim Aristoteles in definitione alterationis accipit definitionem generis proximi, applicatam tamen alterationi, quemadmodum quando dicitur. Homo est substantia, corporea, animata, sensitiua, sumitur definitio animalis, & dum subditur hæc particula. Rationalis, applicatur homini. Quamobrem Aristoteles non dissimulat proximum genus vitiosè, sed sumit definitionem proximi generis pro ipso genere proximo, idque sinè vlla prorsus absurditate fieri potuit, quippe fas est adhibere definitionem pro definito, vel contra; cum hæc duo re ipsa coincidant.

Ad quartam respondetur animaduertendo, quod huic accusationi magis obnoxius est Plato, quàm Aristoteles. Nam Plato sentiebat, solam viam diuisiuam esse sufficientem, & efficacem ad notificandam, & ad inueniendam definitionem, quod ab Aristotele reprobatum fuit in 2. post., vbì pluribus ostendit, nullum dari logicum instrumentum, quo notificari valeat definitio ignota, & præ cæteris demonstrat, viam diuisiuam per se solam, vt ponebatur à Platone, ad hoc esse prorsus ineptam, quia, cum careat vi syllogistica, & illatiua, nihil probat, sed gratis accipit, quod esset probandum. Vel si daretur, per eam aliquid posse probari, non probat intentum, quippe quod intenditur, illud est, vt concludatur, prædicatum inesse subiecto in quid; cum tamen per diuisionem solum inferri possit, prædicatum inesse subiecto.

Quamvis autem Aristoteles in hoc dissenserit á Platone, quod putauit, solam viam diuisiuam non satis esse ad venandas definitiones rerum ignotas; non tamen ob id existimauit, diuisionem esse omninò despiciendam, atque reijciendam, quippe docuit, viam diuisiuam simul cum compositiua sufficere posse ad indagandas rerum definitiones. Insuper tradidit, diuisionem per se ipsam in ordine ad definitionem duas nobis exhibere præcipuas vtilitates.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Primò namque confert ad hoc, vt in accipiendis attributis essentialibus rectus ordo seruetur, adeò vt quæ magis communia, vel vniuersalia sunt, præferantur minus communibus, minusque vniuersalibus. Præterea conducit etiam ad hoc, vt certi simus, nos in definitione accepisse omnia prædicata quidditatiua, & nihil eorum, quæ necessaria sunt ad constituendam definitionem, omissum fuisse.

His igitur omnibus præmonitis, contra Gassendum arguitur sic. Si Plato tantum tribuebat diuisioni, vt arbitraretur, ipsam solam sufficere ad inuestigandas definitiones rerum immanifestas. Et si iuxtà sententiam Aristotelis eas, quas exposuimus, vtilitates nobis præbet, vt benè definiamus, quorsum licet Gassendo Aristotelem redarguere, dum ante definitionem motus, adhibet diuisionem? Et eo minus Aristoteles ob id à Gassendo culpandus erat, quia illa diuisio assignata per actum, & per potentiam fuit maximè vtilis, & valdè accõmodata definitioni motus, quæ per actum, & per potentiam tradita est dicendo. Motus est actus entis in potentia, prout in potentia.

Accusatio Octaua.

GAssendus accusat Aristotelem, quia Libro quarto Physicorum cap. 3. proponit nouem modos, quibus aliquid in alio esse dicatur; cum tamen præter illos alij quoque plurimi valeant assignari, veluti esse in tempore, in subiecto, &c. Vndè Aristoteles ipse hunc modum postea constituit, dum Zenoni respondens, docet, locum non esse in alio, tanquam in loco, sed tanquam in subiecto.

Maffeus dissentit, & in primis respondet, quod Gassendus dicens, Aristotelem loco citato proposuisse nouem modos, quibus aliquid in alio esse dicatur, ponit plures, quàm sint. Nam prætérquamquod multi expositores docent, esse octo dumtaxat modos, vt videre est apud Auerroem, Burlæum, D. Th., Toletum, Didacum Masium, & alios, cuilibet etiam diligenter consideranti locum à Gassendo citatum innotescere potest, nonnisi octo modos fuisse ibi ab Aristotele recensitos. Aliquid enim est in alio.

Primò tanquam pars in toto, quemadmodum digitus est in manu, & anima in homine.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundò tanquam totum in ſuis partibus ſimul, quia cõſtat ex ſuis partibus, nec eſt præter ſuas partes, vt homo eſt in omnibus ſuis partibus, & membris. Poſſumus autem nomine totius, vt ait Maſius, intelligere tam totum integrum, quàm naturale.

Tertiò, tanquam ſpecies in ſuo genere, & particulare in ſuo vniuerſali, vt homo in animali.

Quartò, tanquam genus in ſpecie, vt animal in homine, & omnino pars definitionis in ipſa definitione.

Quintò, tanquam forma in materia, vt ſanitas in animali compoſito ex calidis, & frigidis, alijſque humoribus.

Sextò, tanquam in cauſa efficiente, quemadmodum Regnum eſt in Rege, quatenus eſt in poteſtate Regis, & actiones humanæ dicuntur eſſe in homine, prout ſunt in poteſtate ipſius. Sic etiam filij dicuntur fuiſſe in Patre, vt in cauſa efficiente.

Septimò, tanquam in fine, ſicut amans eſt in re amata, & animus in diuitijs, aut in voluptatibus, aut in litteris.

Octauò, tanquam in vaſe, & in loco, ſicuti vinum eſt in dolio. Præter hos verò modos in prædicto capite non legitur alius. Quare ſunt octo tantum.

Præterea, quidquid ſit de numero iſtorum modorum, adhuc tamen dicimus, Ariſtotelem non debuiſſe à Gaſſendo redargui, eo quia prætermiſerit hos duos modos, quibus aliquid in alio eſſe dicitur, vel vt in ſubiecto, quod conuenit accidentibus, vel vt in tempore, quod competit rebus generabilibus, & corruptibilibus, nec quia reticuerit plures alios modos, qui videbantur adduci poſſe, vt eſſe in numero, eſſe in affectione, vt in morbo, aut in ſanitate, de quibus meminit Vicomercatus.

Nam quoad modum, quo aliquid eſt in alio, tanquam in ſubiecto, dicere poſſumus cum Alexandro, cum Toleto, & cum Didaco Maſio, non fuiſſe prætermiſſum, quia debet intelligi ſub quinto modo, quo forma eſt in materia; licet enim non eadem ratione forma ſit in materia, qua accidens eſt in ſubiecto; attamen ſimilitudine quadam his omnibus poteſt quintus iſte modus adſcribi.

Quo autem ad modum, ſecundum quem aliquid eſt in aliquo, ſicut in tempore, vel cum Toleto, & cum Didaco Maſio dici poteſt, modum hunc ab Ariſtotele omiſſum fuiſſe, quia non dum egit de tempore, de quo paulò poſt locuturus erat. Vel dici poteſt cum Diuo Thoma, id ab Ariſtotele factum eſſe, quoniam ille modus, quo aliquid eſt in alio, vt in tempore, facile reducitur ad octauum, quo aliquid eſt in alio, vt in loco. Sicut enim locus eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

mensura mobilis, ita tempus est mensura motus.

Demum quod asseritur, potuisse plures alios modos enumerari, diluitur, animaduertendo cum Vicomercato, & Didaco Masio, quod Aristoteles non instituit docere omnes modos, sed quosdam, vt ex illis intelligamus multiplicitatem huiusmodi significationis, quæ est, aliquid esse in alio, adeo vt cognosceremus, modum essendi in alio, non vnica tantum ratione vsurpari, sed varia, & multiplici. Quare Aristoteles non defecit, nec diminutus fuit.

Accusatio Nona.

GAssendus accusat Aristotelem, quia in eodem quarto libro, capite quarto, iuxta citationem Gassendi, vel iuxta nostram partitionem, capite septimo Summæ primæ. Aristoteles peccat postulando, vt locus sit terminus; cum ijs, quibus cum agit, concedere nolit, vt sit spacium. Et insufficienter probat, Cœlum esse in loco ex eo, quod mouetur; cum præsertim illud destituatur ambiente superficie, ipse autem nolit, locum aliud esse, quam superficiem.

Maffeus dissentit, & respondet quo ad primam partem, negando, Aristotelem postulare, vt locus sit terminus, vel superficies, & si alijs non vult concedere, locum esse spacium, vel interuallum, id non sine ratione facit. Etenim in prædicto capite probat, locum esse terminum, & ostendit, ipsum non esse interuallum. Vt autem hæc omnia clarius innotescant, operæ precium erit hìc referre quæ ibi Aristoteles præstat per singulos textus, qui sunt quinque.

In contextu 35., à quo incipit caput citatum, Aristoteles ex proprietatibus loci prædeclaratis inferre vult genus eiusdem, & ratiocinatur à sufficienti quadam partium diuisione, quæ talis est.

Locus aut est forma, aut materia, aut interuallum, & spacium interceptum inter latera superficiei continentis, aut ipsa superficies continens. Sed non est forma, nec materia, nec tale interuallum, ergo est superficies continens.

Excludit autem, quod sit forma, soluendo rationem, propter quā forma videtur esse locus. Ratio autem est. Quia forma est continens, & continens est in eo, quod continetur. Si ergo locus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

continens eſt, forma eſſe debet.

Reſpondet Ariſtoteles, quod tam forma, quàm locus continent, ac terminant, ſed non eodem modo. Nam forma terminat rem ipſam, cuius eſt forma, ita vt in ea ſit. Locus verò eſt terminus, & continens extrinſecus, quia eſt ipſius continentis.

In contextu 36. probaturus, locum non eſſe interuallum, ſiue ſpacium, ponit rationem, propter quam locus videtur eſſe interuallũ. Vbi cum Toleto ſciendum eſt, quod Antiqui exiſtimabant, inter latera ſuperficiei alicuius continentis eſſe quoddam ſpacium interceptum, quod aſſerebant eſſe dimenſiones quaſdam, & corpus de prædicamento quantitatis tantum abſque ſubſtantia, & iſtæ dimenſiones erant locus, in quo corpus adueniens recipiebatur, & iterum aliud aduenıens recipiebatur, priori recedente; ſemper enim illæ dimenſiones permanent, atque hæ cum corpore aduenıente penetrantur, fiuntque illi æquales, etiam ſecundum profunditatem, & has Ariſtoteles vocat interuallum. Locum ergo eſſe tale interuallum, ea ratione oſtendi poſſe videtur, quia quolibet corpore contento, & contiguo recedente, videtur illud ſpacium, in quo recipiebatur, idem permanere. Hoc autem conuenit etiam loco; manet enim, recedente locato. Igitur locus eſt interuallum, ſiue ſpacium.

Hoc tamen Ariſtoteles reijcit, egregiè docens, quod inter latera corporis aduenientis non eſt vllum ſpacium, & interuallum reale, niſi quantitas cuiuslibet corporis contenti, quod incidit, & ſuccedit. Vt ſpacium inter latera vaſis eſt ipſa aqua, cum plenum eſt aqua, & aer, cum plenum eſt aere. Niſi enim illud corpus eſſet, latera vaſis iungerentur, vt latera vtris, ſubtracto interius corpore.

In textu 37. duabus rationibus probat, interuallum non eſſe locum. Primò, quia ſequeretur, quod infinita eſſent loca pro quolibet corpore ſuccedente. Nam quælibet pars per ſe haberet locum, ſicut & ipſum totum, adeo vt ſi daretur interuallum, quod ſe penetraret cum locato, vtique omnes ipſius locati particulæ ambirentur vndique, ac per ſe in loco eſſent; cumque iſtæ ſint infinitæ, vnius totius erunt per ſe loca infinita, quod videtur impoſſibile.

Secundò, quia ſequeretur, quod loci erit locus per ſe, & vnius per ſe erunt multa loca, quod falſum eſt. Sequela patet. Si enim locus aquæ in vaſe eſt interuallum incluſum intra vas, quando vas transfertur in alium locum, reciperetur in alio interuallo, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

penetraret ipsum vas, & aquam, quæ est in vase, & illud interuallum, quod est proprius locus aquæ. Quare hoc interuallum, quod est locus aquæ, erit in alio interuallo, ac proinde locus in loco, & duo loca simul, quod est inconueniens, vnde locus non potest esse interuallum.

In textu 38. demonstrat, locum non esse materiam, quamvis aliquam habeat similitudinem cum ipsa, quatenus manens idem numero recipit vicissim varia corpora, sicut ipsa quoque materia permanens eadem numero, recipit varias formas, attamen Aristoteles confirmat, locum non esse materiam, quia inter ista duo triplex est discrimen.

Primò, quoniam in mutatione materiæ dicimus, id, quod erat aer, nunc factum esse aquam. At in mutatione loci aliter loquimur; dicimus enim, vbi erat aer, nunc esse aquam.

Secundò quia materia est pars rei, nec separari potest ab ea manente; non enim aqua manet, si ab illa separetur materia, sed tamen manet, si separetur à loco, in quo erat.

Tertiò quia materia determinatur à forma; locus vero determinat locatum. Quare locus non potest esse materia.

In textu 39. concludit dicens, quod, cum locus non sit forma, nec materia, nec interuallum, superest, quod sit terminus continentis, idest vltima superficies corporis continentis.

Ex his autem constat, Aristotelem non postulare, sed argumento diuisiuo, vel à sufficienti partium enumeratione deducto probare, locum esse terminum; & simul etiam patet, non sine ratione noluisse alijs concedere, locum esse interuallum, vnde non erat à Gassendo repræhendendus quo ad primam partem.

Quo ad alteram partem, dicimus, quod, cum Aristoteles 4. Physicorum Summa prima capite 9. intendat probare, assignatam loci definitionem cõuenire cunctis corporibus simplicibus mobilibus, nunquam in eo capite præstat id, quod Gassendus ait, ab eo fieri; nec enim aliquando demonstrat, Cœlum esse in loco ex eo, quia mouetur, imo in contextu 45. eiusdem capitis, apertis verbis docet oppositum, nempe Cœlum, idest vniuersum, vt explicat Toletus, non esse in loco per se; cum non ambiatur aliquo corpore, quamvis dicatur esse in loco per partes, provt vna est alteri contigua, & ambitur ab illa. Nam loco citato ait. *Cœlum autem, sicut dictum est, non est alicubi totum, neque vllo in loco est, siquidem nullum corpus ipsum continet; in quo autem mouetur, hoc etiam locus est partibus. Altera enim partium alteri adhærens est. Alia*

verò

verò secundum accidens, vt anima, & Cælum. Partes enim in loco quodammodo omnes sunt. In circulum enim continet alia aliam, idcirco mouetur quidem circulariter solum quod sursum est, Totum autem non alicubi est; quod enim alicubi est, & ipsum aliquid est, & adhuc aliud aliquid esse oportet præter hoc, in quo sit, quod continet, præter autem vniuersum, ac totum, nihil extra est. Et in contextu 45. ait. *Et propter hoc omnia in Cælo sunt. Cælum enim ipsum totum fortasse est. Est autem locus, non Cælum, sed Cæli quiddam, vltimus scilicet, & tangens mobile corpus, terminus quiescens. Et ob hoc terra quidem in aqua est; hæc verò in aere, hic autem in æthere, & æther in Cælo. Cælum autem non amplius in alio est.* Ex his ergo liquet, Aristotelem neque sufficienter neque insufficienter probare, Cœlum esse in loco; cum potius doceat, ipsum non esse in loco, quia non est in alio.

Accusatio Decima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia capite 9. eiusdem 4. libri Physicorum, iuxta citationem Gassendi, quando Aristoteles ex celeritate motus probat, non dari vacuum, concludit contra vacuum separatum, non contra respersum, quale ponebant Veteres.

Maffeus dissentit, & respondet, falsum esse quod Gassendus gratis assumit, nimirum Aristotelem concludere solum contra vacuum separatum. Etenim in textu 74. iuxta nostram partitionem ex celeritate motus, vt aiebat Gassendus, colligit, non dari vacuum separatum, & hoc idem concludit á contextu 76. vsque ad 78. inclusiuè tribus rationibus acceptis ex parte vacui absque consideratione motus, vnde Aristoteles in initio quinti capitis Summæ secundæ ait. *Quod igitur non sit separatum vacuum, ex his manifestum est.* Deinde à contextu 81. vsque ad 82. inclusiuè reprobat quatuor argumentis positionem eorum, qui putabant, dari vacuum corporibus insertum, atque imbibitum, siue respersum. Quare Aristoteles accusari minime debebat à Gassendo; cum impugnauerit vtrumque vacuum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Vndecima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia libro 5. Physicorum capite 2. insufficientem facit enumerationem categoriarum, & insufficientem quoque rationem adducit, quod actio, & passio motus non sint, quia daretur motus alterius motus. Hoc autem non videtur absurdum; sæpius enim fas est inspicere, motum vnũ sic esse causam alterius, vt iste sit causa tertij, & tertius quarti.

Masseus dissentit, & quo ad primam accusationis partem respondet, Aristotelem non esse dignum redargutione, quod in 3. capite primæ Summæ 5. Physicorum libri non meminerit omnium prædicamentorum, quia, vt docet Alexander apud Simplicium, prętermisit quædam, vt situm esse, & habere, quoniam certum erat, in eis nullum reperiri motum, ea ergo tantum recensuit, de quibus poterat esse dubium, an ad illa motus esse valeat, nec ne? Cur autem ad situm esse, & ad habere non sit motus, rationem affert D. Th. dicens, quod situs ordinem quemdam partium demonstrat; ordo autem relatio est, vnde sicut ad aliquid non est motus; cum possit aliquid comparare aliquam relationem sine vlla sui mutatione, sed altera re tantummodo mutata, vt si aliquis fiat albus, & per albedinem efficiatur similis ipsi Socrati, Socrates comparat hanc relationem similitudinis absque vlla sui mutatione, vnde licet relatio oriatur cum motu; non tamen aduenit rei per motum ipsius, ita de situ dicendum est. Et similiter habere dicitur secundum quamdam habitudinem corporis ad id, quod ei adiacet, vnde in his non potest esse motus, quemadmodum nec in relatione.

Cæterum inter expositionem Alexandri, & D. Th. aliqua reperitur differentia. Nam Alexander docet, Aristotelem duas tantum categorias reticuisse, nempe situm esse, & habere. Verùm D. Th. affirmat, ab Aristotele prætermissa fuisse tria prædicamenta, scilicet quando, situm esse, & habere, vnde non solum de his duobus, nimirum de situm esse, deque habere, verum etiam de prędicamento quando probat, quod in eo non potest esse motus. Ná quando significat esse in tempore. Tempus autem est mensura motus, vnde per quam rationem non est motus in actione, & passione, quæ pertinent ad motum, eadem ratione, nec in quan-

do.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

do. Quod autem ad actionem, & passionem non sit motus, ostenditur ab Aristotele in 3. capite primæ Summæ libri quinti Physicorum ea ratione, quoniam actio, & passio sunt mutationes, ipsius verò mutationis non est mutatio, neque generationis est generatio, vt infra constabit in expendenda secunda parte accusationis, ergo ad actionem, & passionem non est motus.

Ex his duabus interpretationibus, illa, quam attulit Alexander, est potior. Quia est magis consentanea verbis noni contextus, in quo Aristoteles expressit prædicamentum quando, dum dixit. *Si igitur prædicamenta diuisa sunt substantia, & qualitate, & vbi & quando, & ad aliquid, & quantitate, & ipso agere, & pati, necesse est, tres esse motus, eum qui quantitatis, & eum, qui qualitatis, & eum, qui secundum locum est,*

Sed adhuc dubitari potest. Nam cum D. Th. ostenderit, ipsum quando non fuisse exprimendum, quoniam ad illud non fit motus; cumque Alexander non declarauerit; propter quid huiusmodi prædicamentum ab Aristotele nominatum fuerit, & positum inter alia; cum ad ipsum non sit motus, ideo huius rei reddenda est aliqua ratio, quæ iuxta Maffei sententiam talis esse potest. Etenim Aristoteles meminisse debebat illarum categoriarum, quæ cum ipso motu aliquam habent affinitatem, siue quia sint motus, siue quia sit, vel fiat motus ad ipsa, siue quia motus dicatur esse in ipsis. Expressit ergo substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi, quia de his dubitari poterat, an ad ea motus esse valeat. Nominauit agere, ac pati, quoniam licet ad hæc non fiat motus, vt dictum est, attamen adducenda fuerunt, quia sunt motus. Meminit autem ipsius quando, quamvis ad hoc non sit motus, vt recte docuit D. Th., quia sicuti motus est in tempore; cum tempore mensuretur, ita dici potest, motum esse in ipso quando, quod nihil aliud significat, nisi id, quod ex adiacentia, vel applicatione temporis in re temporali relinquitur. Et quia situm esse, atque habere, nullam habent per se affinitatem cum motu, ideo ab Aristotele prætermissa fuere.

Quo ad secundam accusationis partem, respondet negando, Aristotelem probare, quod actio, & passio non sint motus; non enim hæc est ibi mens Aristotelis, imo si hoc intenderet, sibi contradiceret. Nam 3. Physicorum t. 19. loquens de actione, ac passione, ait. *Cum igitur vtraque sint motus, si diuersi quidem, in quo sunt?* Si ergo in 3. Physicorum concedit, actionem, & passionem esse motus, certè non potest in quinto id negare, nisi ve-

lit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

lit incidere in manifestam contradictionem. Probat igitur Aristoteles, ad actionem, & passionem, siue actionis, & passionis non esse motum, vt satis constat ex verbis textus 18., vbi ait. *Quoniam autem neque substantiæ, neque ipsius ad aliquid, neque ipsius facere, & pati, relinquitur secundum qualitatem, & quantitatem, & vbi motum esse solum.*

Præterea dicitur, falsum esse, quod Aristoteles insufficienter ostendat, actionis, & passionis non esse motum. Nam id concludit ex eo, quia sequeretur, dari motum ipsius motus, siue mutationem mutationis, quod quidem esse inconueniens, Aristoteles demonstrat pluribus rationibus.

Primò sic. Duobus modis intelligi potest, mutationis esse mutationem. Primò ita, vt ipsa mutatio sit subiectum alterius mutationis; secundò ita, vt ipsa mutatio sit terminus mutationis. At neutro modo mutationis est mutatio, ergo non est mutatio mutationis.

Non primo modo. Quoniam absurdum est dicere, mutationem ipsam moueri, vt calefactionem calefieri; subiectum namque mutationis est sola substantia.

Non secundo modo. Nam, cum omnis mutatio fiat inter duo extrema, oporteret, subiectum aliquod mutari ex vna mutatione ad alteram, quod esse non potest. Sic enim fieret, primo vt aliquid eodem motu moueatur ad res maximè diuersas: secundo, vt motu eodem comparet res maximè differentes, in quibus etiam quiesceret: tertio, vt eodem motu moueatur ad contraria, & in ipsis quiescat.

Duo priora ita deducuntur. Si moueatur aliquid ab ægrotatione ad dealbationem, quod mouetur participat de vtroque extremo, vt quod mouetur ex calido in frigidum, partim est calidum, partim frigidum, simul erit in ægrotatione, & dealbatione. Sed per ægrotationem fertur ad morbum, & per dealbationem ad albedinem, igitur eodem motu feretur ad morbum, & ad albedinem. Deinde peracta mutatione, comparabit motu eodem, & morbum, & albedinem, atque in ipsis conquiescet.

Tertium ita colligitur. Quod mouetur, non ex quovis in quodvis mouetur, sed ex contrario in contrarium. Moueatur ergo ex ægrotatione in sanitatem, certè cum simul existat in ægrotatione, & in sanatione, mouebitur simul motu eodem ad morbum, & ad sanitatem, & peracto motu, simul quiescet in morbo, & in sanitate, quod est absurdum.

Quare

Quare ad mutationem non eſt mutatio, niſi per accidens, ſicut ex recordatione mouetur aliquid in obliuionem per accidens, ſi dum recordatur alicuius rei, interim alterius obliuiſcatur. Et per motum ad locum fertur aliquid ad calefactionem per accidens, ſi, dum loco mouetur, incaleſcat.

Secundò ſic. Si generationis eſſet generatio, daretur proceſſus in infinitum, ſicque nulla poſſet eſſe generatio. Sequela patet ex eo, quia cum generationis eſſe ſit fieri; quod autem fit, abſolutè non dicatur eſſe, ſed tantum eſſe, dum fit, ideo ſi generationis eſſet generatio, ac proinde fieret per generationem, non poſſet eſſe iſta generatio generationis, niſi fieret ab alia tertia generatione. Rurſus nec eſſet tertia, niſi fieret ab alia, atque ita eſſet progreſſus in infinitum, vnde nulla eſſet generatio. Non enim poteſt eſſe poſtrema generatio, niſi ſit prima, ſi omnis generatio eſt per generationem. Sed in progreſſu in infinitum nulla eſt prima generatio, ergo neque poſtrema.

Tertiò ſic. Si generationis eſſet generatio, ſequeretur, id, quod gignitur, quando gignitur, poſſe interire; quidquid enim mouetur aliquo motu, poteſt moueri motu contrario, & quieſcere quiete contraria. Si ergo generatio gignitur, generatio quoque poterit interire, ſicque interibit, quando gignitur. Quicquid enim interit, eſt. Generatio autem tantum eſt, quando gignitur, ergo tantũ interit, quando gignitur, quod eſt maximũ abſurdum.

Quartò ſic. In omni mutatione debet eſſe ſubiectum diuerſum à mutatione, & extrema debent eſſe ab vtriſque diſtincta. Quod ſi mutationis eſſet mutatio, nullum eſſet ſubiectum diuerſum à mutatione, nec extrema diuerſa eſſent ab ipſis. Non igitur poteſt eſſe mutatio mutationis.

Quintò ſic. Ut ſe habet genus ad genus, ita ſe habet ſpecies ad ſpeciem. Si ergo generationis eſſet generatio, & mutationis mutatio in genere, huius quoque generationis eſſet hæc generatio, vt calefactionis calefactio, & addiſcentiæ addiſcentia, quod eſt valde inconueniens.

Sextò ſic. Cum tria ſint genera motus, ſi mutationis eſſet mutatio, alicuius ex illis tribus eſſet mutatio. Quare accretio verbi gratia mutaretur, vnde aut creſceret, aut decreſceret, aut alteraretur, aut moueretur de loco ad locum, quod eſt abſurdum. Concludit ergo Ariſtoteles dicens, quod cum tribus modis aliquid moueri dicatur, videlicet per accdens, per partem, & per ſe primo, mutatio ipſa poteſt ſolum per accidens moueri, ſi mo-

uea-

ueatur ſubiectum, in quo eſt, vt ſi quiſpiam curetur, atque interim deambulet, curatio mouebitur per accidens.

Ex his igitur patet, abſurdum eſſe, dari mutationem ipſius mutationis. Cum autem Gaſſendus oppoſitum ſentiat, nec putet inconueniens, dari mutationem mutationis, debebat hanc ſuam ſententiam pluribus rationibus comprobare, vt fecit Ariſtoteles, & inſuper tenebatur occurrere argumentis ab Ariſtotele adductis, quod cum non præſtiterit, ipſe potius quàm Ariſtoteles, culpandus videtur, vt inſufficiens, adeo vt præſens accuſatio magis feriat Gaſſendum, quàm Ariſtotelem.

Accuſatio Duodecima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia ſi in Organo rectè diuiſit oppoſita, vitioſè iam in capite 4. eiuſdem quinti libri diuidit oppoſita in contraria, & contradictoria.

Maffeus diſſentit, & reſpondet negando, Ariſtotelem loco citato vitioſè in Phyſicis diuiſiſſe oppoſita, hæc enim rectè diſtribuit non ſolum in Organo, ſed etiam in quinto Phyſicorum. In Organo quidem, dũ dixit, quatuor eſſe ſpecies oppoſitionis, puta relatiuã, contrariã, priuatiuã, & contradictoriã; ſic enim eas recto ordine diſpoſuit. Quia vt ibi optimè animaduertit Caietanus, licet oppoſitio contradictoria ſit omnibus alijs prior, ſi ſumatur ſecundum latitudinem oppoſitionis, iuxta quam illa oppoſitio eſt prior, quæ plus contrarietatis, & minus conuenientiæ, ſiue communitatis amplectitur, vnde ſpecies oppoſitionis ita diſponuntur, vt

Prima omnium ſit Contradictoria.)
Secunda, Priuatiua.)
Tertia, Contraria.)
Quarta, Relatiua.)

Si tamen accipiatur ſecundum latitudinem entis, vt ibi conſiderari debet ab Ariſtotele; cum tractet de prædicamentis, quæ ſunt entia, deprehenditur eſſe omnium infima, & relatiua cenſetur eſſe omnium prima, quoniam hoc modo illa oppoſitio dicitur prior, quæ minus recedit à ratione entis, adeo vt plus habeat entitatis, vnde ſpecies oppoſitionis prædicto ordine diſponuntur, ſecundum quem, vt prædiximus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Prima, omnium est Relatiua.)
Secunda, Contraria.)
Tertia, Priuatiua.)
Quarta, Contradictoria.)

Vndè patet, Aristotelem in Organo bene se gessisse, dum sic retulit species oppositionis, quas etiam in quinto Physicorum sufficienter adduxit respectu finis, propter quem illas expressit. Cum enim quinto Physicorum Summa prima capite 2. iuxta nostram partitionem, vellet ostendere, tres tantum esse species motus, vel mutationis, videlicet eam, quæ est ex subiecto in subiectum, & eã, quę ex non subiecto in subiectum, & eã, quę ex non subiecto in non subiectũ, docuit, eã, quæ est ex non subiecto in non subiectũ non posse dici mutationẽ, propterea quod nullã cõtinet oppositionem ex ijs, quæ reperiuntur in motu, nempe neque contrariam, neque contradictoriam. Non contrariam, quia hæc est inter vtrumque terminum affirmatum. Non contradictoriam, quoniam ista est inter duos terminos, vnum affirmatum, & alterum negatum; prædicta verò mutatio deberet esse inter vtrumque terminum negatum, quod fieri nequit. Quare Aristoteles non attulit in medium opposita vitiosè.

Quod si Gassendus obijciat, ipsum ex quatuor speciebus oppositionis duas tantummodo recensuisse. Respondetur, non ob id eum esse reprehendendum, si rem hanc diligentius perpendamus. Etenim oppositionem relatiuam in hac motuũ consideratione, nec poterat, nec debebat nominare; cum in 3. capite, contextu 10. demonstraturus esset, ad aliquid, siue ad relationem non esse motum. Oppositionem verò priuatiuam seorsim non attulit, quia, vt docet Vicomercatus in commentario septimi contextus quinti Physicorum, ea, quæ contrariè opponuntur, priuatiuam habent oppositionem, & eam, quæ est inter affirmationem, & negationem. Album enim, quod opponitur nigro, non nigrum est, atque ita nigri negatio. Itaque mutatio ex albo in nigrum, ex non nigro quoque in nigrum dicitur. Sufficienter ergo quantum attinet ad præsens institutum de speciebus motus, vel mutationis; non autem vitiosé, vt dixit Gassendus, Aristoteles diuisit opposita in contraria, & contradicentia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Decimatertia.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia in eodem libro, capite quinto, iuxta citationem Gaſſendi, vel iuxta noſtram in Summa tertia capite primo diuidit motus oppoſitos dicens, quod contrarij motus, vel ſunt ex eodem in idem, vel ex contrarijs, vel in contraria, vel ex contrario ei, qui eſt in contrarium, vel ex contrario in contrarium ei, qui eſt ex contrario in contrarium.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, quod, cum Gaſſendus in hac accuſatione nihil aliud obijciat Ariſtoteli, niſi quod prædictis modis diuidit motus oppoſitos, propterea illud ſolum præſtare oportet, vt pateat, Ariſtotelem non ab re, neque inſufficienter diſtribuere prædictis modis motus oppoſitos.

Dicimus ergo primo loco, quod Ariſtoteles iure optimo ſermonem inſtituit de contrarietate motus. Cum enim agere debuerit de motu in communi, ſiue in genere, quo pacto acceptum definiuit in tertio Phyſicorum textu ſexto, efficere non potuit, quin poſtea pertractaret de ſpeciebus eius, deque proprietatibus eiuſdem.

De ſpeciebus quidem, quia non poteſt genus aliquod, vel quod eius locum tenet, probè noſci, niſi cognitæ fuerint ſpecies illius, ob id agit de ſpeciebus motus, vt de accretione, & decretione, de alteratione, & de motu ſecundum locum.

De his namque Ariſtoteles non loquitur propter ſe, ſed tantum propter motum; ſi quidem agere de ſpeciebus motus in particulari, non eſt huius loci, ſed ſpectat ad alios libros peculiares, vt de motu ad locum, ad libros de Cœlo: de accretione verò, & decretione, ac de alteratione, ad libros de ortu, & interitu.

De proprietatibus autem, quia hæ conſequuntur naturam, & eſſentiam rei. Quoniam ergo vnitas, & contrarietas affectiones quædam ſunt, motui conuenientes, idcirco Ariſtoteles, expoſitis ſpeciebus motus, diſſerit de his paſſionibus eiuſdem, & primùm quidem de vnitate, quæ rei naturam intimius comitatur, deinde verò de contrarietate, vndè apparet, quod ſicut Ariſtoteles opportunè hìc verba facit de oppoſitione, ſeu contrarietate motus, ita opportunè diuidit motus oppoſitos.

Dicimus inſuper, quod Ariſtoteles exactè conſiderat oppoſitio-

nem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

nem, vel contrarietatem in motibus. Hoc autem fiet omnino manifestum, si totam hac de re tractationem ab Aristotele factam in tribus capitibus tertiæ Summæ libri quinti Physicorum contemplati fuerimus.

In primis itaque Aristoteles docet, quinque modis censeri posse, motum esse motui contrarium.

Primo ita, vt motus, qui progreditur ab vno termino, sit contrarius illi, qui tendit ad eumdem terminum, vt si dicamus, motum, qui progreditur à valetudine, contrarium esse illi, qui tendit ad valetudinem.

Secundo ita vt, motus illi sint contrarij, qui progrediuntur á terminis contrarijs, vt si dicamus, calefactionem, & frigefactionem esse motus contrarios, quia progrediuntur à frigiditate, & calore, qui sunt termini contrarij.

Tertio ita, vt motus illi sint contrarij, qui terminantur ad terminos contrarios, vt motus valetudinis, & ægritudinis dici possunt contrarij, quia terminantur ad valetudinem, & ægritudinem, qui sunt termini contrarij.

Quarto ita, vt motus illi sint contrarij, quorum vnus progreditur à termino contrario, & alius tendit ad terminum contrarium, vt si dicamus, motum progredientem à valetudine, ac motum terminatum ad morbum esse contrarios.

Quinto ita, vt motus ille, qui fit à contrario in contrarium, aduersetur illi, qui fit ab alio contrario in contrarium ordine inverso, vt si dicamus, motum á valetudine in morbum esse contrarium illi, qui est â morbo in valetudinem. Hoc supposito, Aristoteles dicit, quod motus propriè loquendo dicuntur esse contrarij tertio, & quinto modo; non autem alijs modis.

Ratio primi est, Primò quia mutatio differt à motu, quatenus mutatio fit inter extrema contradicentia; motus verò inter extrema, quæ ambo affirmant, nempe à subiecto in subiectum, quæ tamen sunt inter se contraria, ergo necesse est, motus contrarios fieri ab extremis affirmantibus contrarijs inter se ad extrema affirmantia contraria: Secundò quia si percurramus omnes motus contrarios, videbimus, eos esse contrarios quinto modo, vt sanatio, & ægrotatio sunt motus contrarij, sanatio quidem à morbo ad valetudinem; ægrotatio autem à valetudine ad morbum. Tertius verò modus reuocatur ad quintum, secus cõuenit potius mutationi, vt ortui, quàm motui. Namq; mutationes ex non albo in album, & ex non nigro in nigrum, sunt ad contraria; non

tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tamen sunt motus, sed mutationes], & ortus, quoniam explicantur per extrema contradicentia.

Ratio secundi constabit ex confutatione ipsorum modorum.

Primus reijcitur. Quia conuenit solis mutationibus [videlicet generationi, & corruptioni, in quibus nihil est contrarium. Ut in substantia mutationes sunt contrariæ primo modo, nimirum ex eodem in idem, vt mutatio ex non esse, quæ est ortus, est contraria mutationi ad non esse, quæ est interitus. Et mutatio ex esse, quæ est interitus, est contraria mutationi ad esse, quæ est ortus.

Secundus reijcitur. Quia motus potius sunt contrarij hoc ipso, quod fiunt ad contraria, quàm quod oriantur à contrarijs. Nam sicuti motus accipiunt appellationem, & speciem ab extremis, in quæ feruntur, vt sanatio dicitur esse motus ad sanitatem, & ægrotatio ad ægritudinem, ita debent ab ijsdem accipere contrarietatem, & repugnantiam.

Quartus reijcitur. Quia hoc modo motus non sunt contrarij, sed ijdem. Idem enim est motus à valetudine, & ad morbum, solaque ratione differunt, quatenus motus à valetudine significat interitum valetudinis; motus autem ad morbum denotat morbi generationem. Ipse tamen motus est vnus, & idem re.

Quapropter ex dictis plane liquet, Aristotelem non defecisse in exponendis motibus oppositis, sed potius eos ita nobis manifestasse, vt non reprehensionem, sed summam gratiarum actionem promeruerit.

Accusatio Decimaquarta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia libro sexto Physicorum Summa prima proponit quæstionem generalem de compositione continui ex insectilibus, & tamen probat de sola linea].

Neque verò adhuc de linea concludit, sed de solis punctis, quod nimirum continua non sint.

Deindè absurde postulat, quod probare potius deberet, inter quælibet duo puncta intercipi lineam.

Ineptè quoquè pro absurdo ponitur, quod continuum sit finitè diuiduum; cum enim hoc sit in quæstione, adhuc non probauit oppositum.

Maſ-

Maſſeus diſſentit,& reſpondet animaduertẽdo,quod cum hæc accuſatio quatuor contineat capita, ſingillatim hæc omnia diſcutienda ſunt.

In primo dicitur, quod Ariſtoteles vniuerſaliter quærit de continuo, an componatur ex indiuiſibilibus? Poſtea verò particulariter probat de ſola linea, quod non conſtat ex indiuiduis.

Ad hoc reſpondetur negando, Ariſtotelem demonſtrare de ſola linea, quod non coaleſcat ex impartibilibus. Nam id oſtendit de continuo vniuerſaliter, vt clare docet Vicomercatus in expoſitione primi capitis libri ſexti Phyſicorum, cuius verba ſunt hæc. *Volens Ariſtoteles demonſtrare, motum ex partibus diuiduis, non ex indiuiduis conſtare, de magnitudine, ſuper quam fit motus, imo vero de continuo in vniuerſum, hoc ipſum demonſtrandum primùm exiſtimauit, ſiquidem motus, vt in tertio libro dictum eſt, in continuorum genere habetur. Ita autem monſtrat, continuum nullum ex indiuiduis conſtare, vt à magnitudine exordiatur, deinde ad motum tranſeat, demum in tempore, in quo fit motus, demonſtrationem concludat, vt nullum reſtet continuum, de quo demonſtratio non fiat. Hæc namque tria, & non aliæ continua ſunt, magnitudo (ſub qua comprehenditur linea) motus, & tempus*, Ita conceptis verbis loquitur Vicomercatus.

Quare conſtat, falſum eſſe quod Gaſſendus in primo accuſationis capite pronunciauit, vt verum. Quin etiam Ariſtoteles ipſe aperte indicat, ſe loqui vniuerſaliter de continuo, vt patet ex textu tertio, vbi ait. *Sed nullum eſt continuorum in impartibilia diuiſibile*.

In ſecundo dicitur, quod Ariſtoteles non concludit de linea, vt concludere debebat, quod non conſtet ex indiuiſibilibus, ſed ſolum concludit de punctis, quod continua non ſint.

Ad hoc reſpondetur negando, quod Ariſtoteles non concludat propoſitam aſſertionẽm de linea. Etenim ad probandum, quod continuum non componitur ex inſectilibus, tres adhibet rationes, quarum duæ concludunt de linea; tertia verò de continuo in communi, vnde ſequitur contra Gaſſendum, ab Ariſtotele fieri vtrumque eorum, quæ Gaſſendus inficiabatur; cum demonſtret de linea, & de continuo vniuerſaliter. Et ne hoc gratis dictum videatur, oportet afferre tres prædictas rationes, quarum

Prima talis eſt. Si linea conſtaret ex punctis, quæ ſunt indiuiſibilia, vel hæc eſſent inter ſe continua, vel contigua. Neutrum horum dici poteſt, ergo linea non conſtat ex punctis. Aſſumptũ patet ex eo, quia quinto Phyſicorum dictum eſt, continua eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

illa, quorum extrema ſunt idem; contigua vero eſſe illa, quorum extrema ſunt ſimul. Sed puncta non habent extrema; cum potius ipſa ſint extrema, vt conſtat ex definitione lineæ, quæ eſt longitudo ſine latitudine, cuius extrema ſunt duo puncta, ergo puncta non ſunt continua, neque contigua.

Secunda talis eſt. Si linea conſtaret ex punctis, hæc ſe tangerent. Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Falſitas ita ſuadetur. Si puncta ſe tangerent, totum punctum tangeret totum, non autem pars partem, vel pars totum (punctum enim cum ſit indiuiſibile, partibus caret) Atqui hoc modo nullum faceret continuum. Nam omne continuum habet partem poſt partem. Si vero totum punctum tangeret totum, non eſſent partes diſtinctę, quoniam duo puncta facerent vnum punctum. Quare puncta ſe tangere nequeunt, ideoque linea ex ipſis conſtare non poteſt.

Tertia talis eſt. Si continuum conſtaret ex indiuiduis, diuideretur in indiuidua. Nam vnumquodque compoſitum diuidi poteſt in ea, ex quibus compoſitum eſt. At hoc fieri non poſſe deducitur ex definitione continui, quod ſolet á Mathematicis definiri, vt ſit diuiſibile in ſemper diuiſibilia. Igitur continuum conſtare non poteſt ex indiuiſibilibus.

In tertio dicitur, quod Ariſtoteles inconuenienter petit, quod eſſet ab eo probandum, videlicet inter quælibet duo puncta intercipi lineam. Ad hoc reſpondetur, falſum eſſe, quod Ariſtoteles gratis accipiat, quod eſſet probandum. Nam ex prima ratione ſuperius adducta conſtat, puncta non poſſe eſſe continua, neque contigua, vnde oportet, inter illa dari mediam lineam, quemadmodum inter momenta temporis, ob eandem rationem, eſt medium tempus.

In quarto dicitur, ineptè poni pro abſurdo, quod continuum ſit finitè diuiduum, quia nondum probauit oppoſitum, & circa hoc verſatur quæſtio.

Ad hoc reſpondetur, oppoſitum ſatis eſſe manifeſtum ex definitione continui, vt optime animaduertit D. Th. in explicatione tertij contextus quinti libri Phyſicorum, quam quidem continui definitionem iam conſtituerat Ariſtoteles in tertio libro Phyſicorum textu primo, & ideo hic non inepte ponitur pro abſurdo, quod continuum ſit finitè diuiduum, neq; oportebat oppoſitum demonſtrare; cum hoc ſufficienter perſpicuum ſit ex ipſa definitione continui, vt iam diximus.

Accu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Decimaquinta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia libro septimo Physicorum capite 3. excludit ab alteratione figuras, & habitus. Quonam ergo genere motus acquirentur? Non generationis. Non lationis. Non accretionis, præter quos non est alius, nisi alteratio.

Maffeus dissentit, & vt manifestũ euadat, Aristotelẽ in septimo Physicorũ, Sũma tertia cap. 2. summo iure ab alteratione semouisse figuras, & habitus, nec non vt in cõfesso sit, quonã genere motus acquirantur, respondet operæ precium esse in quæstionẽ vocare doctrinã Aristotelis loco citato asserentis, alterationẽ fieri solum ad qualitates tertię speciei; de hac enim assertione dubitare cõtingit.

Primo quia vbi est vera contrarietas, ibi dari debet alteratio. At in habitibus datur vera contrarietas, ergo in habitibus est alteratio, ideoque nedum in tertia, sed etiam in prima specie qualitatis, in qua sunt habitus. Minor propositio probatur. Nam assensus ipsorum habituum sunt contrarij, vt assensus opinionis, & scientiæ, quorum vnus est ineuidens, alter autem euidens. In vitiis quoque datur vera contrarietas, quippè duo vitia opponuntur vni virtuti, vnum secundũ excessum, & aliud secundũ defectum, vt sunt prodigalitas, & auaritia, quæ opponũtur liberalitati; prodigalitas quidẽ secundũ excessum; auaritia verò secundum defectum.

Secundo quia durities, & mollities continentur in secunda specie qualitatis; cum sint quædam potentiæ naturales, quibus molle facile cedit, & durum facile resistit, & ad istas qualitates datur motus, ergo motus fit etiam ad secundam speciem qualitatis.

Tertio quia non videtur fieri motus ad tertiam speciem, vt ait Aristoteles, quoniam calor, & frigus continentur in tertia specie qualitatis, quippe sunt qualitates patibiles. Ad huiusmodi autem qualitates non esse motum, colligitur ex eo, quod in igne calor nõ sequitur alterationẽ, sed generationẽ, & frigiditas aquæ comitatur ortũ illius. Non ergo ad tertiam speciem est alteratio.

Quarto quia ex eo ad alias species nõ datur alteratio, quo l sequũtur motus patibiliũ qualitatũ, vt ad sanitatem nõ datur alteratio, quoniam consequitur motum terminatum ad aliquam ex primis qualitatibus; cum sanitas consistat in simetria humorum, & proportione, seu mediocritate primarum qualitatum. Sed ex patibilibus qualitatibus permultæ sequuntur motũ terminatum ad alias primas, vt patet de coloribus, odoribus, & saporibus, prouenientibus

ex motu qui terminatur ad variam permixtionem caloris, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis, ergo motus alterationis non terminatur, nec est ad qualitates tertiæ speciei.

Pro solutione huius difficultatis nosse oportet.

Primo quod alteratio est duplex. Vna communiter dicta, quæ nimirum est motus tendens ad receptionem alicuius qualitatis, siue fiat per expulsionem contrarii à subiecto, siue non: siue forma, quæ recipitur, intendatur, & remittatur, siue non, qua ratione Aristoteles in septimo Physicorum capite 2. inquit, sensus alterari, quando à suis obiectis immutantur, quia recipiunt ipsorum imagines, quamvis nullum inde contrarium explodatur, nullamque intensionem, & remissionem hæ imagines recipiant. Altera propriè sumpta, siue legittima, qualis est illa, quæ terminatur ad qualitatem, quæ habet contrarium positiuum, nec non intenditur, & remittitur, neque introduci potest alio modo, quàm per physicam expulsionem contrarii. Cum enim illa sit species motus physici, qui fit inter contraria positiua (nam est mutatio de contrario in contrarium, vt Aristoteles docuit in quinto Physicorum) ideo ipsa quoque alteratio erit de contrario in contrarium, sicque tendet ad formam contrariam, & quæ nequit alio modo, quàm per expulsionem formæ contrariæ introduci, ac recipiet magis, & minus. Hanc vero alterationis diuisionẽ docuerunt grauissimi Viri, & præ cæteris D. Th. quæst. de virtutibus in cõmuni, articulo 11. nec nõ Simplicius lib. 2. de Anima text. 58.

Secundo quod patibiles qualitates aliquando sequuntur ortum substantię, vt quando generatur ignis, illius ortum comitantur caliditas, siccitas, raritas, tenuitas, leuitas, & alię qualitates. Aliquando etiam sequũtur motum alterationis, vt quando generatur calor in aqua, ille namq; prouenit ex calefactione, quę est motus alterationis. His itaq; pręacceptis, ponuntur tres cõclusiones, quarũ

Prima est. Neque ad primam, neque ad secundam, neque ad quartam speciẽ qualitatis datur per se alteratio vera, & proprie dicta.

Non ad primam, in qua sunt habitus, & dispositiones corporales, & intellectuales, & morales. Quod enim in habitibus corporis, vt sunt agilitas, sanitas, robur, pulchritudo &c. non sit per se alteratio, Aristoteles in septimo Physicorum ita demonstrat. In relatione non est alteratio; cum in ea non sit motus, vt dictum est in quinto Physicorum. Sed isti habitus corporei dicunt relationem, ergo in eis non potest esse alteratio, quę est verus motus. Minor fit nota ex definitionibus prędictorum habituum.

Agi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Agilitas enim dicit respectum ad opus expeditum, quippe ille dicitur agilis, qui expedite se mouet ad aliquid agendum. Et sanitas dicit adęquationem humorum, quę adęquatio est relatio; cum significet respectum ad id, cui aliquid adęquatur. Et pulchritudo dicit debitam proportionem omnium membrorum, quę quidem proportio est relatio, idemque dicatur de alijs. Quare in habitibus corporis non est per se alteratio.

Quod in habitibus moralibus, vt sunt fortitudo, tẽperantia, iustitia &c. nõ sit per se alteratio, probatur, supposito prius, quod virtus est quędã perfectio ipsius hominis virtute prędíti. Nã virtus ex 2. Ethic. est habitus bonus, qui bonum facit habentem, & opus suum reddit bonũ, ideoq; perfectum. Tunc arguitur sic. Virtus perficit hominem virtute prędítum, vt patet ex hyppothesi, ergo quando recipitur virtus, nõ est alteratio in homine studioso. Consequẽtia deducitur ex eo, quod quando aliquid proprie loquendo alteratur, non perficitur, si quidem tunc vere fit alteratio, quãdo in subiecto recipitur qualitas disconueniens, vt quando homo infirmatur. Cũ itaq; vanum sit dicere, subiectum alterari, quando perficitur, ob id sicuti per virtutem aliquid perficitur, ita per illã non alteratur.

Sciendum tamen est, quod antequam recipiatur virtus, præcedit aliqua alteratio in appetitu sensitiuo, qua homo disponitur ad recipiendam virtutem. Nam secundum Stoicos oportet, omnem passionem remoueri ab appetitu sensitiuo, quia dicebant, virtutem esse quandam impassibilitatem, idest remotionem omnium passionum. Vel secundum Peripateticos necesse est, passiones coerceri, quia dicunt, virtutem esse medium inter duo extrema, vt fortitudo est medium inter timorem, & audaciam. Sed passiones non possunt remoueri, nec etiam temperari sine alteratione. Igitur ad hoc, vt recipiatur virtus in homine, debet in eo præcedere aliqua alteratio. Tandem quod non sit alteratio per se in habitibus intellectus, vt sunt scientia, sapientia, prudentia &c. probatur sic. Id, quod recipitur in intellectu per solam quietationem, & residentiam motuum inordinatorum, qui sunt in homine, non recipitur per alterationem. Sed scientia, & sapientia recipiuntur in intellectu per quietationem passionum, & residentiam motionum, quæ sunt inordinatæ. Igitur habitus intellectuales non recipiuntur in intellectu per alterationem. Minor propositio manifestatur à signo. Nam si quis iam acquisita scientia, inebrietur, aut infirmetur, aut opprimatur magna tristitia, non potest vti scientia iam acquisita. Cum verò motus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ebrietatis quieuerit, & sanus erit, aut à calamitate liberabitur, tunc veluti quiescens vti poterit scientia acquisita, ergo signum est, quod scientia fit, quiescentibus motibus, & passionibus.

Non fit per se alteratio in secunda specie qualitatis, quæ est potentia, vel impotentia naturalis. Quia tales qualitates insunt rebus à natura, & consequuntur formam substantialem, vnde per eamdem generationem producitur Socrates, & eius risibilitas. Potius ergo producuntur generatione, quàm alteratione.

Non fit per se in quarta specie qualitatis, quæ est forma, vel figura. Primo quia id, quod figuratum est, non gaudet amplius eo nomine, quo gaudebat, ante quám figuram acciperet: Quod autem subit alterationem, eamdem retinet appellationem. Etenim quando aes in statuam, cera in pyramidem, & lignum in lecticam efformatur, non dicitur amplius aes, non cera, non lignum. At si aes, cera, lignumue humectetur, durescat, aut siccitatem acquirat, aes humidum, ceram duram, lignum siccum vocamus.

Secundo quoniam alteratio proprie dicta fit ad qualitatem. Figura vero respicit quantitatem, licet respectu denominationis, qua dicitur aliquid figuratum, collocetur inter species qualitatis.

Secunda est. Omnes istæ qualitates comparantur per alterationem communiter dictam. Quia comparantur per mutationem quandam, per quam aliquid recipitur in subiecto. Atqui alteratio communiter sumpta est mutatio, per quam aliquid recipitur in subiecto, ergo comparabuntur per alterationem communiter dictam, vnde acquisitio habitus, vel corporis, vel animi, dicetur alteratio communis, idemque sentiendum est de inductione imaginis, & figuræ in lignum, vel aes.

Tertia est. Vera, & propria alteratio tantũ est ad qualitates tertię speciei. Sic iuxta doctrinam Aristotelis bene intellectam sentiunt
Ferrariensis quęst. 4. in septimum Physicorum.
Chrysostomus Iauellus quęst. 5.
Magister Soto quęst. 1.
Verracruce speculatione 1.
Iandunus quęst. 6., & 7.
Toletus quęst. 3.
Et Magister Bañes libro 1. de generatione cap. 4. quęst. 4.

Ratio autem est. Quia in patibilibus qualitatibus reperiuntur omnia, quę ad hanc alterationem sunt requisita.

Primo enim sunt inter se contrarię, vt frigiditas, & caliditas: humiditas, & siccitas: dulcedo, & amaritudo: albedo, & nigredo, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundo vna earum non poteſt in ſubiectum introduci, niſi per phyſicam expulſionem alterius; non enim introducitur frigiditas in manum, niſi prius expellatur caliditas.

Tertio tandē omnes aptæ natæ ſunt ſuſcipere intenſionē, & remiſſionē. Frigiditas enim aliquãdo eſt maior,& aliquãdo minor, idēq; dicatur de alijs patibilibus qualitatibus. Has vero diximus eſſe cõditiones requiſitas in forma, vt ad illam terminari poſſit motus alterationis proprie dictæ. Igitur alteratio proprie dicta terminabitur ad qualitates tertiæ ſpeciei.

Pro maiori autem explicatione veritatis, animaduertendum eſt.

Primo quod hoc non eſt ita intelligendum, quaſi omnis patibilis qualitas acquiratur per alterationem, quia multæ comparantur per generationem, non verò per alterationem; ſed ita eſt accipiendum, vt intelligamus, hunc motum non poſſe terminari ad alias qualitates, quàm ad patibiles, vnde hoc erit proprium harum qualitatum primo modo, terminare alterationem, quia competit ſolis, non tamen omnibus. Caliditas enim in igne, frigiditas in aqua, candor in niue, & nigredo in coruo, licet ſint qualitates patibiles; non tamen ob id comparantur per alterationem, ſed per generationem horum ſubiectorum, quæ primo terminatur ad ipſa ſubiecta, & deinde ad hæc accidentia.

Secundo quod ex qualitatibus, quæ per alterationem comparantur, quædam primo terminant illam, vt ſunt primæ, & permultæ ex ſecundis, vt quando paries dealbatur; tunc enim hic motus primo tendit ad albedinem. Aliæ verò non primo eam terminant, ſed ſecundariò, vt quando ſecundæ conſurgunt per motum terminatum ad primas; tunc enim alteratio primo terminatur tantummodo ad primas, & ſecundario ad ſecundas, vt ad odores, colores, ſapores, raritatem, denſitatem, duritiem, & mollitiē, necnon ad alias huiuſmodi, quæ oriuntur ex primis, & ex varia earum permixtione. Omnes tamen per ſe terminant huiuſmodi motum.

Tertio quod ſoluendæ ſunt aliquæ dubitationes, quarum

Prima eſt huiuſmodi. In acquiſitione ſcientiæ, vt experientia teſtatur, eſt maximus labor, & tantus, vt aliquando addiſcens ægrotet, aliquando capite doleat, & grauetur, ergo Ariſtoteles non bene dixit, in acquirenda ſcientia non eſſe alterationem.

Reſpondetur cum D. Th., & cum Chryſoſtomo Iauello, quod ſubiectum receptiuum alicuius accidentis eſt triplex.

Primum eſt, quod ita ſe habet, vt ſit ſufficienter diſpoſitum, nul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

lumque in eo impedimentum inueniatur, & tunc ſtatim recipit accidens, ſicut aer ſerenus eſt ſufficienter diſpoſitus ad lumen, & ideo ſtatim recipit illud ad præſentiam corporis lucidi.

Secundum eſt, quod ita ſe habet, vt non ſit diſpoſitum ad recipiendum accidens, ſed indiget alteratione, qua diſponatur, ſicuti ſtannum ſecundum ſe non eſt diſpoſitum ad formam laternæ, ſed indiget liquatione, & calefactione, vt recipiat illam formam.

Tertium eſt, quod ita ſe habet, vt ſecundum naturam ſuam diſpoſitum ſit ad recipiendum accidens, ſed propter aliquod extrinſecum impedimentum prohibetur, quo minus illud recipiat, vt cum aer eſt plenus nebulis, eſt quidem diſpoſitus ex ſe ad recipiendum lumen, ſed tamen indiget aliqua præcedente alteratione, per quam remoueatur tale impedimentum, puta calefactione Solis nebulas reſoluentis.

Sic ergo accidit humano intellectui, qui quidem ex ſe ipſo eſt aptus, atque diſpoſitus ad recipiendam ſcientiam, ſed quia homini plura inſunt impedimenta, quibus prohibetur, ne ſcientiam recipiat (ſunt autem impedimenta, motus corporis, infirmitas, debilitas ſenſuum, impetus paſſionum &c.) ideo indiget aliqua præcedente alteratione, qua remoueantur hæc impedimenta. Dicendum eſt igitur ad argumentum, quod ille labor, aut infirmitas non eſt ex parte intellectus, ſed ex parte corporis corruptibilis, atque alterabilis.

Secunda talis eſt. Cum prædicamenta ſint impermixta, & habitus ab Ariſtotele ponitur in prima ſpecie qualitatis, non poſſunt eſſe in prædicamento relationis, vnde non videtur verum quod hic Ariſtoteles aſſerit, nimirũ in habitibus corporis non eſſe alterationem, propterea quod ſignificant relationem.

Reſpondetur cum D. Th., Simplicio, Auerroe, & Alberto Magno, quod habitus ſunt ad aliquid ſecundum dici, & ob id ſignificant duo, videlicet qualitatem, & habitudinem ad aliud. Ratione primi ſunt in prædicamento qualitatis. Ratione ſecundi ſunt in categoria relationis. Non eſt autem inconueniens, quod idem reſpectu diuerſorum ſit in diuerſis prædicamentis.

At quis forte inſtabit dicendo. Ariſtoteles ad probandum, quod in habitibus corporis non eſt per ſe alteratio, ſic argumentatus eſt, ſcilicet. Ad relationem non eſt motus, neque alteratio. Sed iſti habitus corporales, nempe ſanitas, pulchritudo, robur, & agilitas conſiſtunt in relatione. Igitur in eis non poteſt eſſe alteratio. Modo iſtud argumentum nullius roboris eſſe videtur.

Quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Quia vel Ariſtoteles in maiori propoſitione loquitur de relatis ſecundũ eſſe, vel de relatis ſecundũ dici. Si de primis, falſa eſt minor; nam ſanitas, & pulchritudo nõ ſunt relata ſecundũ eſſe, ſed ſolũ ſecundum dici, ſecus non eſſent qualitates. Si de ſecundis, neganda videtur maior, tamquã falſa. Quia, cum huiuſmodi relata ſint etiã entia quædam abſoluta, cur, vt ſic, non poterunt alterari?

Reſpondetur cum Didaco Maſio, Ariſtotelem locutum eſſe de omnibus relatis; intelligenda tamen eſt propoſitio de termino primo, & per ſe, ita vt ad relationẽ primo, & per ſe non poſſit fieri alteratio. Et quamvis relata ſecundum dici ſignificent naturas abſolutas; nõ tamen propterea fit, vt ad illa detur primo, & per ſe motus. Nã ſecundæ qualitates, vt albedo, & nigredo, lenitas, mollities, durities, & aliæ huiuſmodi sũt entia abſoluta, & tamen ad has nõ terminatur primo, & per ſe motus, qui primo terminatur ad qualitates primas, vt ad calorem, frigiditatem, ſiccitatem, & humiditatem, ex quarum varia combinatione, ac proportione oriuntur iſtę ſecundæ. Itaque dum Ariſtoteles ait, ad relationem non dari alterationem, intelligendus eſt de primo, & per ſe termino illius, quaſi alteratio non per ſe primo terminetur ad ipſam; non autem de ſecundario; ita enim poterit terminare motum alterationis; cum hæc fieri poſſit ad fundamentum relationis.

Tertia talis eſt. Duo illa ſigna, quibus Ariſtoteles vſus eſt ad oſtendendum, quod in habitibus intellectus non poteſt eſſe per ſe alteratio, quorum vnum accepit ab ebrijs, & nos etiam ſuperius adhibuimus; alterum à pueris, non videntur eſſe conſimilia. Nam ebrijs, & dormientibus, aut morbo aliquo laborantibus iã ineſt habitus ſcientiæ. Pueris autem, & ijs, qui nondum ſibi compararunt ſcientiam, nullus ineſt habitus, ſed eſt adhuc acquirendus, ergo valde diſſimilia ſunt, vt propterea non videantur ſimul adhiberi poſſe ad idem comprobandum.

Reſpondetur, ſimilitudinem in eo poſitam eſſe, quod quemadmodum in ebrijs, aut morbo laborantibus, ſedatis paſſionibus, recuperatur vſus ſcientiæ ſine commutatione ſcientiæ; præcedente tamen commutatione corporis, qua ſedantur paſſiones, & tollitur impedimentum conſiderationis, ita in pueris, qui ſcientiam addiſcunt, ſemotis impedimentis, & affluente illo humore magna ex parte conſumpto, imprimitur ſcientia ſine vlla commutatione animi, corporis tamen, & ſenſuum commutatione præcedente.

Quarto quod oportet ſatisfacere argumentis iam adductis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Ad primum respondetur negando minorem. Non enim habitus, & actus eorum se mutuo expellunt per veram, & legittimam actionem, ac passionem physicam ab eodem subiecto, quod necessarium est ad veram contrarietatem, & ad alterationem propriè dictam, sed talis contrarietas designat quandam incompossibilitatem eorum in eodem subiecto, quatenus in eo nequeunt cohærere.

Ad secundum cum Ferrariensi loco citato in responsione ad primum, dicitur, duobus modis posse aliqua vocari dura, & mollia. Primo aliena siccitate, atque humiditate, quæ scilicet est extrinseca naturæ rei, & non manat ab ea, sed ab aliqua causa externa, qua ratione pertinent ad patibiles qualitates, & sic ad illas est alteratio: Secundo propria siccitate, ac humiditate, quo pacto reuocantur ad secundam speciem qualitatis. Nam sunt quędam potentiæ, ac impotentiæ naturales, & hoc modo ad illas non est alteratio, quia comparantur per ortum subiecti, qui primo tendit ad ipsum, & secundariò ad has facultates, tamquam ad proprietates naturales.

Ad tertium iam dictum est, hoc non conuenire omni qualitati, sed soli. Quod ergo motus alterationis terminetur ad patibiles qualitates, competit solis patibilibus qualitatibus, at non omnibus, sed illis, quæ per motum accidentarium comparantur. Calor autem in igne non acquiritur per motum accidentarium, sed per ortum ignis, qui primo terminatur ad ignem, & secundario ad calorem. Conueniet igitur calori, quando acquiritur per calefactionem, vt quando producitur in ligno, aut in aqua.

Ad quartum dicitur, secundas qualitates eiusdem esse generis, & ordinis cum primis, ideoque debent introduci per eumdem motum, per quem introducuntur primæ, quamvis ille primo terminetur ad primas qualitates, & deinde ad secundas. Verum habitus, dispositiones, & figuræ non sunt eiusdem generis proximi, & eiusdem ordinis cum primis, & patibilibus qualitatibus, vnde non acquirentur per se per alterationem, sed per alias mutationes diuersas. Constat ergo ex his, non sine ratione Aristotelem separasse habitus, & figuras ab alteratione proprie sumpta, quam solam respiciebat. Ostensum est etiam, quomodo, siue quo genere motus comparentur, adeo vt omniquaque satisfactum sit dubitationi, quam Gassendus aduersus Aristotelem excitauit.

Ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Decimaſexta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia octauo libro Phyſicorum capite primo iuxta citationem Gaſſendi, rationes profert omnino inſufficientes pro æternitate motus, quod probandum eſt inferius.

Maffeus diſſentit, & breuibus reſpondet dicendo, quod cum Gaſſendus in nullo iſtorum trium Operum, quorum conſiderationem ad ſeipſum in ſuo munere ſpectare prædixit, & in quibus tantummodo ſe verſaturum eſſe pollicitus fuit, prædictam afferat probationem, propterea nihil amplius ſibi dicendum ſupereſt, niſi quod alijs hoc onus relinquit, qui alias Ariſtotelis tractationes interpretantur.

Accuſatio Decimaſeptima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia ibidem capite quinto ex eo, quod ipſe probat æternitatem mobilis ex æternitate Motoris, conſtat, poſſe inferri, quæcumque nunc generantur, vel mouentur in his inferioribus, æterna eſſe, quia ſcilicet generantur, vel mouentur à Cœlo, vel Deo, qui Motor æternus eſt.

Maffeus diſſentit, & reſpondet negando conſequentiam. Ratio autem negationis eſt. Quia de prædicta illatione non poteſt idem fieri iudicium reſpectu ſuperiorum, & reſpectu inferiorum. Nam in ſuperioribus quidem valida eſt. In inferioribus verò non valet.

Primo quia in ſuperioribus primum mobile proxime, ſeu immediate mouetur à Primo Motore ſine vllo prorſus labore, vel defatigatione, tã ex parte mouẽtis, quã ex parte mobilis. Ex parte mouentis quidem. Quia primus Motor nullo modo mouetur, nec per ſe, nec per accidẽs, ſed eſt omnino immobilis, vt docuit Ariſtoteles 8. Phyſicorum Summa tertia capite 5. Ex parte verò ipſius mobilis, quia hoc regulariter mouetur; cum feratur motu circulari, quem ſolum eſſe regularem, & vniformem tradidit Ariſtoteles in eodẽ 8. libro Phyſicorum t. 76., vnde non mirum, ſi ex æternitate pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

mi Motoris in ſuperioribus inferre liceat æternitatem primi mobilis; nihil enim inter iſta duo medium reperitur, quod impediat æternitatem ipſius mobilis. Cęterum hęc mobilia inferiora proxime mouentur á ſecundis cauſis, ſiue à mouentibus particularibus, quę ſicuti mota mouent, aut per ſe, aut ſaltem per accidens, ita mouent irregulariter, & aliquando etiam violenter, ideoque impedimento ſunt, quominus integrum ſit ex ęternitate primi Motoris deducere perpetuitatem iſtorum mobilium inferiorum.

Secundo quia in ſuperioribus datur motus æternus, qualis eſt latio circularis, vnde ſicut motus in communi, qui per Ariſtotelem 3. Phyſicorum textu 18. eſt actus mobilis, & ab ipſo motiuo, reſpicit duo, nempe motiuum, tanquam principium, à quo procedit, & mobile, tamquam ſubiectum, in quo recipitur, & debet eſſe vtrique proportionatus; ita in ſpecie motus æternus requirit Motorem æternum, & mobile ſimiliter ęternum. Quare ſicut ex ęternitate primi Motoris recte infertur ęternitas motus, & ex ęternitate motus, ęternitas primi mobilis, ita de primo ad vltimum ex ęternitate primi Motoris fas eſt procedere ad inferendam ęternitatem primi mobilis. Verum in his inferioribus nullus datur motus ęternus, qui requirat mobile perpetuum, & propterea ex ęternitate primi Motoris in his inferioribus non ſequitur ęternitas motus, ideoque nec ipſorum mobilium, ex quibus minime obſcurum eſt, accuſationem Gaſſendi aduerſus Ariſtotelem non vigere.

Accuſatio Decimaoctaua.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia ibidem capite 7., iuxta citationem Gaſſendi, tres tantum facit ſpecies prioris, & ita ibi deficiunt illę duę, quas adiecit in Organo.

Maſſeus diſſentit, & reſpondet, non ob id Ariſtotelem eſſe dignum accuſatione, quia, vt optime animaduertit Vicomercatus in Commentario textus 56., cum Ariſtoteles multos prioris modos, multaſque ſignificationes in quinto Metaphyſices, atque etiam in Categorijs tradidiſſet, quas omnes retulit Simplicius; nunc tamen eos dumtaxat adducit, qui principem in eis locum habent, adeovt ad ipſos alij prope omnes videantur poſſe reduci, tamquam

quam

quam ad principes, quorum modorum vnus est, quo aliquid alio dicitur prius natura, cum sine eo, quo prius est, potest esse; illud autem sine ipso non potest, quomodo genus natura prius est specie, veluti homine animal, si quidem sine homine animal esse potest, non contra.

Alter est, quo dicitur prius tempore, cum id, quod est prius, antea genitum est, si genitum sit, aut cum omnino in rerum Vniuersitate prius existit.

Tertius est modus, quo essentia, & perfectione aliquid alio est prius, quemadmodum anima prior est corpore.

His igitur tribus modis princeps locus ab Aristotele tribuitur lationi, prætermissis duobus modis prioritatis, de quibus meminit in tractatu postprędicamentorum capite de Priori, quorum vno aliquid appellatur prius dignitate, altero autem dicitur prius ordine. Verum quia ex eo, quod latio est prior cœteris motibus natura, tempore, ac perfectione, facile potest intelligi, eam esse priorem ordine, ac dignitate, quatenus digna censebitur, vt primus ei locus assignetur, ob id Aristoteles omisit hos duos modos prioritatis, quos tamen in postprędicamentis debuit recensere, quia ibi profitetur, ac docet, modos prioritatis esse quinque; cumque sint ab inuicem distincti, propterea ibi debuerunt singuli separatim exponi; cum ex ęo, quod dicitur de vno, non possit colligi, quidnam de alio dicendum sit, sicuti nunc ex eo, quod ostenditur, lationem esse alijs motibus priorem natura, tempore, ac perfectione, deduci potest, ipsam esse priorem ordine, ac dignitate.

Accusatio Decimanona.

GAssendus accusat Aristotelem, quia ibidem capite 9., iuxta citationem Gassendi, probaturus continuitatem, & perpetuitatem lationis, probat solum de primatu eius inter cęteros motus, illam vocans motum simpliciter, reliquas species secundum quid.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem in 8. Physicorum agere solum de primatu motus localis inter alios motus. Nam quod loquatur etiam de continuitate, deque perpetuitate ipsius, constat ex verbis ab eo prolatis in t. 61. eiusdem 8. Physicorum, vbi ait. *Quod igitur latio primus motuum sit, manifestum*

est

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

est ex his. Quæ autem latio prima sit, nunc demonstrandum est. Simul autem & quod nunc, & quod prius suppositum est, quod contingit, quemdam motuum continuum esse, & perpetuum, manifestum erit eadem methodo.

Super quæ verba Toletus inquit. Cum ostendisset, lationem, idest, localem motum esse primum: nunc quæ latio ista sit, inquirit. Nam sunt multæ species motuum localium. Dum autem hoc inquiritur, simul etiam tractabitur, quod talis motus sit perpetuus, & continuus. Nam ille motus localis inter alios primus erit, qui solus potest perpetuus esse, & continuus: ob id probat, nullum motum prȩter circularem posse esse perpetuo continuum, propterea ille solus erit omnium primus, & hoc motu mouebit primus Motor. Patet ergo, accusationem Gassendi non valere.

Accusatio Vigesima.

GAssendus Accusat Aristotelem, quia primo Physicorum frustra videtur suscipere tractationem de principijs; cum non proponat, quarum rerum sint principia.

Nec tollitur accusatio, si dicatur, quod Aristoteles capite primo id præstitit, dum professus est, se velle determinare illa, quæ sunt circa principia scientiæ de natura

Quoniam adhuc obijcitur dicendo, alia esse principia scientiæ; alia vero esse principia rerum, quæ tractantur in scientia.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod etiamsi Aristoteles ab initio non proposuerit, quarum rerum sint principia, nihilominus tractatio ab eo facta de principijs non est frustra. Nam frustra dicitur esse illud, quod non consequitur finem, propter quem est, sicut frustra dicitur esse calceamentum, cuius non est calceatio, vt habetur primo Cœli t. 32. Sed tractatio de principijs ab Aristotele instituta, consecuta est finem, propter quem habita fuit, quamvis Aristoteles ab initio non proposuerit, quarum rerum sint principia, ergo non est frustra.

Minor propositio probatur. Nam ex ea patuit numerus principiorum, de quibus monstratum est, quod sunt tria in fieri, & duo in facto esse, nec non, quæ sit propria singulorum conditio, vt quod priuatio est non ens, & concurrit ad generationem, tamquam terminus, à quo, ita vt in aduentu formæ recedat à materia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ria, nec maneat in re genita, respectu cuius non est principium per se, sed solum per accidens.

Similiter quod materia est medium subiectum inter formam, & priuationem, æque susceptiuum vtriusque, adeo vt nihil sit actu, sed omnia in potentia, & non solum est principium in fieri, sed etiam in facto esse, adeo vt quemadmodum ex ea, quasi ex primo subiecto fit omne, quod fit, sic in eamdem, velut in vltimum subiectum resoluatur quidquid corrumpitur. Et quod appetat formam, sicuti turpe appetit pulchrum, & fœmina virum.

Denique, quod forma est, quæ perficit materiam, & est terminus, ad quem generationis, nec solum est principium in fieri, sed etiã in facto esse, ac proinde remanet in re genita, & est quid optimum, atque diuinum, appetibile à materia.

Hoc autem fine Aristoteles aggressus est considerationem principiorum, vt numerum, & naturam illorum patefaceret, quem quidem finem cum plene fuerit consecutus, vt ipse testatur in contextu 68. p. Physicorum dicens. *Quot igitur sint principia, & quomodo tot, dictum est*, apparet, huius modi tractationem de principijs non esse frustra.

Accusatio Vigesimaprima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia dato, nec tamen concesso, quod loco superius citato voluerit intelligere principia rerum; attamen videtur esse redarguendus, tamquam diminutus, quia debebat illarum rerum facere aliquam, saltem breuem enumerationem. Et insuper debebat exponere, quid intelligat per naturam, vt sic innotescere posset, de quibus principijs disputandum esset.

Maffeus dissentit,& respondet,nõ solũ dici posse cum Zabarella cõtra Zimarã, quod Aristoteles in 1. cap. primi Physicorũ per principia scientiæ de natura significauit principia essendi, quæ sunt etiam principia cognoscendi,nõ vero illa,quę sunt principia cognoscẽdi tantũ.Re vera enim in primo libro multa docet de materia,& forma,quæ sunt principia essendi; cũ sint principia in fieri,& in facto esse,ex quibus fit cõpositũ naturale, vnde significauit principia rerũ.Sed insuper asserendum est contra Gassendum, quod non ob id Aristoteles est accusandus, vt diminutus, quia non expresserit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſaltem breuiter ea, quorum hæc ſunt principia.

Primo quia in *ipſo* initio Phyſiologiæ Ariſtoteles nec poterat, nec debebat nominare ipſas res, quarum ſunt principia. Nam prius manifeſtanda ſunt principia, deinde principiata.

Secundo quia falſum eſt, id ab Ariſtotele prætermiſſum fuiſſe, quia etiam in hoc exequendo, mirum ordinem, atque artificium ſeruauit, dum prius expoſuit principia rerum, & poſtea in contextu 68. primi Phyſicorum, res, quarum ſunt principia, declarauit, dicens. *Quot igitur ſint principia rerum naturalium, quæ circa generationem, & quomodo tot, dictum eſt*. Deinde in ſecundo libro Phyſicorum, à quo, iuxta doctrinam Auerrois receptam à Zabarella, ſumitur verum initium totius Phyſiologiæ, deſcendit ad particularem rerum naturalium nominationem, exprimens ibi animalia, & plantas, nec non ſimplicia corpora, vel elementa, puta ignem, terram, aquam, & aerem, ſicque bene progreditur à communibus, & vniuerſalibus ad particularia.

Ob eamdem quoque rationem Ariſtoteles in ſecundum librum Phyſicorum diſtulit explicationem naturæ, quia nimirum ſcientia de natura vere incipit à 2. libro, & ideo in eius initio declarandum erat, quid ſit, quidue ſignificet natura; non autem in primo, vt putauit Gaſſendus.

Accuſatio Vigeſimaſecunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia primo Phyſicorum, Summa prima capite tertio tautologiam committit dicens, quod ens non eſt vnum continuatione, vel definitione.

Maſſeus diſſentit, & reſpondet, hoc eſſe falſum. Nam tautologia fit, quando quis vtitur pluribus vocibus idem ſignificantibus. Vnum verò continuatione dicit totum conſtans ex partibus quantitatiuis, vel integrantibus, & vnum definitione ſignificat totum continens partes quidditatiuas, & eſſentiales, quæ duo tota, ſicut & partes ipſorum, denotant aliquid diuerſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Vigesimatertia.

GAssendus accusat Aristotelem, quia in eodem capite inaniter, & frustra laborat circa id, quod vere est, & accidit illi, vel non accidit.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem loco citato, qui iuxta nostram partitionem est contextus 30. primi Physicorum inaniter, & frustra laborare circa id, quod vere est, & accidit illi, vel non accidit. Magis autem hoc in aperto erit, si prædictum contextum attente perpendamus adducendo connexionem ipsius cum superiori, diuisionem eiusdem in suas partes, & singulas partes explicando.

Quo ad primum, connectitur sic. Postquam Aristoteles dixit superius, quod si animal, & bipes essent accidentia respectu alterius, oporteret, hominem quoque accidere alteri, nunc id probat, vnde non laborat inaniter, & frustra; cum id præstet, ne gratis accepisse videatur, quod esset probandum.

Quo ad secundum, diuiditur in duas partes.

In prima ponit rationem ad probandam prædictam illationem.

In secunda tradit, quomodo alij circa rationes Parmenidis, non bene se gesserunt.

In prima ergo parte Aristoteles arguit sic. De quocumque dicuntur partes definitionis, siue coniunctim, siue diuisim, de eodem dicitur etiam id, quod ex illis est definitum. Sed animal, & bipes sunt partes, quæ accipiuntur in definitione hominis, homo autem est definitum constans ex prędictis partibus, ergo de quocumque dicuntur animal, & bipes, de eodem oportet dici hominem, & propterea si animal, & bipes accidunt alijs, homo etiam debet accidere alijs; cumque homo, vtpote substantia non possit accidere alijs, nec etiam partes acceptæ in definitione hominis poterunt accidere alijs, vnde debebunt esse substantiæ, sicque ipsum ens non poterit dici simpliciter vnum, si habeat huiusmodi partes definientes. Vel si concedamus, ei non conuenire vllo modo partes, in quas diuidatur, cogemur admittere, illud omne, quod est, esse de numero indiuisibilium, ne ponentes vnum ens, compellamur ponere multa propter partes.

Animaduertendum est autem, quod quamvis Aristoteles dicat, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

de quocumque prædicantur partes definitionis, siue coniunctim, siue seiunctim, de eodem dicitur definitum; non tamen ob id sequitur, de quocumque dicitur genus, quod est pars definitionis speciei, de eodem dici etiam speciem; nec enim de quocumque prædicatur animal, prædicatur etiam homo, sed dictum Aristotelis ita est accipiendum, vt siue partes definitionis de aliquo enũcientur coniunctim faciendo vnam tantummodo enunciationem, puta Socrates est animal rationale, siue diuisim faciendo duas enunciationes, dummodo tamen semper vtraque pars definitionis affirmetur, puta dicendo, Socrates est animal, Socrates est rationalis, semper necesse sit, de illo eodem enunciari definitum.

In secũda parte Aristoteles ostẽsurus, alios male se gessisse circa rationes Parmenidis, monet, quosdam acquieuisse vtrisque rationibus, vnde sciendum est, quod Aristoteles contra Parmenidem superius duas attulit rationes, quarum

Prima ducebat ad hoc absurdum, quod si omnia essent vnum, sequeretur, quod nõ ens esset ens, si ens significat vnum tantum, puta vel solam substantiam, vel solum accidens.

Secunda verò ducebat ad hoc inconueniens, quod si omnia essent vnum, vel non esset magnitudo, vel si esset, deberet esse indiuisibilis; nam si diuidi posset, iam omnia non essent vnum, sed multa.

Plato itaque quo ad primam rationem concedebat illam propositionem, tamquam veram, videlicet. Non ens est ens. Etenim ponebat, accidens, quod est præter substantiam, esse non ens, ideoque putabat, recte dixisse Parmenidem, quod quidquid est præter ens, est non ens. Quia vero asserebat, accidens esse non ens hoc, scilicet substantiam; non autem esse absolute non ens, idest nihil, propterea volebat, accidens in genere suo esse aliquid, & esse ens, vnde non admittebat cum Parmenide, quidquid est non ens, esse nihil, sicque secundum Platonem non sequebatur, omnia esse vnum, quia præter substantiam, quæ est simpliciter ens, datur etiam accidens, quod est ens secundum quid, & est simul non ens hoc.

Alij verò, inter quos præcipuè fuerunt Zeno, & Xenocrates, acquieuerunt secundæ rationi. Nam admittentes, magnitudinem esse indiuisibilem, negabant diuisibilitatem totius in partes, & statuebant, diuisionem magnitudinum terminari ad indiuisibilia. Ponebant enim, corpora in superficies resolui, superficies in lineas, & lineas in puncta, quæ sunt indiuisibilia; cum careant partibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

vt patet ex definitione puncti. Ex his ergo perspicuum est, Aristotelem loco citato non terere tempus frustra laborando, sed ea docere, quæ non paruam possunt afferre vtilitatem.

Accusatio Vigesimaquarta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia libro 2. Physicorum capite 2. importune declarat discrimen inter methodum Physicá, & Mathematicam; hoc enim potius dicendum fuerat in Prolegomenis huius scientiæ, quàm adeo intempestiue huic loco inserere.

Maffeus dissentit, & respondet, Aristotelem opportune loqui de differentia, quæ reperitur inter Physicam, & Mathematicam, á contextu 16. vsque ad 20. Quoniam hanc differentiam exponere non poterat, nisi post naturæ definitionem, & post explicationem entis à natura, & habentis naturam, idque aperte colligitur ex contextu 18., vbi Aristoteles dicit, quod Mathematicus negociatur de ijs, de quibus negociatur Physicus; non tamen eodem modo; huius autem dicti rationem adducens, asserit, Mathematicum non agere de ijs, quatenus sunt termini corporis Physici, siue naturalis. Quare vt hoc bene intelligeretur, oportebat, prius indicatum fuisse, quid sit corpus physicum, siue naturale, & quomodo appelletur naturale, quæ quidem sine definitione naturæ percipi nequibant, & ideo Aristoteles debuit prius definire naturam, & postea tradere prædictum discrimen, quod supponebat notam naturæ definitionem, vnde gratis Gassendus redarguit Aristotelem, eo quod intempestiue visus fierit hanc differentiam assignare.

Accusatio Vigesimaquinta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia superflue videtur texere tractatum de causis in genere. Quia hoc videtur esse munus alicuius disciplinæ superioris, ac vniuersalioris. Alioquin in qualibet facultate agendum esset de causis in genere. Sicut enim Physica causas aliquas agnoscit, ita & cæteræ scientiæ, vel artes, vel facultates singulæ suas agnoscunt, nec est minor ratio, cur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

in Medicina, aut Architectura generaliter de causis tractetur, quàm in Physica.

Maffeus dissentit, & pro responsione, aduersus hanc accusationem quatuor profert assertiones, quarum

Prima talis est. Tractatio de causis ab Aristotele habita in 2. libro Physicorum, non est superuacanea, sed potius necessaria. Quia, vt docet Zabarella, postquám Aristoteles in 2. libro posteriorum tradidit, omnia genera causarum posse sumi pro medio demonstrationis, debebat in Philosophia naturali (quæ, cum sit scientia, non acquiritur, neque procedit, simpliciter loquendo, nisi per causam) soluere hanc difficultatem, videlicet. Vtrum Physicus demonstret per omnia genera causarum, an vero per aliquod tantum. Ex hac ergo tractatione de causis, quæ propterea censeri debet vtilis, & necessaria; non autem supeflua, patet solutio huius difficultatis, quoniam inde constat, Physicum, etiamsi demonstrare possit per omnes causas; præcipuè tamen demonstrare per finem, tum quia necessitas in rebus naturalibus, quamvis pendeat ex materia; potissimum tamen sumitur â fine: tum quia natura, quidquid facit, propter finem facit.

Secunda talis est. Non satis erat, huiusmodi tractationem fieri ab alia scientia præter Physicam. Quia Physicæ proprium est iudicare de medio Physicæ demonstrationis, ideoque id non potest pertinere ad aliam disciplinam.

Tertia talis est. Gassendus mihi videtur errare, dum ait, Physicam cognoscere aliquas causas. Nam re vera cognoscit omnes, vt clarè monstrat Aristoteles libro 2 Physicorum t. 70. dicens. *Cum autem causæ quatuor sint, de omnibus est Physici cognoscere*, nec sine ratione. Versatur enim circa generationes naturales, in quibus conuenire omnia quatuor genera causarum, perspicuum fit ex consideratione humanæ generationis, in qua pro materia est corpus humanum, pro forma est anima rationalis, pro efficiente, homo generans, & pro fine, productio, siue generatio ipsius hominis.

Quarta talis est. Maior ratio, cur Physicus teneatur agere de omnibus generibus causarum, hæc esse videtur. Quia consideratio omnium causarum summopere coheret considerationi naturę,quę respicit omnes causas. Namque materia, & forma per Aristotelem 2. Physicorum t. 10. dicuntur naturæ; cum vtraque sit per se

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

se intrinsecum, & principale principium motus, & quietis, in quo consistit propria conditio naturæ; materia quidem est principium passiuum; forma verò actiuum. Quod si natura respicit formam, debet etiam respicere finem; tum quia natura propter finem agit: tum quia finis per Aristotelem secundo Physicorum t. 70. est vna, & eadem numero causa cum forma, cui conueniunt attributa causæ finalis; cum sit aliquid vltimum, & bonum; vltimum quidem, quia est terminus, ad quem generationis; bonum verò, quia per Aristotelem primo Physicorum t. 81. est quid diuinum, & appetibile; bonum autem est id, quod omnia appetunt.

Quod verò natura respiciat causam efficientem, colligitur ex eo, quia efficiens est duplex, videlicet. Verum, & proprie dictum, quod agit per veram effectionem. Et metaphoricè, ac impropriè acceptum, quod agit per simplicem emanationem, & vtrumque respicitur ab ipsa natura. Primum quidem, quia, cum sit duplex, nempe naturale, atque artificiale, naturale non dicitur, nisi à natura, & in ordine ad naturam. Præterquamquod efficiēs ab Aristotele in secundo Physicorum t. 29. definitur, vt sit principium, vnde motus. Quemadmodum ergo natura respicit motum, vt patet ex eius definitione, ita respicere debet causam efficientem. Alterum verò. Quia coincidit cum forma, quam diximus esse naturam; forma enim respectu subiecti, vel compositi, cui dat esse, fungitur officio formæ. At respectu accidentiū propriorum, quæ insunt subiecto, exercet munus causæ efficientis per simplicem quamdam emanationem.

Ex his ergo constat cur præcipue Physicus teneatur versari circa omnes causas, quemadmodum etiam Aristoteles in Metaphysica loquitur vniuersaliter de causis, nec ob id est repræhendendus, eo quia multoties moliatur eamdem vniuersalem de causis tractationem, quoniam id præstat sub diuersis rationibus formalibus. Hic enim, vt monstrauimus, agit de omnibus causis propter naturam, vnde in calce contextus 86. secundi Physicorum Aristoteles ait. *Quod igitur causa sit natura, atque ita, vt propter aliquid, manifestum est*. Et propter naturales transmutationes, vt aperte docet libro 2. Physicorum t. 27. Ibi verò loquitur de omnibus causis in ordine ad ipsum ens; tum quia causæ sunt entia, tum quia possunt dici differentiæ ipsius entis, cum ens bene diuidatur, vt vel sit causa, vel causatum, vnde Aristoteles lib. 6. Metaphysicæ capite primo ait. *Principia, & causæ entium quæruntur, & patet, quod prout entia sunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Ne autem hoc ſine aliquo auctore dictum videatur, adduci poteſt teſtimonium Toleti, qui in expoſitione t. 27. ait. Aduerte tamen, quod de cauſis agere & ad Logicum, & ad Phyſicum, & ad Metaphyſicum pertinet, varijs tamen rationibus. Logicus enim, vt patet ex ſecundo poſt. cauſam diuidit, & explicat, licet non proprio habitu, vt ad perfectam pertinet demonſtrationem. Phyſicus vero cauſas, vt ad mutationes pertinent, & ad naturales effectus tractat. Metaphyſicus autem, vt ad eſſe attinent, vt dicit Auerroes in ſecundo Metaphyſicorum Commentario 6. Similiter quia eſſe cauſam eſt vna pars entis excedens res naturales; cum extra naturalia etiam cauſæ ſint, vnde abſolute demonſtrare, quot ſint cauſæ, eſt Metaphyſici, quot vero mutationum cauſæ, Phyſici, quot potiſſimæ demonſtrationis media, Logici.

Accuſatio Vigeſimaſexta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia in ſecundo Phyſicorum Summa tertia, capite primo bis definiendo, & enumerando repetit quatuor genera cauſarum. Et ibidem t. 68. 69., & 70. repetit probationem quaternarij numeri cauſarum, vnde videtur abundare in ſuperfluis.

Maffeus diſſentit, & reſpondet quo ad primam partem accuſationis dicendo, quod Ariſtoteles non ab re ſecunda vice cauſas enumerat; id enim facit. Quia, vt docet Toletus, cum præter illa varia exempla cauſarum, quæ Ariſtoteles poſuit, quando prima vice ipſas enumerauit, alia quoque multa occurrere poſſint, propter quæ forſitan aliquis exiſtimaret, plura eſſe cauſarum genera, ob id Ariſtoteles ad remouendum huiuſmodi errorem, docet, alia etiam exempla cauſarum reduci ad illas eaſdem cauſas, quas ipſe conſtituit, vnde huiuſmodi cauſarum enumeratio repetita in cōt. 31. non debet cenſeri ſuperflua.

Quo ad alteram partem accuſationis reſpondet negando, Ariſtotelem in contextibus 68. 69., & 70. repetere probationem quaternarij numeri cauſarum, vt putat Gaſſendus. Quoniam, vt optime cum Auerroe Toletus animaduertit in explicatione textus 31. Ariſtoteles in præcedentibus non dum declarauit, quot ſint cauſæ, ideoque non monſtrauit, eas quaternario numero compræhenſas eſſe, ſed ſolum illas enumerauit, & poſtea in præcitatis

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

contextibus probat, eas esse numero quatuor, vnde patet, Aristotelem non repetere probationem quaternarij numeri causarũ. Hoc autem confirmari potest ex eo, quod scriptum reliquit Piccolomineus in suis Commentarijs in secundum librum Physicorum. Nam in expositione t. 68., & 69. dicit, quod absoluta explicatione casus, & fortunæ, ac ostenso, ad causam efficientem redigi, adeo vt non constituant distinctum genus causæ, redit ad causarum declarationem, & ea explicat, quæ de illis explicanda remanserunt. Etenim in capite Annotationum docet, primo loco animaduertendum esse, quod Aristoteles prius non ostendit, genera causarum esse quatuor, quoniam adhuc non patefecerat, casum, & fortunam non constituere distinctum genus causæ; id autem cum fecerit, ostendit numerum definitum eorum ratione quadã Logica, quę est confirmatio perspicua, & approbata. Quare iuxta sententiam Piccolominei Aristoteles non repetit prædictam probationem; cum antea illam non fecerit.

Accusatio Vigesimaseptima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia ibidem capite 4., & 6. inepte distinguit fortunam, & casum, cum fortuita accipiantur pro casualibus, & contrà, vt apud Protarchum, quem ipsemet citat.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod si proprie loqui velimus, negandum est, fortuita sumi pro casualibus; licet enim, vt docet etiam Aristoteles libro secundo Physicorum t. 57. casus, & fortuna conueniant, quatenus ambæ sunt causæ per accidens, & effectuum raro contingentium, nec non in ijs, quæ sunt, & agũt propter finem; attamen inter se differunt, quia fortuna locum habet solum in agentibus per intellectum, & cum electione, casus vero in agentibus per naturam, & sine electione, vnde Aristoteles non admittit, fortunam esse in omnibus ijs, in quibus potest esse casus, imo in eodem cont. 57. docet, casum latius patere, quàm fortunam; cum possit habere locum in animalibus brutis, & in pueris carentibus vsu rationis, in quibus non reperitur fortuna.

Dum autem, vt ait Gassendus, Aristoteles citat Protarchum, solummodo concedit, ea, quæ non agunt propter finem secundum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

electionem, posse dici fortunata metaphorice, seu secundũ quamdam similitudinem, qua ratione dicebat Protarchus Philosophus, lapides illos, ex quibus fiebant Altaria, esse fortunatos; alios autem cum ipsis copulatos, idest eiusdem speciei, ex quibus fiebant solaria, esse infortunatos, eo quod illi honorarentur, hi vero conculcarentur.

Vel passiue, quemadmodum Roma, quam Cicero in libertatem reuocauit, dicta est fortunata. Numquam vero inuenitur, Aristotelem tradidisse, fortunata, & casualia proprie loquendo confundi.

Accusatio Vigesimaoctaua.

GAssendus accusat Aristotelem, quia ibidem, hoc est in secundo Physicorum Summa tertia capite 7. in principio repetit, quod sit Physici agere de causis, & sub finem similiter, ergo videtur esse superfluus.

Maffeus dissentit, & respondet, non esse inconueniens, diuersis modis repetere idem. Prædictam itaque probationem à se factam confuso modo in cont. 27., Aristoteles repetere voluit distincto modo in cont. 70., idque adeo perspicuum esse potest legentibus contextus citatos, vt vanum sit in hoc demonstrando laborare.

Accusatio Vigesimanona.

GAssendus accusat Aristotelem, quia in tertio libro Physicorum, & quatuor postremis huius Operis plus aequo multa disputat de motu in genere. Hoc enim est vsurpare munus alicuius superioris, aut vniuersalioris scientiæ. Nam etiam aliæ artes, & scientiæ, vel facultates suos habent motus, quos considerent, idque ipsemet Aristoteles libro 8. capite tertio dissimulare non potuit.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, falsum esse, quod agere de motu in genere pertineat ad aliquam facultatem superiorem, atque vniuersaliorem. Nam eius consideratio per se spectat ad Physicam. Quia motus est effectus naturæ, vnde sicut Physica debet per se considerare naturam; cum ab ea pendeant entia naturalia,

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

de quibus tractat, ita debet expendere motum.

Et quamvis Aristoteles 8. Physicorum Summa secunda capite primo cont. 22. videatur tribuere motum etiam alijs artibus, vel scientijs, hoc tamen sano modo intelligendum est. Ibi enim intentio Aristotelis est ostendere, falsam esse hanc vniuersalem enunciationem, scilicet. Omnia semper quiescunt, & ideo ad manifestandam eius falsitatem dicit, quod non solum aufert vnā conclusionem particularem, aut rem vnam, sed potius negat res omnes naturales, in quibus est principium motus, imò, inquit Aristoteles, negat omnes artes, & opiniones, vt ita dicam, propterea quod omnes vtuntur motu, eoque indigent, sicut verbi gratia Metaphysica supponit motum, per quem indagatur, Deum esse. Mathematica motum supponit, vt ab eo abstrahat, idemque dicatur de alijs artibus practicis. Cum ergo Aristoteles loquatur cum aliqua restrictione, dum ait. *Vt ita dicam*, & solum fateatur, cæteras artes, vel scientias vti motu, non video, qua ratione Gassendus tueri possit, considerationem motus pertinere vniuersaliter ad aliquam disciplinam superiorem, vel in specie ad singulas artes.

Accusatio Trigesima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia ibidem, nimirum libro tertio capite secundo, post assignatam celebrem definitionem ipsius motus nugari videtur, dum rursus ita definiens ait. Motus est actus mobilis, vt mobile est. Itēq. motus est actus possibilis, vt possibile est. Nam etiam hæ definitiones perspicuam reddunt naturam motus, vt illa prior, ideoque superfluum fuit eas adducere.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo, quod quando Aristoteles in t. 10. tertij Physicorum dicit, quod motus est actus possibilis, quatenus possibile, vel est actus entis in potentia, non adducit nouam definitionem motus, sed solum ex ratione, quam accepit á contrarijs, concludens, non esse idem omnino esse actu, & esse in potentia in eodem (licet enim sint idem re, vel subiecto; non tamen sunt idem ratione) ostendere vult, in definitione motus, iam assignata in cont. 6., recte positam esse istam particulam, scilicet. Provt in potentia, idque aperte docet Toletus in expositione illius textus 10., & ita sen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſentit etiam Zabarella, qui in calce eiuſdem textus ait. Definitionem autem motus Ariſtoteles hic concludit, non vt aliam, neque vt elaboratiorem, ſed vt eamdem penitus; eam enim repetit colligens ex dictis, eam eſſe recte aſſignatam; recte enim dictum eſt. Quatenus eſt poteſtate; non autem. Quatenus eſt actu; licet etiam actu ſit illud idem, quod moueri dicitur.

Nec ex eo, quod Zabarella concedit, definitionem motus hic ab Ariſtotele repetitam, eſſe prorſus eamdem cum prima, Gaſſendus inferre poteſt, Ariſtotelem committere nugationem. Quia Zabarella ſubiungens, eam ab Ariſtotele iteratam eſſe, vt oſtenderet, in prima definitione recte appoſitam eſſe hanc particulam, ſcilicet. Quatenus eſt in potentia, ſignificat, Ariſtotelem id non feciſſe inutiliter (ſic enim nugatus fuiſſet) ſed maxima cum vtilitate, vnde non committit nugationem, quæ denotat inutilem repetitionem eiuſdem rei.

Secundo, contextum illum 16. eiuſdem tertij Phyſicorum, in quo Ariſtoteles dicit, quod motus eſt actus mobilis, provt eſt mobile varijs modis exponi, vt ait idem Toletus.

Aliqui enim putant, ab Ariſtotele aſſignari aliam definitionem motus, adeo vt prima fuerit aſſignata per terminos communiores, & Metaphyſicos; hæc autem ſecunda detur per terminos magis proprios, & Phyſicos, vnde Piccolomineus, qui hanc interpretationem recipit, nititur afferre rationem, cur Ariſtoteles transferre voluerit ens poteſtate in ens mobile, dicens, id ab eo factum eſſe, vt circumſcriptionem verteret in circumſcriptũ, & voces magis Metaphyſicas mutaret in magis phyſicas, & magis proprias. Ex hac autem expoſitione ſequitur, Ariſtotelem non committere nugationem; cum non repetat eamdem definitionem, ſed aliam afferat.

Cæterum Toletus in explicatione illius textus docet, ipſum eſſe alio modo intelligendum. Quia ſi mens Ariſtotelis ibi eſſet iterum definire motum, talis definitio eſſet vitioſa. Namque motus eſt etiam actus agentis, & mouentis, vt mouens eſt, & eſt in potentia actiua.

Vult ergo Toletus, intentionem Ariſtotelis ibi eò dirigi, vt ſolum concludat, motum eſſe actum mobilis, tamquam ſubiecti. Cum enim in motu duo ſint, nempe mouens, & mobile, dubitari poterat, quodnam ex his duobus ſit ſubiectum motus, ob id Ariſtoteles ibi demonſtrat, motum deriuari quidem á mouente, vt à principio actiuo; non tamen in eo recipi, vt in ſubiecto, ſed in

ipſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

in ipſo mobili. Fieri quidem poteſt, vt detur aliquod mouens, quod, quando mouet, moueatur, at hoc nunquam mouebitur, vt mouens, ſed vt mobile. Vt ergo Ariſtoteles oſtendat, motum per ſe loquendo habere pro ſubiecto ipſum mobile, propterea dixit, quod motus eſt actus mobilis, quatenus mobile; non tamen ob id habuit intentionem iterum definiendi motum, vt putauit Gaſſendus.

Accuſatio Trigeſimaprima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia in illa definitione motus, in qua dicitur, quod eſt actus entis in potentia, quatenus in potentia, illud quatenus in potentia videtur omnino ſuperfluere; quidquid enim dixeris, licebit oſtendere, illam entis in potentia particulam intelligi. Nam ſatis declaratur natura motus per illam priorem particulam, ſcilicet, entis in potentia.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, negando, illam particulam eſſe ſuperfluam. Quia, vt optime Toletus animaduertit in expoſitione textus ſexti phyſicorum, in quo traditur definitio motus, addita fuit ad ſignificandum, quod motus eſt actus imperfectus, non auferens totam rei potentiam, & ideo, cum motus, vtpote actus imperfectus, includat potentiam ſimul, & actum, ne quis putaret, motum eſſe actum entis in potentia, quatenus reſpicit actum coniunctum cum potentia, facta fuit ab Ariſtotele illa reduplicatiua. *Prout in Potentia*, ex qua conſtat, motum eſſe actum entis, in potentia, quatenus reſpicit potentiam coniunctam cum actu, adeo vt motus præcipuè reſpiciat potentiã; non verò actum.

Accuſatio Trigeſimaſecunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia tertio libro Phyſicorum capite 4. ſuſcipit illam generalem tractationem de Infinito propter Antiquos Philoſophos, quæ non videtur eſſe phyſica; cum per ipſum quoque Ariſtotelem, illi nomine Infiniti voluerint intelligere, ac ſignificare principium diuinum, incorruptibile, &c.

Maf-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus diffentit, & refpondet

Primo negando, quod Ariftoteles inftituat illam generalem tractationem de Infinito propter Antiquos; hoc enim expreffe aduerfatur intentioni Ariftotelis profitentis in t. 25., fe velle agere de Infinito propter naturam, quin etiam expreffis verbis affirmat, confiderationem Infiniti effe propriam fcientiæ de natura. Etenim in textu 24. ait. *Quoniam autem de natura fcientia eft circa magnitudinem, & motum, & tempus, quorum vnumquodque neceffe eft aut infinitum, aut finitum effe, conueniens vtique erit de natura pertractantes fpeculari de infinito*. Et in t. 25. ait. *Signum autem eft, quod huius fcientiæ propria fit confideratio de ipfo*, nempe Infinito, quod paulo ante nominauerat.

Secundo, quod licet Ariftoteles referens opiniones Antiquorum, qui de Infinito locuti funt, fateatur in t. 30., quofdam ipforum afferuiffe, Infinitum effe principium quoddam diuinum, & immortale; non tamen ob id fequitur, tractationem de Infinito non effe phyficam. Quoniam Ariftoteles non approbat, nec laudat huiufmodi fententiam, fed folum eam recenfet, vt confirmet quod à fe dictum eft in cont. 25., in quo fufcepit manifeftandum teftimonio Veterum Philofophorum, contemplationem Infiniti effe propriam Phyfiologiæ; id enim ex eo vult effe deducendum, quod omnes Antiqui Philofophi, qui videntur pro dignitate tetigiffe Philofophiam naturalem, fecerunt fermonem de Infinito, & ideo ponit illorum fententias, inter quas conftituit pofitionem quorumdam exiftimantium, Infinitum effe quoddam principium diuinum, atque incorruptibile, quod perire nunquam poteft; hanc tamen non admittit, vt bene animaduertit Cardinalis Toletus dicens, quod hi Antiqui opinabantur, huius modi principium effe materiale, nec non continere omnia, & gubernare vniuerfa; cum tamen gubernare, quod eft agere, non poffit pertinere ad principium materiale, fed ad principium efficiens. Cum ergo Ariftoteles loco citato referat quidem, fed non commendet, vt veram, opinionem dicentium, Infinitum effe principium diuinum; cumque ipfe iam oftenderit, hanc tractationem de Infinito proprie fpectare ad Phyficum, certe apparet, Ariftotelem à Gaffendo gratis accufatum effe, dum dixit, ab eo in phyfica facultate haberi tractationem de Infinito, quæ tamen phyfica non eft.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Trigeſimatertia.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia in quarto libro Phyſicorum abs re omnino diſputat de loco in genere. Neque ratio, qua id probat, quia videlicet phyſicum corpus eſt in loco, quidquam valet. Nam pari de cauſa diſputandum erit vniuerſe de loco in Architectura; cum domus in loco ſit.

Maffeus diſſentit, & reſpondet

Primo animaduertendo, quod illa ratio, qua probat Ariſtoteles, conſiderationem loci pertinere ad Phyſicam, non poſſe accōmodari Architecturæ. Tum quia hæc non conſiderat domum, quatenus eſt corpus, ſed quatenus eſt domus, vnde, cum ideo in Phyſica tractandum ſit de loco, quia tractatur de corpore, quod eſt in loco, certe hoc dici non poteſt de Architectura, quæ verſatur circa domum, vt eſt domus; non verò circa domum, vt eſt corpus. Tum quia ob id in Philoſophia naturæ agendum eſt de loco, quoniam eſſe in loco eſt accidens proprium corporis naturalis. At eſſe in loco non eſt accidens proprium domus, quæ vel non eſt corpus, ſed aggregatum ex pluribus corporibus: vel non eſt corpus naturale, ſed artificiale, cui non conuenit per ſe eſſe in loco, ſed ſolum per accidens, vel per aliud, quatenus nimirum conſtat ex corpore naturali, quod eſt per ſe in loco, quemadmodum etiam de motu dicitur, quod per ſe ineſt rebus natura conſtantibus; rebus verò artificioſis, per accidens tantum, & ſolum reſpectu materiæ naturalis.

Secundo quod non ob prædictam dumtaxat rationem in Phyſica de loco agendum eſt, ſed etiam propter aliam rationem, quam ibidem, nempe in primo t. quarti phyſicorum Ariſtoteles adducit, ſumptam ex eo, quod in Phyſiologia de loco eſt ſermo inſtituendus propter motum localem; hic autem non conuenit domui, vt domus eſt, ſed corpori naturali, vt eſt naturale, quod non conſideratur in Architectura, ſed in Phyſica, & idcirco hæc; non autem illa debet loqui de loco, vnde patet, vtrumque Ariſtotelis argumentum eſſe validum, & efficaciter concludere; cum primum deſumptum ſit ex proprio ſubiecto Philoſophiæ naturalis, quod eſt corpus naturale; alterum vero ex quadam præcipua paſſione ipſius, vt eſt motus localis, quorum neutrum pertinet ad Architecturam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Verba vero, quibus continetur altera ratio, sunt ista. *Similiter autem necesse est, Naturalem & de loco, vt & de infinito cognoscere, si est, an non, & quomodo est, & quid est. Etenim quæ sunt omnes existimant alicubi esse.*

Accusatio Trigesimaquarta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia in primo capite quarti libri physicorum quærit, an sit locus, quod ita est absurdum, sicut ipse libro 2. physicorum censuit, ridiculum esse quærere, an sit natura?

Maffeus dissentit, & respondet cum Toleto, quod Aristoteles ibi non probat solummodo, locum esse; hoc enim adeo per se notum est, vt non indigeat probatione, vnde si Aristoteles vellet hoc dumtaxat concludere, ridiculum se præberet, vt aiebat Gassendus, sed intendit, locum ita esse, vt aliquid à corpore locato distinctum. Et similiter vult demonstrare, locum vniuersaliter esse pro quocumque corpore sensibili, quod non est per se notum. Id autem verum esse, Toletus colligit ex cont. 6. eiusdem quarti libri, vbi Aristoteles duo prædicta concludit dicens. *Quod igitur aliquid sit locus præter corpora, & omne corpus sensibile in loco, per hæc aliquis existimabit.*

Confirmatur ex eo, quod Aristoteles in t. tertio eiusdem quarti libri ait. *Quare manifestum est, quod locus, & regio aliquid erat diuersum ab vtrisque, ad quam, & ex qua transferebantur.*

Vel, vt meam sententiam proferam, dici posset, non esse parem rationem inter locum, & naturam, & ideo quamvis demonstrare naturam esse, ridiculum sit; non tamen ridiculum erit probare, locum esse.

In primis enim circa quid est ipsius loci sunt rationes adeo validæ, ac proinde ita difficile est quidditatem loci penetrare, vt videatur non esse, vnde non mirum, si Aristoteles quærat an sit locus, & ostendat, ipsum esse. Hoc autem de natura dici nequit. Nam ex differentia inter entia naturalia, & non naturalia, statim innotuit, quid ipsa sit.

Deinde locus est accidens proprium corporis naturalis, de quo sine absurditate quæri potest, an sit, quia per Aristotelem secundo post. capite primo Omnis quæstio est quæstio causæ. Dum ergo quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

quæritur, an ſit locus, quæritur conſuſe cauſa, ob quam eſt locus, vel ineſt proprio ſubiecto. Id vero de natura dici non poteſt. Nam ipſa eſt cauſa, & propterea non debet quæri, an ſit natura; ſic enim quæreretur confuſe cauſa ipſius, quod non licet. Cum itaque tanta ſit diuerſitas inter locum, & naturam, ex eo, quod quæri non poteſt, an ſit natura, non ſequitur, quod quæri non poſſit, an ſit locus, & propterea dato, nec tamen concesſo, quod Ariſtoteles quæreret, an ſit locus, non tamen ob id eſſet redarguendus, tamquam ridiculus, quemadmodum repræhendi poſset, vt talis, ſi quæreret, an ſit natura.

Accuſatio Trigeſimaquinta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia quarto phyſicorum capite ſecundo, & quarto nimis prolixe, atque ideo ſuperflue, repetit, locum non eſſe materiam, nec formam; cum capite primo iam probaſſet, nullum eſſe ex quatuor generibus cauſarum.

Maffeus diſſentit, & reſpondet animaduertendo, quod Ariſtoteles dicto capite quarto t. 30. incipit ex propria ſententia determinare naturam loci, & propoſitis, ac declaratis eius proprietatibus, ex ipſis in t. 35. infert genus accipiendum in definitione illius. Quoniam verò ſumit argumentum à ſufficienti quadam partium diuiſione dicens, quod locus vel eſt forma, vel materia, vel interuallum, vel ſuperficies continens, propterea, vt concludat, locum eſſe ſuperficiem, cogitur oſtendere, ipſum non eſſe formã, neque materiam, neque interuallum.

Si dicatur, cum Gaſſendo, quod Ariſtoteles poterat omittere probationem de forma, & de materia, vtpote iam factam in ſecundo capite, ideoque poterat Lectorem ad illam remittere, ne abſque neceſſitate ipſam repeteret.

Reſpondetur dicendo, id ab Ariſtotele rationabiliter factum eſſe. Nam, vt optime Toletus animaduertit, Ariſtoteles excludit, quod locus ſit forma, ſoluendo rationem, propter quam forma videtur eſſe locus. Ratio autem eſt. Quia locus terminat locatum, & forma terminat materiam. Reſpondet ergo Ariſtoteles, quod locus terminat extrinſece; forma vero intrinſece, vnde non ſequitur, locum eſſe formam, vel contra. Sic autem Ariſtoteles conſequitur vtrumque, nimirum & ſoluit rationem in præcedentibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tibus adductam ad ostendendum, quod locus est forma, & confirmat, locum non esse formam. Idem facit de materia, vt prędictum fuit in responsione ad nonam accusationem, ideo id non repetemus, illud solum addemus, quod ex his omnibus patet, non esse superfluum iterum demonstrare, locum non esse materiam, neque formam, præsertim quia Vicomercatus in expositione t. 38. dicit, quod quamvis ab Aristotele superius ostensum sit, locum non esse materiam, neque formam; nunc tamen subtiliter magis, & ingeniose concluditur, ita vt nihil prorsus ambiguitatis hac in re relinquatur.

Accusatio Trigesimasexta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia capite 10., & sequentibus tractat de tempore, sicque videtur vsurpare munus vniuersalioris scientię. Ob id enim fecit illi propriam categoriam in dialectica.

Vel saltem accusandus est, quia iuxta propria principia præoccupat hic, quod fuerat differendum in libros de Cœlo, vel in tractatum de motibus Cœlestibus.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo falsum esse, quod Aristoteles agens de tempore in quarto libro physicorum vsurpet munus alicuius facultatis communioris, quamvis fecerit illi propriam categoriam, quia neque nouum, nequè inconueniens est idem sub diuersis rationibus acceptum pertinere ad varias disciplinas, quemadmodum corpus humanum, vt ens, attinet ad Metaphysicam, vt quantum, ad Mathematicam, vt naturale, ad physicam.

Consimiliter ergo tempus diuersis modis consideratum potest referri ad Logicam, ad Physicam, & ad Metaphysicam. Ad logicam, quia si sumatur tempus, quatenùs est id, cuius partes aliquo communi termino copulantur, vel quatenus constat ex partibus non habentibus positionem, ponitur in prædicamento quantitatis, idem acceptum, pro vt significat congeriem plurium, quæ continentur, vel in linea recta, vel in linea laterali, continetur inter categorias, vt dicebat Gassendus.

Ad physicam verò, quia ex quarto physicorum, textu centesimo primo, tempus est numerus, & mensura motus, cuius consideratio

est

eſt propria philoſophi naturalis; Deniquè ad Metaphyſicam, quia tempus eſt ſpecies, vel differentia entis, de quo agere proprium eſt Metaphyſici; Cum ergo Ariſtoteles loquens de tempore ſub ratione menſuræ motus tractet de illo, pro vt eſt proprium phyſici, non mittit falcem in meſſem alienam, ſed proprio munere fungitur.

Secundo, falſum eſſe, quod tractatio de tempore differenda ſit, vel ad libros de Cœlo, vel ad tractatum de motibus cœleſtibus, quià, vt ait Toletus in explicatione textus octuageſimi ſeptimi, quarti libri phyſicorum, Ariſtoteles ideò tenetur aggredi ſermonem de tempore, poſtquam egit de motu, infinito, loco, & vacuo, quia tempus eſt menſura rerum ſenſibilium communis, ergo ibi expendendum erat, vbi agitur de rebus ſenſibilibus in communi, sèd hoc fit in libris phyſicorum, non verò in libris de Cœlo, neque in tractatu de motibus cœleſtibus, vbi ſemper conſideratur aliquid particulare, igitur Ariſtoteles benè ſe gerit, dum in quarto libro tractat de tempore, ac propthereà immeritò Gaſſendus ipſum accuſat, cum potiùs eum commendare debuiſſet, eò quia opportunam temporis meditationem nobis exhibuit.

Accuſatio Trigeſimaſeptima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, non ſolùm ob illam tautologiam contentam in capite 10. 11., & 12., de cognatione magnitudinis, motus, temporis, nec non de nunc, de priore, de poſteriore, de menſurâ motus, verùm etiam ob grammaticam, & puerilem explicationem vocabulorum huiuſmodi, nempè nunc, aliquandò, iam, nuper, repentè.

Maffeus diſſentit, & reſpondet falſum eſſe, quod Ariſt. in illo capite 10. quarti phyſicorum, & ſequentibus tautologiam committat, idquè patebit, ſi ſpectemus ea, quæ ab illo capite 10. vſque ad finem quarti libri ab Ariſt. traduntur, ſuppoſito priùs, quòd tautologia, vt habetur in Calepino, nihil aliud eſt; niſi eiuſdem ſententiæ per alia, & alia verba repetitio, vndé ſi percurrendo textus omnes, qui continentur in toto tractatu, quem Ariſt. facit à capite 10. vſquè ad vltimum, oſtenderimus, ibi non repeti eamdem ſententiam, ſed ſemper proponi, vel tractari aliquid diuerſum, certè conſtabit, ab Ariſt. non committi tautologiam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In tex. 87., à quo incipit caput decimum, vbi Arist. aggreditur considerationem temporis, duo tractanda proponit, nempè, an sit tempus, & quid ipsum sit. Circa primam quæstionem adducit duas rationes, quibus videtur posse probari tempus non esse, primam quidem in tex. 88., Alteram verò in tex. 89.

In tex. 90., quia in tex. 89. fecerat mentionem de ipso nunc, dicens, ipsium non esse partem temporis, ob id volens ostendere, quod valdè difficile sit percipere, an ipsum nunc sit, probat, quod non sit aliud, & aliud nunc in tempore, ità vt vno destructo, aliud succedat. deindè ostensurus, non esse vnicum nunc per totum tempus, ponit primam rationem in tex. 91., alteram verò in tex. 92.

In tex. 93. concludit, satis dubitatum esse circa primam quæstionem, an sit tempus, vndè se conuertit ad aliam, considerando, quid sit tempus, & quia circa hoc tres extant sententiæ, ideò primàm expendit, & impugnat in prædicto textu.

In tex. 94., & 95. adducit alteram opinionem, quam vtpotè omninò, ac manifestè irrationabilem non impugnat, & ibidem proponit tertiam sententiam, quam Simplicius tribuit Stoicis, eamque duobus argumentis refellit, primo in textibus citatis

In tex. 96. ponit alterum argumentum.

In tex. 97. concludit ex dictis, tempus non esse motum, & simul ostendit. ipsum esse aliquid motus.

In text. 98. dicit, quod cum tempus non sit motus, sed aliquid motus oportet inquirere, quid nam sit ipsius motus?

In tex. 99. determinaturus, quid sit tempus, accipit in primis pro primo fundamento, quod motus habet priùs, & posteriùs.

In tex. 100. accipit pro secundo fundamento, quod tempus non dicitur esse aliquid motus secundùm se, sed quatenùs habet priùs, & posteriùs.

In tex. 101. primo ex dictis colligit propriam definitionem temporis.

In tex. 102. signo quodam à posteriori ostendit, iuremerito tempus dici numerum.

In tex. 103. docet, ipsum tempus, ad instar motus, esse quid successiuum.

In tex. 104. Cum supra meminerit ipsius nunc, de hoc explicat duo, nimirùm, & quomodò se habeat ad tempus, & quomodo sit vnum, & idem in tempore.

In tex. 105. primo declarat dependentiam temporis ab ipso, nunc osten-

oſtendens, quod ſicut motus, & mobile ſunt ſimul, ità tempus eſt ſimùl cùm ipſo nunc, ſecundo demonſtrat vnitatem ipſius nunc alia via, nempè quoniam aſſimilatur puncto continuanti partes lineæ. Nec tamèn ob id putandum eſt, quod Ariſt. tautologiam committat, etenim hæc non eſt repetitio eiuſdem ſententiæ per alia, & alia verba, ſed per aliam viam, & per aliam rationem; non eſt autem abſurdum, nec tautologicum eamdem ſententiam, vel concluſiunem pluribus rationibus confirmare.

In tex. 106. reſpondet ad quamdam obiectionem, & inſtantiam, quę ab aliquo poterat afferri contra prædicta de ipſo nunc.

In tex. 107. colligit ex dictis, ipſum nunc non eſſe partem temporis.

In tex. 108. infert ex dictis, atque ideò repetit definitionem temporis à ſe traditam in tex. 101. dicens, tempus eſse numerum motus ſecundùm prius, & poſterius. Hæc autem repetitio definitionis temporis non poteſt appellari tautologia, quia ſimpliciter, & abſolutè loquendo non eſt repetitio eiuſdem ſententiæ, licèt enim ſit eadem definitio, non tamen eſt idem finis, nec eadem intentio vtrobique, nàm in tex. 101. dicta definitio aſſignagnata fuit, vt per eam explicaretur propria eſsentia, & natura temporis, in tex. autem 108. repetita fuit, vt per eam exponerentur proprietates temporis, quæ ab eius natura ſuperius per definitionem explicata procedunt. Statìm ergo Ariſt. in eodem tex. 108. primam aſſignat proprietatem temporis in eo poſitam, vt in tempore quodam modo liceat aſſignare minimum, & quodammodo non; Ratio primi eſt, quia ſicut in numero datur minimum (eſt enim numerus minimus, vt binarius, quo non eſt minor) ità in tempore, quod eſt numerus, conſiderato ſecundum rationem numeri datur minimum. Ratio ſecundi eſt, quià in continuo non eſt minimum, cum ſit diuiſibile in ſemper diuiſibilia, ſed tempus eſt continuum, cum per Ariſt. in prædicamentis, capite de quantitate ſit ſpecies quantitatis continuæ, igitur tempus conſideratum ſecundum rationem continuitatis non habet minimū.

In tex. 109. affert aliam temporis proprietatem, ſecundum quam poteſt dici multum, vel paucum, longum, vel breue, non autem velox, vel tardum.

In tex. 110. tertiam temporis proprietatem aperit, ſecundum quam illi conuenit eſse quodammodo idem, & quodammodo diuerſū.

In tex. 111. quartam adducit proprietatem conſiſtentem in eo, quòd ſicuti regreditur idem motus, vt eadem deambulatio ſecundum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſpeciem, non ſecundùm numerum, ità redit idem tempus, ut eadem dies ſecundum ſpeciem, non verò ſecundum numerum.

In tex. 112. quintam ponit proprietatem, dicens, quòd tempus eſt menſura motus, & motus temporis, quamvis non eodem modo, quià tempus eſt menſura motus per ſe, motus autèm eſt menſura temporis per accidens, videlicet ex parte noſtri.

In tex. 113. ſubdit rationem, quare tempus menſuramus motu, & motum tempore.

In tex. 114. poſtquam expoſuit, quid ſit tempus, explicat, quid ſit, motum eſſe in tempore, dicens, quod eſt motum tempore menſurari.

In tex. 115. ne quis crederet, ſoli motui conuenire hoc attributū quod eſt eſſe in tempore, ideſt tempore menſurari, propterea docet, hoc vniuerſaliter competere etiam alijs, quæ ſunt in tempore, adeo vt eatenus dicantur eſſe in tempore, quatenus illorum eſſe menſuratur tempore.

In tex. 116. ex eo quod in ſuperiori textu dixerat de hoc, quod eſt eſſe in tempore, nimirùm id poſſe intelligi tribus modis, videlicèt.

Primo, itavt eſſe in tempore ſit eſſe, quando tempus eſt.

Secundo, itavt eſſe in tempore ſit eſſe partem temporis, vel paſſionem aliquam ipſius.

Tertio, itavt eſſe in tempore ſit à tempore menſurari.

Sumit occaſionem excludendi primum modum, vt ſic pateat, duobus poſterioribus modis re vera dici aliquid eſſe in tempore.

In tex. 117. oſtendit, qualiter ſe habeant ea, quæ ſunt in tempore.

In tex. 118. demonſtrat, quietem eſſe in tempore, per accidens tamen, ideſt per aliud, vt explicat Philoponus, nimirum per motum.

In tex. 119. concludit, res ipſas, quæ mouentur, & quieſcunt non eſſe in tempore ſecundum ſuam quantitatem, ſed ſecundum quantitatem ſuorum motuum, adeò vt motus per ſe ſit in tempore; cum tempus ſit primò menſura motus, per motum quies, per motum, & per quietem ſubſtantiæ dicantur eſſe in tempore.

In tex. 120. oſtendit, quomodo ea, quæ non ſunt, dicantur eſſe in tempore.

In tex. 121. Explicat quaſdam differentias, quibus aliqua diuerſimode dicuntur eſſe in tempore, quæ ſunt ſex, puta nunc, aliquan-

quando, iam, nupèr, quondam, repentè.

Neque verò Gassendus dicere potest, Arist. committere tautologiã, eo quod repetat considerationem ipsius nunc, de quo superiùs egit in contextu 90., nàm Arist. facilè defendi potest dicendo, quod non repetit vtrobiquè sententiam eamdem; etenim in tex. 90. considerat, quomodò se habeat ad tempus quoad vnitatem, & multitudinem, seù diuersitatem, an scilicèt in toto tempore sit vnum, & idem nunc, an verò sit semper aliud, & aliud; Cæterum in tex. 121. de ipso nunc proponit considerandum, quomodò se habeat ad tempus, quo ad hoc, quod est esse in tempore.

In tex. 122. Quia ipsum nunc duas habet significationes (accipitur enim primò pro instanti, & momento temporis, quod est terminus, quo coniunguntur partes temporis, secundo provt significat tempus proximum præsenti nunc) ideò Arist. exposita in tex. 121. priori acceptione ipsius nunc, in tex. 122. alteram explicat.

In tex. 123. declarat secundam differentiam temporis, nempè aliquando.

In tex. 124. excitat, & soluit quamdam dubitationem ortam ex dictis.

In tex. 125. probat infinitatem temporis ex ipso nunc.

In tex. 126. explicat tertiam temporis differentiam, quæ est iam.

In tex. 127. tres alias temporis differentias exponit, nimirum nuper, quondam, & repente.

In tex. 128. declarat, quomodo tempus dicatur esse causa corruptionis.

In tex. 129. probat duabus rationibus hanc propositionem, scilicet omnis mutatio, & omnis motus est in tempore, ac tempore mensuratur, & quod mouetur, ac mutatur, mouetur, & mutatur in tempore.

In tex. 130. affert rationem, cur tempus dicatur esse vbiquè, puta, in terra, in mari, & in omni loco.

In tex. 131. occurrit huic dubitationi, an tempus sit extrà Animam, itàvt essentia ipsius non dependeat ab intellectu?

In tex. 132. cum in præcedentibus dictum sit, quod tempus est nunumerus motus, explicat, cuius nam motus dicatur esse numerus.

In tex. 133. cum in omnibus, quæ mensurantur, detur aliquod primum eiusdem generis, quod est aliorum mensura, sicut decem homines mensurantur homine vno, decem lapides vno lapide &c. cumque tempus non solùm sit mensura motus, sed etiam ipso mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tu mensuretur, ideo Arist. in hoc textu quærit, quod nam sit primum tempus, & quis primus motus, quibus conueniat ratio primæ mensuræ?

Respondet, ac statuit, 'motum Cœli circularem diurnum, qui est viginti quatuor horarum, & quo mensurantur menses, anni, & omnia tempora, esse primam mensuram omnium aliorum, quia est primus, & maximè regularis, velocissimus, & minimus, idemquè dicatur de tempore ipsius. Reliqui verò motus, & eorum tempora non sunt primæ mensuræ, quia sunt difformes, & irregulares, cum non habeant tantam continuitatem, quantam habet latio cœlestis.

In tex. 134. explicat quamdam assertionem à se prolatam in tex. 132. vbi dixit, quod si sint hi quidem canes, illi verò equi, vtriquè autem septem, idem numerus est, vnde sequitur, plures septenarios esse eumdem numerum; Hoc itaque dictum declarans ponit documentum dicens, quod quando aliqua conueniunt in aliquo, ita vt per illius differentias differant non dicuntur idem in illo, verbi gratia, Scalenus, & Isosceles, non sunt idem triangulus, quia differunt per differentias trianguli, dicuntur tamen eadem figura, quia non differunt per differentiam figuræ, immò sub vna illius differentia continentur. Circulus, & triangulus non dicentur eadem figura, quia sunt sub diuersis figuræ differentijs, quemadmodum homo, & equus non dicentur idem animal. At quandò non differunt differentia illius, tunc sunt idem in illo, vt Scalenus, & Isosceles dicuntur eadem figura. Ita septenarius hominum, & leonum non sunt idem septenarius, sed tamen sunt idem numerus.

Cum igitur ex omnibus prædictis textibus, qui a capite 10., quod à Gassendo citatum fuit, extenduntur vsque ad finem quarti libri, luce meridiana clarius constet, Aristotelem semper in quocumq; textu proponere aliquid diuersum, non apparet quomodo Gassendus aduersus Aristotelem asserere potuerit, in prædictis textibus, & capitibus tautologiam committi.

Multo minus potest hanc tractationem appellare grammaticam, & puerilem. Non grammaticam, quia Grammaticus considerat hæc vocabula, scilicèt nunc, aliquando, iam, nuper &c. tamquam aduerbia, quibus vtitur ad rectè loquendum. Aristoteles vero ea expendit, tamquam differentias temporis, vt ostendat, qualiter secundum illas aliqua dicantur esse in tempore. Non puerilè, quia continet multas, easq; graues difficultates, ac dubita-

tio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tiones, vt conſiderantibus ea; quæ ab Ariſt. tradita ſunt, ſatis perſpicuum eſſe poteſt.

Accuſatio Trigeſimaoctaua.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia conſcripſit quintum librũ phyſicorum; qui ferè totus videtur eſſe tautologicus tertij libri, poſt tria cuius capita enormem huc vſque interpoſuit parenteſim.

Maffeus diſſentit, & reſpondet quo ad primam, partem falſum eſſe, quod quintus liber ſit tautologicus tertij. Sic enim in vtroque continerentur, & docerentur eadem, cum tautologia fiat, quando per alia, & alia verba repetitur eadem ſententia, hoc autem dici non poſſe de tertio, & quinto libro phyſicorum, patet ex conſideratione diuerſarum ſummarum vtriuſque. Nam tertius liber tres continet ſummas.

In primà probatur, ad phyſicum pertinere tractationem de accidentibus communibus rerum naturalium.

In ſecundà definitur motus.

In tertià diſſeritur de infinito.

Quintus liber tres continet Summas.

In primà agitur de diuiſione motus in ſuas ſpecies.

In ſecunda de vnitate, ac pluralitate motus.

In tertià de contrarietate motuum, & quietum.

Quo ad ſecundam partem reſpondet, ſe non teneri reſpondere, quia Gaſſendus dicit quidem, ſed nulla confirmat argumentatione, Ariſtotelem poſt tria illa capita enormem interpoſuiſſe parenteſim, hoc enim ab eo probandum erat, vt Maffeus reſpondere poſſet.

Accuſatio Trigeſimanona.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia in quinto libro phyſicorum capite primo nugatoriam motus, vel mutationis diuiſionem aſſignat dicens; Aut eſt ex ſubiecto in ſubiectum, aut ex non ſubiecto in non ſubiectum, aut ex ſubiecto in non ſubiectum, aut ex non ſubiecto in ſubiectum, vbi Gaſſendus ait;

 Nota

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Nota quæso solummodo hanc physicam egregiam. Color mutatur in albedinem, & contra albedo in colorem. Pulchras sane mutationes generis in speciem, speciei in genus. Ita Gassendus illudit Aristotelem.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod nugatio est inutilis repetitio eiusdem rei, hoc autem dici non potest de illa diuisione motus, ex quà prouenit maxima vtilitas, cum per eam constet, quot sint mutationes, & quæ non possit appellari mutatio; Ibi enim Aristoteles docet, mutationes esse solum tres, videlicet, ex subiecto in subiectum, ex non subiecto in subiectum, & ex subiecto in non subiectum. Illa verò, quæ est ex non subiecto in non subiectum, non est mutatio, quia non continet oppositionem terminorum.

Constat etiam differentia inter ipsas mutationes, vel species motus, siue mutationis. Nam, quæ est ex subiecto in subiectum dicitur proprie motus, & vel est alteratio, vel augumentatio, & diminutio, vel motus localis. Quæ est ex non subiecto in subiectum, dicitur generatio; Quæ ex subiecto in non subiectum, corruptio. Quare ista diuisio non continet nugationem, sed magnam vtilitatem.

Exempla vero à Gassendo adducta non faciunt ad rem, immo demonstrant Gassendum non bene intellexisse diuisionem ipsius motus ab Aristotele assignatam: Aristoteles enim in ea respicit duos terminos, vnum á quo, alterum ad quem, nec vult, vnum in alium permutari, sed cum inter illos detur semper aliquod medium subiectum, intendit docere, huiusmodi subiectum transmutari de vno illorum terminorum ad alium, non tamen semper eodem modo, sed aliquando mutatur de termino positiuo in positiuum, & ita de subiecto in subiectum, aliquando de priuatiuo in positiuum, sicquè de non subiecto in subiectum, & aliquando de positiuo in priuatiuum, ideoq; de subiecto in nō subiectum; vnde non mutatur terminus in terminum, vt videtur velle Gassendus dicens, quod perinde esset, ac si diceretur. Color mutatur in albedinem, & contra; Sed mutatur subiectum de termino in terminum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quadragesima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia in eodem libro, capite tertio, vel vsurpat munus Grammatici, vel potius in tractatione del oco, quàm hic, definire debuerat, quid significent huiusmodi vocabula, scilicet, simul, seorsim, tangere, interim.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod, vt docet D. Thomas in com. tex. 21., lib. 5. physi., Aristoteles, antequam determinet de vnitate, deque contrarietate motus, maxima cum ratione præmittit declarationem, seu significationem horum terminorum, nempe, quid sit simul, quid extraneum, vel separatum, quid tangere, quid medium, & quid continuum, quia horum definitionibus vti debet in consequentibus demonstrationibus per totum librum, sicut & in principio Euclidis ponuntur definitiones, quæ sunt principia sequentium demonstrationum.

Errauit etiam Gassendus dicens, quod Arist. in explicatione prædictorum terminorum, accipit munus Grammatici, cum latum sit discrimen inter considerationem de illis habitam à Grammatico, & eam, quæ habetur à Physico. Nam ab illo considerantur in ordine ad rectam loquutionem, ab hoc autem in ordine ad locum, vel ad motum, de quibus agere, tamquam de accidentibus corporis naturalis, ita spectat ad Physicum, vt nullo modo conueniat Grammatico.

Accusatio Quadragesimaprima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia in posteriori parte eiusdem libri non minus profuse, quam inutiliter explicat contrarietatem.

Maffeus dissentit, & respondet.

Primò explicationem contrarietatis non esse inutilem. Nam eius vtilitatem explicat Simplicius in comment. tex. 46. 5. lib. phys. dicens. *Iam dictis quæstionibus de motu, & mutatione, etiam hanc necessariam addit, qualis motus sit quali motui contrarius; Et quærit de mansione, seu quiete eodem modo; Et est neceßaria*

quæ-

quæstio. Nam ex hoc, & naturales motus ostenduntur, & contrarietas elementorum inter se, & quæ ex aliquibus fiunt, & alia plura, quæ in philosophia differuntur. Ita conceptis verbis loquitur Simplicius.

Idem etiam videtur confirmari posse testimonio D. Thomæ, qui in com. eiusdem textus indicat vtilitatem huius quæstionis ab Aristotele propositæ de contrarietate in motu, & in quiete, ait enim. *Postquam Philosophus determinauit de vnitate, & diuersitate motus hic determinat de contrarietate motuum, quæ est quædam species diuersitatis, vt patet in 10. Metaphys. tex. 13.*, ex quibus verbis D. Thomæ liquet, huiusmodi quæstionem conferre, vel vtilem esse ad remouendam dubitationem, quam aliquis post tractationem de vnitate, ac diuersitate motuum poterat excitare, quærendo, an in motu sit solùm diuersitas in genere, an etiam in specie, quæ dicitur proprie contrarietas, & si sit, quomodo sit. Aristoteles ergo per hanc tractationem satisfaciens huic dubitationi, præbet nobis maximam vtilitatem.

Secundò Gassendum non bene obijcere Aristoteli, quod profuse loquatur de contrarietate motus, quasi superflue de illa pertractet. Nam si hanc tractationem ab Arist. habitam à tex. 46. vsque ad tex. 65. inclusiue, diligenter expendamus, profecto videbimus, nihil in ea contineri, quod superfluum sit, quoniam Arist. in prędictis contextibus nihil facit, quod sit á ratione alienum.

In tex. 46. acturus de contrarietate motus, & quietis ponit diuersos, & præcipue quinque modos, quibus aliquis putare posset, in eis esse contrarietatem, hoc autem conuenienter facit. Nam si statuenda est contrarietas inter aliqua, certe scire oportet, quomodo illa debeant poni contraria.

In tex. 47. excludit duos ex prædictis modis, idque præstare debebat, ne quis crederet, omnibus illis modis contrarietatem habere locum in motu, & in quiete. Quartum quidem, qui accipiebatur secundum contrarietatem termini à quo, ad terminum ad quem, in prædicto textu. Secundum vero, qui est secundum contrarietatem terminorum à quibus incipit motus, in contextu 48., & ad hanc veritatem edocendam vtitur pluribus rationibus ibidem contentis, quibus abundare non est vitiosum, sed summa laude dignum, cùm faciat ad maiorem veritatis confirmationem. Et in eodem tex. 48. concludit, remotis duobus modis secundum cōtrarietatem terminorum acceptis, relinqui duos alios, nempe tertium, & quintum, quorum vnus est secundum solam contra-

tra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

trarietatem terminorum ad quos, alius eſt ſecundum contrarietatem vtrorumque terminorum.

Oſtenſo autem, & concluſo, ex quinque modis duos tantùm eſſe illos, ſecundum quos poteſt eſſe contrarietas in motu debebat manifeſtare, quales motus dicantur eſſe contrarij, & hoc exequitur à contex. 49. vſque ad contex. 52.

Poſtquam vero Ariſt. determinauit de contrarietate motuum, non ignorans, contrariorum eamdem eſſe diſciplinam, ſicut medicina eſt ſcientia ſani, & ægri, propterea in contex. 53. incipit determinare de contrarietate quietum, idq; facit vſq;ad contex. 55.

Tandem abſolutà explicatione contrarietatis motuum, & quietum, circa prædicta excitat, & ſoluit quaſdam dubitationes, idque non immeritò, nec ſuperflue facit, cum valde conducat ad veritatem firmius, & manifeſtius percipiendam. Nam ſicuti lux clara eſſe non poteſt, niſi tenebris omnino excuſſis, ita veritas in intellectu non poteſt eſſe perſpicua, niſi omnibus dubitationibus e medio ſublatis. Hoc autem exequitur Ariſt. à contex. 56. vſque ad contex. 65. incluſiue, quo abſoluitur totus quintus liber phyſicorum.

Ex his ergo ſatis conſtat, Ariſtotelem à Gaſſendo gratis accuſatum fuiſſe, cum potius eum commendare deberet, quod vtilem, & rationabilem de motuum, & quietum contrarietate tractationem fecerit.

Accuſatio Quadrageſimaſecunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia in ſexto libro phyſicorum capite primo repetit inutiliter aliquot definitiones ſuperiori libro traditas.

Maffeus diſſentit, & reſpondet dicendo, falſum eſſe, quod Ariſt. abſque vtilitate repetat aliquas definitiones, quas aſſignauit in quinto libro phyſicorum, Summa ſecunda, capite primo, videlicet, quid ſit continuum, quid tangens, & quid conſequenter. Nam huiuſmodi definitiones in quinto, & in ſexto libro afferuntur in ordine ad fines diuerſos, diuerſaſque intentiones Ariſtotelis. Etenim in quinto libro eas adducit in ordine ad vnitatem, & contrarietatem motus. In ſexto autem in ordine ad ea, quæ pertinent ad ipſam diuiſionem motus, quatenus diuiditur in par-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tes quantitatiuas, vnde illas non repetit inutiliter, cum ex huius modi repetitione innotescat, prædicta eo modo definita, quo definita fuerunt in quinto libro, inseruire, etiam huic determinationi de diuisione motus.

Accusatio Quadragesimatertia.

GAssendus accusat Aristotelem, quia in secundo capite, & sequentibus molestissima tautologia nititur probare, motum esse diuiduum per magnitudinem, & tempus per motum.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod ex ipsa definitione tautologiæ manifestum euadere potest, Aristotelem non esse reprehendendum, eo quia probans, motum esse diuiduum per magnitudinem, & tempus per motum, tautologiam committat, vnde contra Gassendum arguitur sic.

Tautologia, vt sæpe diximus, est eiusdem sententiæ per alia, & alia verba repetitio. Sed in tractatu de diuisione motus non fit repetitio eiusdem sententiæ per alia, & alia verba, ergo non committitur tautologia. Vt pateat minor propositio, necesse est referre, quæ continentur in singulis textibus pertinentibus ad tractationem de diuisione motus, quæ incipit à textu trigesimo secundo, & extenditur vsque ad trigesimum nonum inclusiue.

In tex. 32. Arist., motus diuisionem indagaturus, probat, omne mobile esse diuisibile.

In tex. 33. aggreditur tractationem de ipsa diuisione motus, & asserit, ipsum esse diuisibilem duobus modis. Primò ad diuisionem ipsius mobilis; Secundo ad diuisionem temporis. Quia vero probans, motum esse diuisibilem ad diuisionem ipsius mobilis, vsus est hac propositione, nimirum. Totus motus constat ex motibus partium, propterea tribus argumentis eam confirmat, quorum primum habetur in eod. tex. 33.

In tex. 34. probat eamdem propositionem secundo argumento, quod ducit ad inconueniens.

In tex. 35. tertium ponit argumentum ad eamdem suadendam.

In tex. 36. probat, motum esse diuisibilem ad diuisionem temporis.

In tex. 37. ostendit, quod tempus, & motus in diuisione se mutuo consequuntur.

In tex. 38. demonstrat, quod moueri etiam diuiditur ad diuisionem motus, & è contrario.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In tex. 39. docet id, in quo eſt motus, nempe terminum motus ad quem diuidi ſimili diuiſione, ſcilicet ad diuiſionem mobilis, vel etiam ipſius motus.

Cum ergo in omnibus prædictis textibus, in quibus habetur ſermo de diuiſione motus, Ariſtoteles non repetat eamdem ſententiam, ſed ſemper diuerſa doceat, profecto patet, ab eo non committi tautologiam, vt putauit Gaſſendus.

Accuſatio Qudrageſimaquarta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia eodem ſexto phyſicorum, capite tertio, nititur probare, nihil moueri in nunc, quæ fuerat crambe toties repetita libro quarto, capite vndecimo, decimo tertio, & decimo quarto.

Maffeus diſſentit, & reſpondet dicendo, quod quantum attinet ad comparationem ſexti libri phyſicorum cum quarto, in quibus Ariſtoteles probat, nihil moueri poſſe in inſtanti, ſiue in ipſo nunc, Ariſtoteles non committit crambem, quia crambe, vt patet ex Calepino, nihil aliud eſt, quam ſpecies braſſicæ, quæ recocta faſtidium, & nauſeam parit, hoc autem dici non poteſt de predicta probatione, quoniam Ariſtoteles eam ita recoquit, vt faſtidium, & nauſeam parere nequeat, quemadmodum eadem ſpecies carnis in aliquo conuiuio diuerſimode cocta non ciet nauſeam, ſed potius palatum delectat. Sic ergo ſe gerit Ariſtoteles, qui quarto phyſ. probat prædictam aſſertionem propter definitionem temporis, quia enim tempus eſt menſura motus, ideo neceſſe erat oſtendere, motum ita in tempore fieri debere, vt nihil in momento temporis poſſit moueri. Cæterum in 6. phyſ. hoc idem probat propter diuiſionem motus, vnde Toletus in expoſitione tex. 24. 6. lib. phyſic. ait. *Primò probat, motum eſſe in tempore; hoc enim ad ipſius diuiſionem conducit.*

Quod verò ſpectat ad illa diuerſa capita quarti phyſ., quæ citat Gaſſendus, dicitur, Ariſtotelem non facere prædictam probationem, niſi in 8. cap. Sum. 3., idque manifeſtum fiet, ſi ſingillatim afferantur in medium ea, quæ traduntur ab Ariſt. in omnibus capitibus 4. lib., qui diuiduntur in tres Summas.

Prima Summa continet decem capita.

In primo famoſæ afferuntur rationes, tam affirmantes, quam negantes locum eſſe.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In ſecundo afferuntur ea, quæ faciunt dubitare de eſſentia, & quidditate loci.
In tertio docetur, quot modis aliquid in aliquo eſſe dicatur.
In quarto monſtratur, dici non poſſe, quod aliquid exiſtat in ſe ipſo.
In quinto ſoluitur dubitatio Zenonis de loco.
In ſexto narrantur propoſitiones proportionatæ, ex quibus deuenimus in cognitionem ipſius loci.
In ſeptimo traditur definitio loci, & ex dictis propoſitionibus notificatur, quid ſit.
In octauo declaratur per aliam viam, quod tradita definitio, eſt definitio loci.
In nono probatur, quod aſſignata definitio conueniat cunctis corporibus ſimplicibus mobilibus.
In decimo ſoluuntur dubia circa ipſum eſſe loci, & notificatur, quod per eius definitionem, ipſorum ſecundum naturam mobilium cauſa haberi poteſt eorum motus, & quietis.

Summa ſecunda continet ſex capita.

In primo manifeſtatur, quod ad naturalem ſpectet conſiderare de vacuo, & quo ordine, negantiumque, atque aſſerentium vacuum, rationes aſſignantur.
In ſecundo continetur confutatio quarumdam opinionum, vacuum eſſe aſſerentium.
In tertio deſtruitur ſermo probantium vacuum per motum, ex ipſo motu.
In quarto oſtenditur, vacuum non eſſe quid ſeparatum à corporibus.
In quinto probatur, quod non ſit vacuum corporibus imbibitum.
In ſexto demonſtratur, quod non abſque ratione dubitent ponentes vacuum eſſe, earumque dubitationum ſolutio affertur.

Quod ſi Ariſtoteles in hac de vacuo tractatione prædictam faciat probationem, non tamen ob id committit crambem, quia id nō facit propter definitionem temporis, nec propter diuiſionem motus, vt alibi fecit, ſed propter vacuum, vt ipſum reprobet, vnde non ciet nauſeam, cum ſemper diuerſimode vtatur prædicta probatione.

Summa tertia continet nouem capita.

In primo dubitatur, an tempus ſit, nec ne?
In ſecundo quæritur, quid ſit tempus, probaturque, ipſum non eſſe motum.
In tertio oſtenditur, tempus, quamvis non ſit motus, non tamen eſſe ſine motu, & declaratur, quid ſit ipſius motus, vbi datur etiā ipſius temporis definitio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In quarto declaratur, quam rationem habeat ipſum nunc ad tēpus.
In quinto explicatur, quis numerus ſit, qui accipitur in definitione temporis, ex quo nonnullorū in ipſo tempore cauſa redditur.
In ſexto exponitur, quid ſit eſſe in tempore, quæ ſint ea, quæ ſunt in tempore, quæve non ſunt in tempore, tempuſque, vt motum, ita & quietem menſurare.
In ſeptimo dicitur, quo pacto ipſum nunc continuat tempus, deque alio ſignificato ipſius nunc, & quid hæc ſignificent, ſcilicet, aliquando, iam, nuper, quondam, & repente. Et quod tempus corruptionis per ſe magis, generationis autem magis per accidens eſt cauſa.
In octauo probatur, mutationem omnem eſſe in tempore, hoc autem iam diximus ab Ariſtotele fieri propter definitionem tēporis.
In nono quædam adducuntur dubitationes circa ipſum tempus, & earum ſolutiones.
Hinc ergo conſtat, minus frequenter, quàm putauerit Gaſſendus, Ariſtotelem oſtendere in 4. lib. phyſ., Omne quod mouetur in tempore moueri, non autem in inſtanti. Et inſuper patet, hanc probationem ab Ariſt. repetitam eſſe tanta cum ratione, atque vtilitate, vt nullum ex ea faſtidium potuerit prouenire, quandoquidem, vel eam fecit propter vacuum, vel propter definitionem temporis, vt in 4. lib., vel vt in 6. propter diuiſionem ipſius motus, ob id nulla crambe in ea locum habere poteſt.

Accuſatio Quadrageſimaquinta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia lib. 6. phyſ. cap. 7. multas repetit nugas, de magnitudine, tempore, mobili, eorumque infinitate.

Maffeus diſſentit, & reſpondet dicendo, quod, vt docet Ambroſius Calepinus, hoc nomen nugæ á non ago, componi videtur, quod qui nugatur nihil agat, ita vt nugæ ſint, aut res nullius pretij, aut ſermones leuium rerum, ac nullius ponderis, & plerumque ſcurriles, & ioculatorij. Hinc Catullus Poemata ſua vocat nugas, vt de inanibus, minimeque ſerijs rebus agentia. Sed falſum eſt dicere, quod Ariſtoteles loquens de magnitudine, tempore, mobili, eorumque infinitate, nihil agat, vel quod agit, ſit ſcurrile, ioculatorium, & inane, igitur falſum eſt dicere, quod Ariſtote-
les

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

les loquens de prædictis repetat multas nugas. Assumptum innotescet ex consideratione omnium theorematum, & dogmatum, quæ ab Arist. traduntur in toto 6. lib. phys. Quare ne ex ingenio hac in re progredi videamur, adhærentes præ cæteris D. Thomę, per singulas Summas eius libri, quæ sunt quinque, nec non per singula capita nitemur ostendere, nihil in eo libro ab Arist. pronunciatum esse, quod vtilitare careat.

Summa prima continet tria capita.

In primo Aristoteles demonstrat, nullum continuum ex indiuisibilibus componi. Hæc autem demonstratio non est inanis. Postquam enim Arist. in 5. lib. determinauit de diuisione motus in suas species, deque vnitate, & contrarietate motuum, & quietũ, in 6. lib. intendit determinare ea, quæ pertinent ad diuisionem motus, quatenus diuiditur in partes quantitatiuas, & ideo, quasi iaciens quoddam fundamentum, præmittit hanc probationem, quà ostendit, nullum continuum componi ex indiuisibilibus, sic enim sibi pandit viam ad habendam tractationem de diuisione motus in partes quantitatiuas, cum post quam ostensum est, nullum continuum ex indiuisibilibus constare posse, nemo valeat instare dicendo, hunc sermonem de diuisione motus in partes quantitatiuas esse inanem, atque irrationabilem, propterea quod motus, quamvis de genere continuorum, est indiuisibilis, cum ad instar ipsius continui componatur ex indiuisibilibus. Meritò igitur Aristoteles prius quam aggrediatur tractationem de diuisione motus, ostendit, continuum non componi ex indiuisibilibus, ac proinde non nugatur, sed loquitur serio.

In secundo mõstratur, ad magnitudinis diuisionem sequi diuisionem temporis, & contra, idque non fit sine ratione. Cum enim superius probatum sit, quod si magnitudo componitur ex indiuisibilibus, motus etiam ex his componetur, nunc Arist. vult idem ostendere de tempore, ac magnitudine, nam hæc omnia se comitantur, videlicet motus, tempus, & magnitudo, cum oporteat, motum fieri super aliquod spacium, vt est magnitudo, & in tempore, quod est mensura motus.

In tertio traditur, finitum, & infinitum, eodem pacto inueniri in magnitudine, atque in tempore, hoc autem non est aliquid scurrile, ac nullius momenti, quia ex eo quod tempus, & magnitudo similiter se habent in ordine ad esse finitum, vel infinitum, Arist. facile colligit solutionem cuiusdam argumenti, quo vtebatur Zeno ad concludendum, nihil posse moueri.

Sum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Summa secunda continet duo capita.

In vtroque autem capite, Arist. præmittit quædam ad motus diuisionem necessaria, quod si hæc necessaria sunt, certe non possunt, nec debent censeri scurrilia, & inania, vt ea iudicauit Gassendus.

Summa tertia continet tria capita.

In primo Arist. probat, omne, quod mouetur esse, diuisibile, id vero non est parui momenti, sed maxime vtile ad facile percipiendam diuisionem ipsius motus; Nam si mobile, quod est propriũ subiectum motus, est diuisibile, certe hinc facile deduci potest, ipsum quoque motum esse diuisibilem.

In secundo explicat modos, quibus conuenit motui esse diuisibilem, & hoc non est nugatorium, immo valde necessarium, quia non possumus exacte cognoscere, attributum conuenire subiecto, nisi etiam perspectum habeamus modum, quo illi competit, siquidem alio modo v. g. inest homini rationalitas, & alio risibilitas. Operæ precium ergo erat scire, an vno dumtaxat modo, an pluribus, & si pluribus, quibus modis tribuitur motui diuisibilitas.

In tertio ostendit, quomodo se habeant ista quatuor, videlicet motus, tempus, moueri, & mobile. Primo quidem quo ad diuisionem, deinde quo ad esse finita, vel infinita, & vtrumque operæ precium fuit considerare. Primum quidem, quia sic tollitur dubitatio, quam aliquis excitare poterat, quærendo, an quatuor prædicta se consequantur quo ad diuisionem. Alterum vero, quia cum continuum sit actu finitum, & infinitum in potentia, vtpote diuisibile in semper diuisibila, ideo de prædictis quatuor dubitari poterat, an similiter se habeant, quo ad esse finita, vel infinita, quemadmodum se habent, quo ad diuisionem.

Ob aliam quoque rationem vtile fuit expendere, quomodo quatuor prædicta se habeant quo ad diuisionem, & quo ad finitatem, atq; infinitatem, quia poterat inquiri, an duo prædicta illis ex æquo conueniant, an vero ex illis quatuor sit aliquod primum, in quo primo inueniatur diuisibilitas, nec non finitum, & infinitum? Quare Arist. hæc omnia diligenter expendit, & sine nugis, sed grauibus documentis ea declarat.

De primo dicit, quod quatuor prædicta similiter diuiduntur, & ratio est. Quia omne, quod mouetur, mouetur in aliquo, idest secundum aliquod genus, vel speciem, vt explicat D. Thomas, & iterum in aliquo tempore, & iterum cuiuslibet mobilis est aliquis motus, vnde necesse est, vt quatuor prædicta similiter diuidantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

De ſecundo etiam dicit, quod ſicuti quatuor prædicta conſequũtur diuiſibilitatem, ita ſequuntur in hoc, quod eſt eſſe finita, vel infinita, ita vt ſi vnum iſtorum fuerit finitum, omnia erunt finita, & ſi infinitum, ſimiliter.

De tertio dicit, quod maximè ab eo, quod mutatur, conſequitur de omnibus alijs, quod diuidantur, & quod ſint finita, vel infinita, quia illud, quod eſt primum naturaliter in motu, eſt ipſum mobile, cui ſtatim ſuapte natura ineſt eſſe diuiſibile, nec non eſſe finitum, vel infinitum, ſicque ab ipſo ad alia deriuatur diuiſibilitas, vel eſſe finitum, aut infinitum.

Summa quarta continet quatuor capita.

In primo tradit quinque theoremata pertinentia ad motum, quorũ Primum tale eſt. Cum primum aliquid eſt mutatum, eſt in eo, ad quod eſt mutatum, vbi ſciendum eſt, quod, vt animaduertit Vicomercatus ex Auerroe, quamvis hoc etiam in præcedentibus oſtenſum fuerit, non tamen ob id Ariſt. accuſari debet, quod nunc idem oſtendat, quoniam ibi ex accidenti monſtratum fuit, hic per ſe, hic magis late, magiſque vniuerſaliter, quam ibi, hoc autem non eſt nugari, ſed tradere documentum valde vtile propter motum, quippe in motu duo ſunt; videlicet mutari, & mutatum eſſe, quapropter ex hoc theoremate conſtat, quando re vera mobile dicatur eſſe mutatum, id enim conuenit illi, quando eſt in eo, ad quod mutatum eſt, ſiue quando eſt in termino ad quem.

Secundum tale eſt. Id, in quo aliquid primò mutatum eſt, debet eſſe indiuiduum, hoc eſt, id, in quo aliquid ceſſat à motu, non eſt tempus, ſed momentum temporis indiuiduum, hoc autem ſcire neceſſarium erat, ne quis deciperetur exiſtimans, quod ſicuti motus menſuratur tempore, ita quando aliquod mobile ceſſat à motu, deſinat moueri in tempore. Inſuper hinc percipitur alia vtilitas, in eo poſita, vt facile ſolui poſſit captio illa Sophiſtarum, qua demonſtrare nitebantur, nunquam aliquem mori. Sic enim arguebant. Non moritur aliquis, dum viuit, nec poſtquã eſt mortuus, ergo nunquam moritur. Ad hoc reſpondetur, non mori aliquem, dum viuit, nec poſtquam eſt mortuus, quia non moritur in tempore, ſed in inſtanti, in quo dicitur primo vixiſſe, & à vita ceſſare.

Tertium tale eſt. In motu oportet quidem, dari vltimam mutatum eſſe, impoſſibile autem eſt, dari primum mutatum eſſe. Hoc autem docendum erat, ne putaremus, idem iudicium ferendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

esse de primo, & vltimo instanti motus, deq; primo, & vltimo mutatum esse, adeo vt sicut in motu non solũ datur vltimum instans, in quo desinit, sed etiam primum, in quo incipit, ita detur vltimũ mutatum esse, nec non etiam primum mutatum esse, deciperemur enim, si hoc verum esse opinaremur, quia licet in motu detur primum, & vltimum instans, & detur quoque vltimum mutatum esse, non tamen potest dari primum mutatum esse, propterea quod mutatum esse dicitur esse finis, ad quem tendit ipsum mutari, & ideo ante quodlibet mutatum esse oportet præcedere ipsum, mutari, secus mutatum esse desineret esse finis ipsius mutari, quod est falsum, hoc enim dato, sequeretur, mutari esse frustra, vtpote destitutum suo fine, cum tamen ipsa natura nihil frustra esse patiatur.

Quartum tale est. In ipso mobili nulla est pars, quæ omnium prima mutetur, siue, quæ omnium prima perueniat ad terminum, quia diuisio temporis, & mobilis in suas partes, tendit in infinitum. Sic autem occurritur dubitationi, quæ oriri poterat ex prædictis. Cum enim dictum sit, mobile esse diuisibile in partes quantitatiuas, iure quæri poterat, an ex huiusmodi partibus detur vna, quę omnium prima mutetur? Aristoteles ergo per hoc theorema tollit è medio hanc difficultatem, & ideò non profert nugas.

Quintum tale est. In ea magnitudine, in qua fit motus secundum locum, nihil est, in quo primo aliquid moueatur. Hìc autem cum Toleto est animaduertendum, quod spacium in motu locali reputatur pro termino ad quem, vnde patet, hoc theorema non esse inane, quia vt docet idem Toletus in expositione textus 49., cum Arist. demonstrasset, nec ex parte temporis, in quo fit motus, nec ex parte mobilis, cui motus inest, dari primam partem mutationis, æquum erat, vt ostenderet, nec etiam dari primam partem acquisitam ex parte termini, ad quem fit motus.

In secundo assignantur tria theoremata, ex quibus haberi potest solutio variarum difficultatum, quas aliquis in medium afferre posset, idemque dicendum erit de multis alijs theorematibus, quæ in sequentibus capitibus cum Arist. adducemus, vt facile constare poterit ea diligenter considerantibus.

Primum ergo huius capitis theorema tale est. Quod mouetur primo in tempore, mouetur in quavis parte illius temporis; Nam secus non moueretur primo in toto tempore.

Secundum tale est. Quidquid mouetur dicitur, antea mutatum esse, ita vt priusquam terminetur aliqua pars motus, mobile iam sit mutatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Tertium tale eſt. **Ante omne mutatum, eſſe præcedit mutari, ſiue ante terminum motus præcedit moueri.**

Dum autem Ariſt. explicat huiuſmodi theoremata, non verſatur circa ſcurrilia, ſed maximam nobis affert vtilitatem, cum ab animo noſtro pellat omnem dubitandi occaſionem, & eadem rationibus confirmans, de illorum veritate nos certos reddat.

In tertio continentur quatuor theoremata, quorum

Primum tale eſt. Nihil poteſt tempore infinito percurrere magnitudinem finitam.

Secundum tale eſt. Nihil poteſt tempore finito percurrere magnitudinem infinitam.

Tertium tale eſt. Mobile finitum non poteſt tempore finito percurrere magnitudinem infinitam.

Quartum tale eſt. Mobile infinitum non poteſt tempore finito percurrere magnitudinem finitam.

Hæc autem theoremata non eſſe ſcurrilia, & nullius momenti, atque ideo non eſſe nugas, conſtat ex eo, quod non ſolum conferunt ad ſoluendas dubitationes, verùm etiam efficiunt, vt cognoſcamus, quam bene Atiſt. in præcedentibus loquutus fuerit de diuiſione magnitudinis, temporis, motus, & mobilis, idque manifeſtum euadet, ſi vnica ratione patefaciamus veritatem omnium prædictorum theorematum, quorum hæc eſt vnica ratio, quia ex præcedentibus conſtat magnitudinem, tempus, motum, & mobile conſimili diuiſione diuiſibilia eſſe, vnde ſi detur aliqua pars motus, debet illi reſpondere aliqua pars magnitudinis, aliqua pars temporis, & aliqua pars ipſius mobilis, idque mutuò ſeruatur inter hæc omnia. Igitur ſi vnum ex his ſupponatur eſſe finitum, alterum non poterit eſſe infinitum, vel dicendum erit, non eſſe conſimiliter diuidua, quod eſt contra prædicta. Modo in primo theoremate ſumitur tempus infinitum, & magnitudo finita: In ſecundo accipitur magnitudo infinita, tempus autem finitum; In tertio ponitur magnitudo infinita, cum ipſo mobili, ac tempore finitis; In quarto conſtituitur mobile infinitum cum tempore, ac magnitudine finitis, ideoque non ſumuntur, tamquam diuiſibilia conſimiliter, propterea non mirum, ſi non poſſit per ea fieri motus.

In quarto habentur ſex theoremata, quæ pertinent ad quietem, de qua debebat Ariſt. agere, cum natura non ſolum reſpiciat motum, ſed etiam quietem.

Primum tale eſt. Quod inſiſtit, ideſt fertur ad quietem, mouetur.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Cum enim ſtatio ſit generatio quietis, vt ait D. Thomas ex 5. phyſ., ideo dicendum erat, quomodo ſe habeat ad quietem id, quod ſtat, ob id Ariſt. docet, ita ſe habere vt moueatur, & ratio eſt, quia, quidquid eſt natum moueri, quando natum eſt moueri, aut mouetur, aut quieſcit. Sed quod inſiſtit, non quieſcit, quoniam inſiſtere, eſt ferri ad quietem, quod autem fertur ad quietem, nondum quieſcit, ergo mouebitur.

Secundum tale eſt. Quod inſiſtit, in tempore inſiſtit; Id vero ſubditur ab Ariſt., vt quid conſequens, quod dictum eſt in primo theoremate. Nam ſi quod inſiſtit, mouetur, certe ſequitur, inſiſtere debere in tempore, quod eſt menſura motus.

Tertium tale eſt. Quod inſiſtit in aliquo tempore primo, inſiſtit in qualibet parte ipſius temporis, quod ita probatur. Diuidatur tempus in duas partes, aut in neutra inſiſtit, aut in vna tantum, aut in vtraque. Si in neutra inſiſtit, aut in vna tantum, non inſiſtet in toto tempore primo, cuius oppoſitum ſupponebatur. Debet ergo inſiſtere in vtraque, ac proinde in qualibet parte illius temporis.

Quartum tale eſt. Id, quod inſiſtit, nullum habet principium, in quo primo inſiſtat, nec tempus, neque momentum, quemadmodum neque id, quod mouetur; Nam aut illud principium eſſet diuiduum, vt tempus, aut indiuiduum, vt momentum. Indiuiduum eſſe non poteſt, quia quod inſiſtit, mouetur, in indiuiduo autem nihil mouetur. Nec etiam poteſt eſſe diuiduum, quia ſi inſiſtit in eo tempore primo, debet inſiſtere in quauis eius parte; Sed partes temporis diuiſione ſunt infinitæ. Nunquam ergo reperietur prima pars temporis, in qua primo inſiſtat.

Quintum tale eſt. Id, quod quieſcit, nullum habet principium, in quo primo dicatur quieſcere, idque manifeſtari poteſt eadem ratione, qua probatum fuit quartum theorema.

Sextum tale eſt. Id, quod mouetur, non poteſt eſſe in vno, & eodem loco per duo inſtantia, ſed ſolum per vnum inſtans, quia id, quod eſt in vno, & eodem loco per duo inſtantia, eſt in eodem loco per aliquod tempus, nam inter duo inſtantia cadit tempus medium, ergo quieſcit, quoniam quieſcere eſt, per aliquod tempus eſſe in eodem loco. Quare ſi id, quod mouetur eſt in eodem loco per duo inſtantia, ſimul mouetur, & quieſcit, quod eſt impoſſibile.

Summa quinta complectitur tria capita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In primo adducuntur, simulque diluuntur sex argumenta Zenonis, quibus motum tollere conabatur, quorum

Primum tale est. Omne quod mouetur super aliquod spacium, prius pertransit medietatem spacij, quam totum spacium. Sed medietas spacij, cum sit quoddam continuum, habet partes infinitas (est enim diuisibilis in infinitum) igitur omne, quod mouetur super aliquod spacium, debet pertransiire partes infinitas, hoc autem est impossibile, quoniam ex tertio phys. infinitum pertransiri non potest, ergo nihil mouetur, saltem secundum locum.

Secundum tale est. Si aliquid loco mouetur, sequitur, id quod velocissimè mouetur, nunquuam assequturũ, quod mouetur tardissimè. Consequens est absurdum, ergo & antecedens. Consequentia deducitur sic. Pono casum, quod limaca transierit duos cubitos spacij, antequam canis incipiat moueri. Tunc ergo incipiat canis moueri, certum est, quod in eo tempore, in quo canis transibit duos cubitos spacij, iam pertransitos à limaca, quod adhuc limaca pertransibit modicum spacij; Volo enim quod limaca continue moueatur, & cum canis pertransierit duos cubitos, adhuc pertransire debet illud modicum spacij, quod pertransiuit limaca, & eo tempore, quo canis transibit illud modicum spacij, adhuc limaca pertransibit aliud modicum spacij, quod nondum transiuit canis, & sic semper procedendo sequitur, quod canis nunquam attinget limacam, quamvis ille velocissime, ista tardissime moueatur, quod est inconueniens.

Tertium tale est. Omne, quod est in loco sibi æquali, & adæquato, aut mouetur, aut quescit in tali loco pro aliquo tempore. Sed omne, quod mouetur in aliquo tempore, puta in hora, in quolibet instanti est in loco sibi æquali (nam lapis, qui mouetur in aqua, est in tanta aqua circumdante lapidem, quantus est ipse lapis) ergo omne quod mouetur in quolibet instanti, aut mouetur, aut quiescit, sed non mouetur, quia in instanti non est motus, ergo in quolibet instanti quiescit, vnde sequitur, quod sagitta, quæ etiam videtur velocissime moueri, quiescat.

Quartum tale est. Dato motu, sequitur tempus duplum, & dimidium esse idem, aut æquale, quod est inconueniens; ergo non datur motus. Sequela probatur sic. Accipiantur tres magnitudines, quarum duæ moueantur, & vna quiescat; sit magnitudo quiescens AAA., supra quam moueantur aliæ duæ magnitudines, videlicet magnitudo BBB,. & magnitudo CCC., ita tamen, vt vna con-

contra aliam moueatur, & vtraque incipiat moueri à medio magnitudinis quiescentis AAA., & ambę moueãtur æquè velociter, tunc certum est, quod in eodem tempore, in quo magnitudo CCC pertransit totam magnitudinem BBB., non pertransit, nisi medietatem magnitudinis AAA., Cum igitur tempus, in quo pertransitur tota magnitudo, sit duplex respectu temporis, quo pertransitur medietas illius magnitudinis, manifeste sequitur, quod si magnitudo CCC, pertransit totam magnitudinem BBB., & medietatem magnitudinis AAA. in eodem tempore, sequitur inquam, quod idem tempus sit duplum, & dimidium respectu sui, cum tempus deseruiens motui, quo magnitudo CCC. pertransit totam magnitudinem BBB. sit duplum ad tempus deseruiens motui, quo eadem magnitudo CCC pertransit medietatem magnitudinis AAA.

Demonstratio.

Istæ duæ magnitudines moueantur vna contra aliam æquali velocitate

BBB
Magnitudo mota.

CCC
Magnitudo mota.

AAA
Magnitudo quiescens.

QVintum tale est. Si aliquid moueatur v. g. ex non albo in album, dum mouetur, non est in albo, quia quando est in albo iam est mutatum, nec est in non albo, quia tunc nondum mouetur, sed quiescit, ergo neque est album, neque non album. Sed hoc esse non potest, quoniam ex contradicentibus necesse est alterum conuenire subiecto, igitur inter album, & non album nullus est motus.

Sextum tale est: Si id, quod magis videtur moueri, non mouetur, neque cætera mouebuntur. Sed sphæra, quæ magis videtur moueri, non mouetur, ergo neque cætera mouebuntur,. Assumptum patet ex eo, quia tota sphera, & partes ipsius semper sunt in eodem loco.

Ad primum respondet Arist. dicendo, quod si spacium esset infinitē

actu, ratio prædicta concluderet; sed est infinitum solum in potentia, secundum diuisionem, & cum Zeno dicit, quod partes infinitæ, pertransiri non possunt, verum est de infinitis partibus actu, non autem de partibus infinitis in potentia. Itaquè Zeno concludit, quod pertransiretur infinitum in potentia, quod non est inconueniens. Nam hoc modo quælibet pars temporis est infinita, & nihilominus continue transit.

Ad secundum dicit; quod cũ canis incipiet moueri, nõ solũ pertrãsibit duos cubitos spacij in hora, in qua illos pertrãsiuit limaca, sed etiã pertrãsibit plures, videlicet quatuor cubitos, & sic præcedet limacã, & ideo falsũ est, quod in eodẽ tẽpore, in quo canis pertrãsit duos cubitos, limaca pertranseat modicum spacij, quod non pertransierit canis in eodem tempore. Mobile namque velocius in æquali tempore, maius pertransit spacium, quam tardius.

Ad tertium dicit, quod non est necessarium, vt omne, quod mouetur in aliquo tempore, moueatur, aut quiescat in quolibet instanti illius temporis, quia in instanti nec est motus, nec quies, sed solum necesse est, illud moueri, aut quiescere in qualibet parte ipsius temporis; Partes autem temporis non sunt instantia, sicuti nec pũcta sũt partes lineæ, ob id ratio Zenonis nõ cõcludit.

Ad quartum dicit, quod non oportet, mobilia æqualia in velocitate pertransire spacium æquale in æquali tempore, nisi cætera fuerint paria, vt si spacia, super quæ mouentur, sint quiescentia, vel ambo mota æquali velocitate, ac eodem modo. Nunc autem vnum spacium pertransitum, est quiescens, & aliud è contrario motum, & ideo non est verum, quod mobilia æque velocia pertranseant inæquali tempore spacia æqualia, quia spacia, super quæ fit motus, non se habent vniformiter, cum vnum sit quiescens, & aliud motum.

Ad quintum dicit. Illud, quod mouetur ex non albo in album, non esse totum in albo, neque totum in non albo, non tamen inde sequitur simpliciter, nec esse album, neque non album, quia duobus modis dicitur aliquid simpliciter album, aut non album. Primo quod totum est album, aut non album. Secundo, quod maiori ex parte est album, aut non album, & hoc secundo modo id, quod mouetur ex non albo in album, dicitur simpliciter, siue totum album, aut non album, nempe secundum plures partes, qua ratione album, & non album non sunt contradicentia;

Ad sextum dicit, falsum esse, quod partes sphæræ sint in eodem loco,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

loco, mutant enim locum, quia pars, quæ est in ortu, postea est in occasu.

Cum ergo Aristoteles plene satisfecerit rationibus, quas adhibebat Zeno, vt motum tolleret, non est dicendum cum Gassendo, quod Arist. loco citato multas nugas repetat de magnitudine, tempore, & mobili, sed potius firmiter tenendum est, Aristotelem tradere nobis dogmata maxime necessaria, cum sublato motu, auferatur natura, & destruatur tota scientia naturalis.

In secundo. Ad confutandum errorem Democriti ponentis quædam corpuscula indiuisibilia instar punctorum, & dicentis, ea esse in continuo motu, probat, nullum indiuisibile secundum quantitatem posse per se moueri, quia si moueretur, vel esset in termino à quo, aut in termino ad quem, aut secundum partem esset in vno termino, & secundum partem in alio.

Primum dici non potest, quia mobile dum est in termino à quo, nondum cæpit moueri, sed adhuc quiescit. Neque secundum, quia quando est in termino ad quem, non amplius mouetur, sed iam est motum; Neque tertium, quia si punctus esset secundum vnam partem in vno termino, & secundum aliam in alio, esset diuisibilis in partes, cum tamen punctus à Mathematicis definiatur, vt sit illud, cuius nulla pars est. Quare indiuisibile, vt punctus, non potest per se moueri. Neque vero hic labor censeri debet inanis, cum ex huiusmodi assertione pateat, quid pro veritate sentire debeamus de motu, cum alij circa ipsum decepti fuerint.

In tertio demonstrat, nullam mutationem esse infinitam, contra Heraclitum existimantem, omnia semper moueri, & nunquam quiescere, sicque vniuersa esse in quodam continuo fluxu, ideoque putabat, non posse dari scientiam de his rebus inferioribus, quæ iugiter variantur. Quod autem nulla mutatio possit esse infinita, ostendit Aristoteles,

Primo, quia omnis mutatio fit ab extremo ad extremum, ergo non potest esse infinita, sic enim non esset duobus extremis circumscripta.

Secundo quia, cum in omni mutatione fiat processus à termino à quo, ad terminum ad quem, quando fit aliqua mutatio, quæritur. Vel in hac aliquando acceditur, ac peruenitur ad terminũ ad quem, vel nunquam. Si sic ergo tunc cessat; Id enim, prætersquamquod patet ad sensum, probatur etiam ratione. Nam terminus ad quem est finis, cuius gratia fit aliqua mutatio, habito au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

autem fine, cessat omnis actio. Si non, ergo est frustra, quod natura non patitur. Consequentia vero constat ex eo, quia illud putatur esse frustra, quod non assequitur finem, propter quem est, vt frustra dicitur calceamentum, cuius non est calceatio. Quapropter Arist. concludit, nullam mutationem esse infinitam. Et hoc etiam est magni momenti, cum intellectus noster fiat immunis ab errore, in quem lapsus est Heraclitus, & veritatem agnoscat, ac teneat, mutationem omnem factam ab extremo ad extremum, siue inter duos terminos á quo, & ad quem, esse finitam.

His autem omnibus ita expensis, contra Gassendum concludere possumus, Aristotelem non tradere nobis nugas, sed ea theoremata, quæ vel necessaria, vel maxime vtilia sunt ad veritatem intelligendam, & ad tollendas dubitationes, quæ de prædictis excitari posse videbantur.

Accusatio Quadragesimasexta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia lib. 7. phys. cap. primo profert hæc dicta. In diuiduo diuiduum, & diuiduum in diuiduo, quasi valde diuersa; Vnde videtur dignus repræhensione, cum potius idem significent.

Maffeus dissentit, & respondet,

Primo, quod Aristoteles neque in primo capite septimi phys. quod citat Gassendus, neque in toto illo septimo lib. profert hæc verba scilicet, in diuiduo diuiduum, & diuiduum in diuiduo.

Secundò, quod in calce postremi capitis illius septimi libri profert hæc verba, videlicet. In duplo duplum, aut duplum in duplo: Dimidium autem in dimidio tempore, aut in dimidio dimidium, aut in æquali duplum. Hæc autem D. Thomas in suo comm. ita interpretatur.

Si aliqua potentia secundum hos motus moueat tantum in tanto tempore, in duplo tempore mouebit duplum, & si mouet duplũ hoc erit in duplo tempore; Et similiter mouebit eadem potentia medium in medio tempore, aut si moueat in medio tempore, erit dimidium, quod est motum: Aut si sit dupla potentia, in æquali tempore mouebit duplum.

Hinc vero patet, Aristotelem per has voces, nempe duplum, & in duplo, similiter dimidium, & in dimidio significare diuersa. Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

per duplum, & per dimidium denotat id, quod motum eſt à potentia. Per illas vero dictiones, in duplo, & in dimidio, deſignat ipſum tempus, in quo potentia mouet.

Quod ſi Gaſſendus inſtet dicendo, ſe vim facere in eo, quod Ariſt: videtur proferre iſta duo, ſcilicet duplum in duplo, & in duplo duplum; Similiter hæc duo, dimidium in dimidio, & in dimidio dimidium, tamquam diuerſi, cum tamen ſint idem. Idem enim eſt dicere, duplum in duplo, & dicere in duplo duplum.

Ad hoc reſpondetur animaduertẽdo, quod Ariſt. ita loquutus eſt sũmo cum artificio, ſic enim voluit innuere terminorum reciprocationem, adeo vt valeat illatio à virtute potentiæ, vel etiam ab ipſo mobili ad tempus, & à tempore ad virtutem potentiæ, vel etiam ad mobile, vt ſit ſenſus. Si potentia virtutem habeat mouendi aliquod mobile duplum, illud mouebit in tempore duplo, & é contrario, ſi potentia vim habeat mouendi aliquod mobile in tempore duplo, illud mobile duplum erit; idemque dicatur de dimidio. Idcirco Ariſt. vſus eſt particula diſiunctiua, Aut, quæ denotat aliquam diuerſitatem, vnde forte Gaſſendus accepit occaſionem redarguendi Ariſtotelem, quod prædicta proferat, vt diuerſa, cum tamen videantur eſſe idem.

Nos autem dicimus, Ariſtotelem prædicta ſumere tamquam diuerſa, licet enim quo ad modum loquendi appareant idem, re tamen ipſa non ſunt, quia dicendo duplum in duplo, fit tranſitus, & illatio à virtute potentiæ, vel etiam ab ipſo mobili ad tempus. Dicendo autem. In duplo duplum, fit tranſitus, & illatio a tempore ad virtutem potentiæ, vel etiam ad mobile, ſicuti quo admodum loquendi videtur idem dicere, eſt riſibile, ergo eſt rationale, &, eſt rationale, ergo eſt riſibile, re vera tamen non eſt idem, quia primo modo proceditur ab effectu ad cauſam, altero autem à cauſa itur ad effectum.

Accuſatio Quadrageſimaſeptima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia 8.lib. phyſ., cap. 6. 7. & 8. ità loquitur, vt in prædictis locis multæ habeantur tautologię.

Maffeus diſſentit, & reſpondet,

Primo Gaſſendum gratis, & ſine vlla probatione dixiſſe, quod in 8. lib. phyſ., locis citatis habeantur multæ tautologiæ, has enim explicare debebat, quod non fecit. Se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundo negando, in locis citatis committi ab Arist. multas tautologias, cum nec vna quidem committatur. Nam, vt aliàs diximus, tautologia est eiusdem sententiæ per alia, & alia verba repetitio. Vt autem hoc fiat manifestum, operæ precium erit percurrere singula capita totius octaui libri, animaduertendo, quod totus liber continet quatuor Summas.

Prima Summa complectitur duo capita,

In primo, postquam Arist., vt ait D.Thomas in commentario illius 12. lib., in septimo libro demonstrauit, oportere ponere primum mobile, & primum motum, primumque motorem, in hoc libro intendit inquirere, qualis sit primus motor, primus motus, & primum mobile, ideoque præmittit quoddam, quod est necessarium ad sequentem inuestigationem, ostendens, motum esse sempiternum, idque probat in toto primo capite.

In secundo Arist. post rationes adductas ad probandum, quod motus est semper soluit ea, quæ in contrarium obijci possunt.

Summa secunda continet quinque capita,

In primo constituta vniuersaliter æternitate motus, nunc, vt ait Toletus in comm. huius capitis, indagat æternitatem vnius primi motus, ac similiter vnius primi motoris. Pro hac autem inquisitione in sex textibus, qui continentur in hoc primo capite, Arist. multa facit, quæ singillatim considerabimus, vt perspicuum sit, Aristotelem non repetere multoties eandem sententiam, atque ideo non committere multas tautologias, vt perperam putauit Gassendus.

Aristoteles itaque in tex. 21., á quo incipit hoc primũ caput, exordium sumens à quæstione proposita in superiori contex. 19. An, quæ mouentur, semper moueantur, & quæ quiescunt, semper quiescant? Primo ponit hanc tripartitam diuisionem, videlicet

Aut omnia semper mouentur,
Aut omnia semper quiescunt,
Aut aliqua quiescunt, & aliqua mouentur.

Deinde subdiuidens hoc tertium membrum, aliam affert tripartitam diuisionem, dicens, quod

Avt illa, quæ mouentur, semper mouentur, & illa, quæ quiescũt, semper quiescunt,

Aut illa, quæ mouentur, possunt quiescere, & illa, quæ quiescunt, possunt moueri.

Aut alia mouentur semper, alia semper quiescunt, alia modo mouentur, modo quiescunt; Ex quibus patet, dari tria genera entium, ita vt sint Quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Quædam ſemper immobilia,
Quædam ſemper mobilia,
Quædam apta modo moueri, & modo quieſcere.

Hæc ſunt, quæ ab Ariſt. docentur in prædicto contextu. Nemo autem ſanæ mentis aſſerere poterit, eamdem in eo ſententiam ab Aristotele pluries repeti, vnde nec in eodem locum habebit aliqua tautologia.

In tex. 22. Ariſt. tribus argumentis oſtendit, falſam eſſe hanc vniuerſalem aſſertionem, ſcilicet, omnia ſemper quieſcunt.

In tex. 23. reijcit, vt à veritate alienam, hanc enunciationem vniuerſalem, nimirum, omnia ſemper mouentur, demonſtrando, ipſam eſſe falſam in quacumque ſpecie motus, proinde cogitur proponere diuerſa; cum ſpecies motus ab inuicem differant.

In tex. 24. primo probat de motu locali, quod non omnia ſemper moueantur ſecundum locum, idque concludit duabus rationibus. Poſtea impugnat tertiam diuiſionis partem, in qua dicebatur, quod aliqua ſemper quieſcunt, & aliqua ſemper mouentur, ita vt nihil ſit, quod aliquando quieſcat & aliquando moueatur. Ad hoc autem oſtendendum, vtitur duabus rationibus diuerſis.

In tex 25. primo concludit, quod alia quidem aliquando mouentur, & aliquando quieſcunt, quod eſt contra partem impugnatam: Poſtea excludit quartam partem, in qua dicebatur, quod omnia aliquando mouentur, & aliquando quieſcunt.

Denique, reiectis his quatuor aſſertionibus, ad inferendam quintam diuiſionis partem reſumit diuiſiones à ſe adductas in tex. 21., Nec tamen ob id tautologiam committit, quoniam alio modo huiuſmodi diuiſiones allatæ fuerunt in tex. 21., alio modo adducuntur in hoc tex. 25. Ibi enim poſitæ ſunt tamquam fundamentum dicendorum, & relatæ fuerunt ſimpliciter, & abſolutè abſque, vllo diſcurſu; Hic vero reſumuntur, vt ex ipſis ab Ariſt. componatur ſyllogiſmus diuiſiuus, & adhibentur cum reſpectu, & habitudine ad aliud, videlicet, ad hanc veram concluſionem, ſcilicet, ergo quædam aliquando mouentur, & aliquando quieſcunt.

In tex. 26. primo affert integrum ſyllogiſmum diuiſiuum talem. Aut omnia quieſcunt, aut omnia mouentur, aut aliqua quieſcunt, & aliqua mouentur, & hornm, aut omnia ſunt apta nata moueri, & quieſcere aliquando. Aut aliqua ſemper quieſcunt, alia ſemper mouentur, & alia modo mouentur, modo quieſcunt.

Secundo reprobat primum membrum, dicens, quod ſupra dictum eſt, fieri non poſſe, vt omnia ſemper quieſcant, ſed & nunc etiã aliquid eſt addendum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Tertio contra istam propositionem duo dicit

Primo quidem, quod necesse est ponere motum aliquem saltem in anima. Quia si aliquis dicere velit, quod secundum veritatem sic se habet, quod nihil mouetur, sicuti dixerunt sequentes Melissum, qui posuit, quod ens est infinitum, & immobile, sed tamen non videtur ita secundum sensum, sed multa entia mouentur, vt sensus iudicat. Si ergo aliquis dicat, quod ista opinio est falsa, qua opinamur, quædam moueri, adhuc sequitur, quod sit motus. Quia si opinio falsa est, motus est, & si phantasia est, motus est. Quomodo autem phantasia dicatur esse motus, D.Thomas paucis explicat dicens. Quia phantasia est motus quidam sensitiuæ partis, factus à sensu secundum actum. Hoc autem fusius exponere iuxta sententiam Toleti, pertinet ad libros de Anima.

Declarat etiam D.Thomas, qua ratione opinio sit motus quidam, dicens, ob id eam esse talem, quia opinio est motus rationis ex aliquibus ratiocinationibus procedens.

Secundo Aristoteles contra eamdem opinionem dicit, hoc esse adeo per se notum, quod scilicet aliqua moueantur, vt non oporteat quærere rationem; cum habeamus testimonium sensus, qui notior est ratione; Quærere autem rationem, vbi habetur testimonium sensus, & dimittere sensum est indicium imbecillitatis ingenij, & est signum hominis non distinguentis melius à peiori, nec per se notum ab eo, quod non est per se notum.

Neque vero accusandus est Arist., quod videatur eamdem sententiam proferens committere tautologiam, dum in tex. 26. repetit illud idem, quod protulit in tex. 22., nempe ad sensum patère, falsam esse hanc vniuersalem enunciationem, scilicet, omnia semper quiescunt.

Nam pro Arist. respondetur, non esse omnino eamdem sententiam, quia in tex. 22. illa propositio ponitur, tamquam pars fundamenti conferentis ad ea, quæ dicenda erant. Cæterum in tex. 26. eadem propositio adhibetur, tamquam pars integri syllogismi diuisiui ab Arist. constructi pro determinatione veritatis.

Quod autem Arist. vtrobique vtatur testimonio sensus, non est mirum, id enim facere debuit, quia vtrobique ad ostendendum, non omnia semper quiescere, adhibuit rationem, ideo non ignorans, quod quærere rationem in rebus sensui manifestis, & dimittere sensum, est quædam infirmitas intellectus, vt ipse apertè confessus est in tex. 22., putauit necessarium esse, vt vtrobique, post allatam rationem, adduceret etiam testimonium sensus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Demum in calce eiuſdem textus 26. Ariſt. docet, has etiam enunciationes, quibus aſſeritur, vel omnia ſemper moueri, vel alia quidem ſemper moueri, alia vero ſemper quieſcere, vnica ratione deſumpta ex ipſo ſenſu, vel confirmata per experientiam, poſſe reprobari. Videmus enim, quædam aliquando quidem moueri, aliquando autem quieſcere, vnde concludit, fieri non poſſe, vt omnia ſimiliter quieſcant, & omnia ſimiliter moueantur cōtinue, ideſt ſemper, adeo vt non ſit aliquod medium, reſpectu cuius dicere liceat, quod ſunt aliqua entia, quæ aliquando mouentur, & aliquando quieſcunt.

In ſecundo capite, quod continet ſeptem contextus. In tex. 27., á quo incipit prædictum caput, Ariſt. plura facit.

Primo docet, reliquū eſſe conſiderandum, an omnia ſint huiuſmodi, vt moueantur, & quieſcant, an vero non omnia, ſed aliqua tantum talia ſint, vt moueantur, & quieſcant, ita tamen vt dentur aliqua, quæ ſemper quieſcant, & aliqua, quæ ſemper moueantur.

Secundo aſſerit, hoc vltimum eſſe illud, quod ſibi demonſtrandum proponit, ſic enim oſtendet, primum motum eſſe ſempiternum, & motorem primum eſſe immobilem.

Tertio poſtquam manifeſtauit ſuam intentionem, incipiens illam exequi, affert in medium tres diuiſiones mouentium, & mobilium, eaſque declarat, & ſic apparet, quod Ariſt. in hoc tex. ſemper diuerſa proponit; Vnde falſo dicitur, multas ab eo tautologias committi; Et id ipſum conſtabit etiam ex conſideratione aliorum textuum.

In tex. 28. probaturus veritatem huius propoſitionis, videlicet omne, quod per ſe mouetur, ab alio mouetur, docet, in quibus manifeſta ſit, aſſerens, eam eſſe perſpicuam in illis, quæ mouentur per vim, ſeu contra naturam, cum violentum ex 3. Eth. tex. 2. dicatur eſſe illud, cuius principium eſt extra, ſiue quod mouetur ab extrinſeco principio, nullam conferente vim paſſo.

Non ſolum autem vult, prædictam aſſertionem eſſe notam in ijs, quę vi mouentur, ſed etiam in ijs, quę mouentur à ſe ipſis, vt ſe habent animalia, quę non dicuntur moueri à ſe ipſis, niſi quatenus diuiduntur in duas partes, quarum vna mouet, vt anima, & altera mouetur, vt corpus; Cumque anima ſit aliquid aliud, vel diuerſum à corpore, verum erit affirmare, animal, quod mouetur à ſe ipſo, moueri ab alio.

In tex. 29. docet, prædictam enuciationem non eſſe ita claram in

grauibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

grauibus, & leuibus, licet enim quando hæc feruntur contra naturam, vt grauia sursum, & leuia deorsum, satis constet, ea moueri ab alio, attamen valde dubium est, an moueantur ab alio, quando feruntur secundum naturam, vt leuia sursum, & grauia deorsum, propterea hęc etiam ab alio moueri, probat ex eo, quia secus deberēt moueri à se ipsis, quod fieri non posse, demonstrat quatuor argumentis, quorũ tria continentur in hoc tex. 29.

In tex. 30. ponit quartum argumentum.

In tex. 31., & 32. explicat, à quo moueantur grauia, & leuia, quando mouentur secundum naturam, affirmans, hęc per se moneri à generante, quod sicuti dat formam, ita etiam dat ea, quę consequuntur ipsam formam, inter quę est proprius motus naturalis. Per accidens vero mouentur à remouente prohibens.

Nec dicat Gassendus, quod Arist. ab re quęrat, quo pacto moueantur grauia, & leuia, quę non mouentur à se ipsis? Quia vel cęcus videre posset, id ab Arist. summa cum ratione fieri. Postquam enim in tex. 28. docuit, in quibus manifesta sit hęc propositio, scilicet. Omne, quod per se mouetur, mouetur ab alio. Et postquam in text. 29. tradidit, eamdem esse dubiam in grauibus, & leuibus, quando feruntur secundum naturam, & in eodem tex. 29., nec non in tex. 30. pluribus argumentis ostendit; hęc etiam ab alio moueri debere; cum non possint moueri á se ipsis, profecto, ne huiusmodi considerationem relinqueret imperfectam, tenebatur demonstrare, à quo principio deriuetur motus ipsorum, quando naturaliter feruntnr, idque fecit in tex. 31., & 32., vnde non ab re, sed conuenienter, immo necessario agitat quęstionem illam. Qua ratione moueantur non mota à se ipsis?

In tex. 33. concludit, quod pręcipue concludere intendebat in hoc toto capite, dicens, quod si hęc omnia vera sunt, vt citra omnem controuersiam sunt verissima, cum veritas ipsorum in pręcedentibus fuerit demonstrata, videlicet,

Primo, quod quęcumque per se mouentur, aut mouentur secundũ naturam, aut contra naturam, vel per violentiam.

Secundo, quod omnia illa, quę mouentur per vim, non solum mouentur ab aliquo mouente, sed etiã á mouente alio extrinseco.

Tertio, quod quę mouentur secundum naturam à se ipsis, mouentur ab aliquo, non quidem extrinseco, sed intrinseco.

Quarto, quod quę mouentur secundum naturam, non tamen à se ipsis, vt grauia, & leuia, moueutur ab aliquo, scilicet per se à generante, per accidens vero á remouente prohibens.

Si,

Si, inquam, hæc omnia sunt vera, patet, quod omnia, quæ mouentur, mouentur ab aliquo, vel intrinseco motore, vel extrinseco, quæ ob id ab aliquo proprie moueri dicuntur.

In tertio capite, quod amplectitur sex testus, Aristoteles

Primo proponit sibi manifestandam huiusmodi conclusionem, nimirum. Necesse est, esse aliquod mouens primum, quod non moueatur ab alio.

Secundo prædictam conclusionem probat quatuor argumẽtis, quorum primum adducit in tex. 34.

Secundum in tex. 35.

Tertium in tex. 36. Et quia in hoc argumento sumpsit hanc minorem propositionem bimembrem, videlicet. Ei, quod mouet, non potest conuenire hoc attributum, quod est per se moueri ab alio, nec per se, nec per accidens, propterea ostendit, veram esse istá propositionem, quo ad vtramque partem, & primo quo ad primam, in qua dicitur, prædictum attributum non posse conuenire illi per accidens, idque manifestat tribus rationibus; quarum primam ponit in eodem textu 36., secundam, & tertiam in tex. 37. In tex. autem 38. confirmat alteram partem eiusdem propositionis, in qua dicebatur, quod ei, quod mouet, moueri per se ab alio, non potest conuenire necessario.

In tex. 39. primo adducit quartum argumentum, quo demonstrat veritatem eiusdem conclusionis positæ in isto tertio capite. Deinde ponit hanc vniuersalem conclusionem, scilicet. Non est necesse, id, quod mouetur, semper moueri ab alio, quod adhuc ab extrinseco moueatur, sed vel standum est in aliquo primo mouente, quod ita moueat, vt nulla ratione moueatur, vel saltem deueniendum est ad aliquod primum mouens, quod non moueatur ab alio, quamvis possit à se ipso moueri.

In quarto capite continentur quinque textus, in quibus ab Arist. traduntur diuersa.

In tex. 40., à quo incipit prædictum caput, postquam in præcedentibus conclusit, dandum esse aliquod primum mouens, quod non moueatur ab alio extrinseco mouente, quamvis moueatur à se ipso, primo proponit considerandum, & declarandum modum, quo istud mouens immobile ab alio, dicitur moueri à se ipso.

Secundo supponit duo, tamquam principia, & fundamenta dicendorum. Vnum est, quod, vt habetur 6. phys. omne, quod per se mouetur, continuum est, atque ideo est diuisibile in semper diuisibilia. Hæc autem suppositio est vtilis, quia, vt Aristoteles

 po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

postea ostendit, in illo, quod mouetur à se ipso, debent diuidi duæ partes, quarum vna moueat, & altera moueatur, vnde necessarium est, vt id, quod mouetur á se ipso, sit continuum, & diuisibile. Alterum est, quod quatuor modis potest aliquis intelligere, aliquid à se ipso moueri.

Primo, ita vt totum moueat totum.

Secundo, ita vt totum moueat partem.

Tertio, ita vt pars moueat totum.

Quarto, ita vt pars moueat partem. Et hæc etiam suppositio est vtilis, quia remouendo illos modos, quibus falso dicitur, aliquid à se ipso moueri, eligetur modus, quo id verè licet affirmare.

Tertio reprobat primum modum duabus rationibus.

Quarto refutato primo modo, concludit, recipiendum esse quartum, ita vt eatenus aliquid moueatur à se ipso, quatenus pars mouet partem.

Nec tamen ob id Arist. redarguendus est, quia reliquerit, & non confutauerit secundum, & tertium modum; nam id fecit breuitatis gratia, cum cognouerit, easdem rationes deseruire confutationi omnium trium modorum.

In tex. 41., quoniam tribus modis potest accipi quartus modus, quo aliquid dicitur mouere se ipsum, ideo Arist. eos adducit, vt ex tribus vnum tantum recipiat.

Primum modum, secundum quem aliquid à se ipso dicitur moueri, quatenus partes totius se inuicem moueant, refellit quatuor argumentis, quæ habentur in eodem tex. 41.

In tex. 42. reijcit secundum modum, quo quis existimare posset, aliquid eatenus à seipso moueri, quatenus vna pars eius mouet se ipsam, vel etiam quatenus plures partes mouent se ipsas. Superest ergo, vt aliquod totum eatenus dicatur mouere seipsum, quatenus constat duabus partibus, quarum vna mouet, & non mouetur, saltem per se, altera vero mouetur, sed non mouet.

In tex. 43. post quam Arist. ostendit, quod mouens se ipsum diuiditur in duas partes, quarum vna mouet, & altera mouetur, declarat quomodo huiusmodi partes ad inuicem se habeant, & in hac declaratione versatur vsque ad tex. 44. inclusiue, in quo tandem concludit, ex præhabitis manifestum esse, quod oportet ponere mouens primum immobile; cum non procedatur in infinitum in mouentibus, & motis ab alio, sed oporteat, dari statum in aliquo primo, quod est immobile, vel mouens seipsum.

In quinto capite continentur nouem textus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In tex. 45., à quo incipit prædictum caput, Arist. proponit ostendendam hanc veritatem, puta. Necessarium est, esse aliquod mouens primum, perpetuum, siue incorruptibile, atque omnino immobile, adeo vt neque per se, neque per accidens, neque ab alio, neque à se ipso moueatur.

In tex. 46, profitetur, se nunc prætermittere velle huiusmodi dubitationem; An, videlicet, omne mouens immobile sit perpetuū? Dicit enim, non esse præsentis loci hoc determinare, sed satis est modo probare, quod sit aliquod mouens immobile perpetuum, quod nulla ratione moueatur, nec per se, nec per accidens; Ad hoc autem probandum, in eodem tex. 46. affert primam rationem desumptam ex perpetuitate generationis, nec non ipsius motus vniuersaliter accepti.

In tex. 47. ex probatione facta in tex. 46. Arist. infert, manifestū esse, quod quamvis accipiamus decem millia principia, quæ immobilia quidem sint, & moueant. Et licet faciamus, in ijs, quæ mouent se ipsa, reperiri hanc vicissitudinem, & successiuam transmutationem, vt scilicet quædam ipsorum corrumpantur, quædam vero generentur, sicque successiue, vt possimus tueri continuam generationem, attamen ob rationes paulo ante adductas cogimur ponere præter hæc omnia mouentia particularia, & corruptibilia, vnum aliquod primum, quod hæc omnia contineat, quatenus virtute sua est causa, vt alia quidem sint, alia vero non, ac propterea producit in istis inferioribus continuam, atque perennem generationem. Vbi animaduertendum est, quod etiam hic Arist. profert aliquid á præmissis distinctum, vt patet ex ipsa definitione syllogismi. Quod autem colligat conclusionem ex precedentibus satis constat ex illis verbis, quæ profert in principio tex. 47. dum ait. *Manifestum est igitur &c.*, vnde Arist. non committit vllam tautologiam.

In tex. 48. primo ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, Arist. colligit alteram conclusionem á se principaliter intentam, dicens, quod si motus est perpetuus, vt in superioribus ostensum fuit, primum quoque mouens debebit esse perpetuum, vt sic seruetur proportio inter causam, & effectum. Et quod Arist. deducat conclusionem, aperte significat dicens. *Si igitur perpetuus motus est, perpetuum erit & mouens primum*, sicque, vt prædiximus, non committit aliquam tautologiam, cum inferat conclusionem, quæ denotat aliquid á propositionibus discretum.

Secundo probat, melius esse ponere vnum mouens primum, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

plura prima mouentia, & primam rationem ad id suadendum idoneam affert in eodem tex. 48.

In tex. 49. adducit aliam rationem, ad idem confirmandum.

In tex. 50., & 51., Arist. repetit multa ex ijs, quæ in præcedentibus considerata fuerunt, nec tamen ob id accusandus est, quod tautologiam committat, quia non repetuntur eo modo, quo superius expensa fuerunt, nam vtrobique diuersa est intentio Aristotelis, quæ in causa est, vt vere dici possit, non eamdem esse sententiam, sed longe diuersam (potest enim v. g. definitio animæ pluries in medium afferri sine vitio tautologiæ, cum adhiberi valeat ad fines diuersos, videlicet, vel ad explicandam essentiam animæ; vel vt medium demonstrationis ad concludendam aliquam affectionem propriam corporis animati) Etenim in antecedentibus Arist. non respexit præcise motorem primum simpliciter, & omnino immobilem, ac perpetuum, ita vt, nec per se, nec per accidens moueatur, vt modo ipsum respicit, sed considerauit etiam illud mouens, quod licet sit primum secundum quid, quatenus non mouetur ab alio; non tamen est primum simpliciter, quia mouetur saltem à se ipso. Nunc autem ita vtitur prædictis, vt applicet ea illi motori, qui est simpliciter primus, adeo vt nec ab alio, nec etiam à seipso possit moueri, vnde intentio Aristotelis hic, cum diuersa sit ab ea, quam habuit in præcedentibus, efficere potest, vt nunc repetens, quę prius nos docuit, nullam tautologiam committat, quia non repetit eamdem sententiam, sed diuersam, habita saltem ratione scopi, & finis, ob quem illam repetit.

In tex. 52. aliud affert argumentum, quo probat, primum motorem debere esse omnino immobilem, atque perpetuum.

In tex. 53. Arist., postquam ostendit, vnum esse mouens primum immobile, ac perpetuum, docet, quod mobile primum, ab isto mouente motum, debet esse vnum, atque perpetuum.

Ex hac ergo diligenti consideratione singulorum capitum, ac textuũ, qui continentur in hac secunda summa, luce meridiana clarius euadit, iniustam esse accusationem Gassendi asserentis, Aristotelem in hoc octauo libro multas perpetrasse tautologias. Constat enim, ne vnam quidem commisisse, cum semper diuersa dogmata, variasque sententias pronunciauerit, quę si non fuerunt semper distinctę secundum rem ipsam, tales tamen fuerunt, saltem in ordine ad varias intentiones, ac fines, vel scopos dissimiles.

Summa tertia continet quinque capita.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In primo capite ſunt ſeptem contextus

In tex. 54., à quo incipit iſtud caput, Ariſt. poſtquam docuit, mo- uens primum vno motu immediate mouere, nunc indagat, quis, & qualis nam ſit iſte motus. Et quoniam oportet, hunc motum eſſe primum, continuum, atque perpetuum (talis enim eſt ille motus, quo mouet primus motor) propterea inquirit; An ſit motus continuus, & primus, nec non quis ipſe ſit? Cui enim hæc inſunt, is erit motus proueniens à primo motore, ſi ſimul etiam ille motus perpetuus fuerit.

In tex. 55. primo ſupponit, ſpecies motus proprie dicti eſſe tres, videlicet, alteratioñe, quæ fit ad paſſiones, & paſſibiles qualitates, augumentationem, quæ fit ad magnitudinem, & lationem, quæ fit ad locum. Secundo ponit huiuſmodi concluſionem, ſcilicet. Motus localis eſt omnium primus, eamque probat in eodem textu duobus argumentis, quorum primum deſumit ex dependentia, & prioritate, quæ eſt inter prædictas ſpecies motus, alterum vero ex antiquorum ſententia.

In tex. 56. vtitur tertio argumento ad confirmandam eamdem concluſionem, accepto ex tribus modis, quibus dicitur aliquid eſſe prius alio, nempe, ſecundum naturam, ſecundum tempus, & ſecundum perfectionem, & in eodem textu 56. duabus rationibus demonſtrat, motum localem eſſe priorem ſecundum naturam.

In tex. 57. oſtendit, ipſum eſſe priorem ſecundum tempus.

In tex. 58. probat, lationem eſſe priorem ſecundum perfectionem. Et cum latio excedat alios motus perfectione tribus modis, nimirum ex parte ſubiecti, ex parte effectus, & ex parte principij motus, ob id Ariſt. in eodem tex. 58. demonſtrat, lationem excedere alios motus perfectione primo modo, ſcilicet ex parte ſubiecti.

In tex. 59. & 60. manifeſtat idem ex parte effectus, & ex parte principij motus, ex quibus perſpicuum eſt, nullam ab Ariſt. tautologiam committi, quia ſemper diuerſa docet.

Caput ſecundum complectitur tres textus.

In tex. 61., à quo incipit prædictum caput, Ariſt. plura facit.

Primo docet, ex dictis manifeſtum eſſe, quod latio eſt motuum prima.

Secundo proponit conſiderandum, quæ latio ſit prima, nec ſine ratione, nam dantur plures lationes, ſiue plures ſpecies motus localis, puta, rectus, & circularis, vnde merito dubitari poteſt,

cui conueniat hæc primitas inter motus.

Tertio dicit, quod dum hoc inquiritur, simul etiam tractabitur, quod talis motus sit perpetuus, atque continuus. Nam ille motus localis inter alios erit primus, qui solus potest esse perpetuus, & continuus.

In tex. 62. Arist. tria facit.

Primo ponit hanc conclusionem; videlicet. Nullus motus, præter circularem, potest esse perpetuo continuus.

Secundo eam probat primo argumento.

Tertio tollit è medio tres instantias, quas patitur prædictum argumentum

In tex. 63. adducit secundum argumentum efficax ad probandam eamdem conclusionem.

Caput tertium compræhendit nouem textus.

In tex. 64., à quo incipit præsens caput, Arist. postquam ostendit de alijs motibus, præter locales, nullum eorum perpetuo continuum esse, nunc accedens ad motus locales, vult demonstrare, nullum ex ipsis, nisi circularem, perpetuo continuum esse posse, & circa hoc in præsenti textu quatuor facit.

Primo distinguit tres motus locales, nempe rectum, circularem, & mixtum ex vtroq;, vt est ille, qui fit per chordam, & arcum.

Secundo dicit, quod si probatum fuerit, saltem vnum ex duobus simplicibus motibus non esse continuum, siue infinitum, siue perpetuum, simul etiam constabit, motum mixtum non esse infinitum, quoniam iste componitur ex ambobus simplicibus.

Tertio dum probat, motum rectum non esse continuum, ita loquitur, vt non obscure significet, se non sumere vnum tantum rectum simplicem, qui fiat ab vno in aliud. Nam satis constat, hunc motum non posse esse continuum, sicut nec alios motus, qui sunt à contrario in contrarium, sed accipit motum rectum, & reflexum, vt ab A in B., & iterum à B. in A. De his enim dubitari potest, an sint continui, necne.

Quarto tandem, & vltimo affert primum argumentum, quo probat istam conclusionem, scilicet. Motus localis rectus, & reflexus non possunt esse continui, & accipit argumentum ex contrarietate.

In tex. 65. adducit secundum argumentum desumptum ex ipsa quiete.

In tex. 66. excitat quamdam dubitationem, circa id, quod prædixerat de quiete media in puncto reflexionis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In tex, 67. excludit quamdam reſponſionem.

In tex. 68. excludit ſolutionem, quam dederat argumento Zenonis in 6. lib. phyſ. tex. 38.

In tex. 69. occaſione ſumpta ex prædictis, oſtendit, in tempore cõſtituendum eſſe inſtans medium, quod habet rationem duorum, ita vt ſit finis prioris, & principium poſterioris, & ſimul etiam demonſtrat, tempus non eſſe compoſitum tantum ex inſtantibus.

In tex. 70. poſtquam per rationes deſumptas ex proprijs principijs patefecit, motum cum reflexione non poſſe continuum eſſe, hoc ipſum oſtendit per logicas rationes, quæ ſumuntur ex communibus principijs, quarum primam ponit in hoc eodem tex. 70.

In tex. 71. affert ſecundam.

In tex. 72. tertiam adducit, & in eodem occurrit cuidam tacitæ inſtantiæ, quam quis contra tertiam rationem proferre poſſe videbatur.

Caput quartum continet duos textus.

In tex. 73., à quo incipit iſtud caput, Ariſt. poſtquam probauit, motum localem, ſiue rectum, & reflexum non poſſe continuum eſſe, aggreditur demonſtrandum, quod motus localis circularis eſt continuus, & ad hoc probandum, vtitur duabus rationibus, quę continentur in hoc eodem contextu 73.

In tex. 74. duo facit. Primo concludit, ex dictis manifeſtum eſſe, quod etiam alij motus reflexi, puta. Alterationes, non poſſunt eſſe continui. Secundo repræhendit Philoſophos, qui dicebant omnia continue moueri, ſiue alterari.

Caput quintum tres textus compræhendit.

In tex. 75, á quo incipit, Ariſt. non ſine ratione, poſtquam oſtendit, ſolum motum circularem eſſe continuum, ſiue perpetuum, vult probare, ipſum eſſe primum, quia ex 2. phyſ. tex. 38. inter cauſam, & effectum debet eſſe proportio. Cum ergo motus circularis ſit effectus proueniens â primo, æternoque motore, non ſolum oportet, ipſum eſſe perpetuum, ſed etiam primum, idque illi conuenire Ariſt. demonſtrat ſex rationibus, quarum duas ponit in hoc eodem tex. 75.

In tex. 76. affert ad idem oſtendendum tres alias rationes.

In tex. 77. ponit vltimam rationem deſumptam ex authoritate, ac ſententia omnium Philoſophorum.

Summa quarta complectitur nouem textus.

In tex. 78., à quo incipit dicta ſumma, poſtquam Ariſt. oſtendit, qualis nam ſit primus motus, nunc demonſtrat, quale ſit primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

mouens. Quoniam vero Gaſſendus accuſat Ariſtotelem, eo quod proponat quæſtionem de impartibilitate mouentis, & interſerat multa ſuperflua theoremata de finito, & infinito, propterea, vt Ariſtotelem ab hac accuſatione vindicemus, oſtendere conabimur, doctrinam ab Ariſt. traditam in hac ſumma non eſſe ſuperfluam, quod quidem perſpicuum fiet, ſi, quæ ab Ariſt. docentur in his nouem textibus, in medium proferamus.

Primo itaque aggreditur probandum, motorem primum vacare partibus. & magnitudine, ac præditum eſſe virtute infinita. Secundo, vt prædictum confirmet inſtitutum, præſumit nonnulla theoremata, quorum.

Primum tale eſt. Nulla virtus finita poteſt mouere tempore infinito.

Secundum tale eſt. In magnitudine finita non poteſt eſſe virtus infinita.

Tertium tale eſt. In magnitudine infinita non poteſt eſſe virtus finita. Horum autem omnium rationem adducit, ne gratis accepta videantur.

Tertio dubitationem quamdam interponit, quæ ad motum pertinet, quam etiam diluit, reiecta prius quadam reſponſione, quæ dari poterat.

Quarto expoſitis nonnullis, quæ maxime faciunt ad manifeſtandam propriam conditionem, & dignitatem primi motoris, tandem colligit præcipuum huius poſtremę ſummæ inſtitutum, nempè, motorem primum expertem eſſe omnis materiæ, ac magnitudinis, & arguit hunc in modum. Si primus motor haberet magnitudinem, certè, vel haberet magnitudinem actu infinitam, vel actu finitam, neutrum dici poteſt, ergo primus motor nullam obtinet magnitudinem; Aſſumptum probatur quo ad vtramque partem. Quo ad primam, quia ex 3. phyſ. non datur infinitum in actu, neque ſecundum magnitudinem, neque ſecundum multitudinem. Quo ad ſecundam, quia tunc vel primus motor haberet virtutem finitam, vel infinitam. Si finitam, non poſſet mouere perpetuo per primum theorema. Si infinitam. Contra. Nam per ſecundum theorema in magnitudine finita non poteſt eſſe virtus infinita.

Ecce igitur, quod prædicta theoremata non ſunt ſuperuacanea, cum maxime faciant ad concludendam impartibilitatem primi motoris, & Ariſt. ipſis vtatur in ſuo argumento. Quod ſi quis pro Gaſſendo dicat, quod ſaltem tertium theorema videtur eſſe ſuperfluum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

fluum, quia in argumentatione Ariſtotelis nulla de ipſo facta fuit mentio. Reſpondetur cum D. Thoma dicendo, quod nec etiam tertium eſt ſuperfluum. Tum quia ſic Ariſt. oſtendere voluit, virtutem, quæ eſt in magnitudine proportionari debere ipſi magnitudini, in qua eſt, adeo vt ſi magnitudo ſit finita, virtus quoque finita ſit, & ſi magnitudo ſit infinita, virtus etiam debeat eſſe infinita. Tum quia licet hoc non fuerit neceſſarium ad principale propoſitum oſtendendum, attamen exprimendum fuit, quaſi adhærens, & affine concluſioni prædemonſtratæ.

Probandum autem fuit, motorem primum eſſe magnitudinis expertem, quia ſecus non poſſet efficere motum, ſine laſſitudine, ac fatigatione, ideoque non poſſet producere motum regularem, vt apparet in rebus viuentibus, corporea mole præditis, quibus motio laborioſa eſt, ſiquidem laſſantur, dum in opus incumbunt, cum ita agant, vt aſſidua perpeſſione, & imminutione ſpirituum vitalium paulatim eis vires deficiant, vnde irregulariter mouent.

Accuſatio Quadrageſima octaua.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia ibidem extra rem agitat quæſtionem illam. Qua ratione moueantur non mota à ſe ipſis?

Maffeus diſſentit, & reſpondet negando, prædictam quæſtionem ab Ariſt. importunè agitari. Hanc enim dubitationem proponit in tex. 82., eamque proſequitur vſque ad finem eiuſdem. Qua propter vt innoteſcat, Ariſtotelem opportune afferre quæſtionem de proiectis, opus eſt prius diligenter cum Toleto expendere dictum contex. 82., pro cuius explicatione dicitur

Primo, quod ſenſus huius textus difficulter percipitur, non quod ſit admodum obſcurus, ſed quod cum præcedentibus non videatur cohærere. Toletus tamen exiſtimat, in hoc textu ab Ariſt. poni nouam rationem ad oſtendendum, quod primus motor eſt incorporeus. Vult enim demonſtrare, quod motus non eſſet regularis, niſi motor eſſet incorporeus, probatque, quod irregularitas motuũ prouenit ex pluralitate mouentium, aut ex vno mouente, quod mouetur, dum mouet. Cum vero motus Cœli ſit maxime regularis, eius motor, qui vnus eſt, non debet moueri, dum mouet, & ob id erit incorporeus.

Se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundo,quod ad explicandam primam irregularitatem, quæ prouenit ex diuersitate mouentium circa idem mobile,dubium proponit de proiectis, quorum motus est irregularis ob motorum diuersitatem.

Tertio, quod dubium ab Arist. propositum de proiectis est huiusmodi. Cum omne, quod non se mouet, moueatur ab alio, à quo mouentur proiecta, vt lapides, & similia, postquam separata sunt à proijciente?

Quarto, quod Arist. pro solutione docet, mouens primum mouere aliquam partem medij sibi proximam, aeris, vel aquæ, vel alterius, quod sit aptum mouere, & moueri. Et hæc mouet aliam sibi proximam, & illa aliam, & sic fertur lapis ab aliquo immediato, & coniuncto mouente.

Quinto,quod Arist. ex his concludit, motum proiectorum non esse continuum, & regularem, cum fiat à pluribus motoribus immediatis, nempe à pluribus partibus aeris, quæ non habent eamdem, & æqualem virtutem motiuam, cum semper fiat minor, itavt hac tandem aliquando cessante, cesset etiam ipse motus.

Sexto, quod ex dictis colligitur, solutionem quæstionis de motu proiectorum facere ad rem, quoniam Arist. ostensurus, primum motorem esse incorporeum, sic videtur arguere.

Si primus motor non esset incorporeus, motus Cœli non esset regularis. Consequens est falsum, ergo & antecedens. Falsitas est manifesta ex dictis ab Arist. in 8.phys. tex. 76., vbi ait. *Amplius autem & regularem contingit circularem esse solum*. Sequela deducitur ex eo, quia irregularitas motuum vel procedit ex multitudine mouentium, vt accidit in motu proiectorum, vel ex vno mouente, quod mouetur, dum mouet. Prima radix irregularitatis non habet locum in motu Cœli, quia primus motor est vnus. Quare superest, vt irregularitas in motu Cœli oriri possit ex eo, quod primus motor mouetur, dum mouet. Sic enim defatigabitur in mouendo, ideoque non poterit efficere motum vniformem. Quod si primus motor mouetur, dum mouet,oportet, ipsum esse corporeum, quippe moueri est proprium corporis, & quidem naturalis, sicque defatigabitur in mouendo, vnde non poterit regulariter mouere.Vt ergo efficiat motum Cœli regularem, & vniformem, debet esse incorporeus.

Deinde ad monstrandum, quod Aristoteles non dubitat extra rem, vt ait Gassendus, qua ratione moueantur non mota à se ipsis, addere possumus testimonium D. Thomæ, qui in explicatione eiusdem

dem tex. 82. dicit, quod postquam Philos. ostendit duo, quæ necessaria sunt ad principale propositum ostendendum, scilicet, quod potentia finita non possit mouere tempore infinito, & quod potentia infinita non possit esse in magnitudine finita, nunc accedit ad probandam vnitatem primi motoris. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit, quod propter diuersitatem mouentium deficit continuitas, vel vnitas motus in quibusdam mobilibus, quæ videntur continuè moueri. Secundo ostendit ex hoc, quod necesse est, primum motorem esse vnum.

Circa primum tria facit.

Primo enim mouet dubitationem de his, quæ proijciuntur (talia enim sunt, quæ mouentur non mota á se ipsis, & quæ videntur continue moueri)

Secundo soluit dubitationem.

Tertio ostendit ex hoc, quod motus corporis proiecti non est continnus.

Accusatio Quadragesimanona.

GAssendus accusat Aristotelem, duabus de causis.

Primo, quia primo phys. cap. 2. immeritò criminatur Parmenidem, & Melissum, dum adoritur illos, tamquam asserentes, vnicum esse principium immobile, postea vero eosdem insectatur sub nomine entis, non autem sub nomine principij, quasi dixissent, omnia esse vnum ens immobile.

Secundo, quia eos physice interpretatur, cum tamen ipsi theologice fuerint loquuti. Nam per vnum intelligebant Deum, siue vnam primam causam, idque verum esse Gassendus colligit

Ex fragmentis Parmenidis, & Melissi, quæ adhuc extant.

Ex ipso Arist. qui primo metaph. cap. 5. docet, Parmenidem per illud vnum intellexisse Deum.

Ex Simplicio idem asserente, quem non parum Aristotelei suspiciunt.

Ex eo quod Arist. primo phys., cap. 2. in princip. & cap. 3. in fine, necnon primo Cœli hos duos Philosophos physicis opponit, vt ostendantur non physice, sed theologice loquuti, vnde Gassendus aduersus Arist. exclamat dicens. Quæso ergo. Cur non physicos, neque physice loquutos physice interpretatur, & in alienum sensum detorquet, vt habeat, quos laceret?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus diffetit, & quo ad primam partem cum Zabarella respondet dicendo, quod Arist. non sine ratione refert sententiam Parmenidis, & Melissi, qui vtebantur vocabulo entis ad significandum ens, non vero principium, inter opiniones de principijs, id enim facit, vel quia nomine entis intellexerunt illud ens, quod est primum principium omnium rerum, vel quia pertinet ad sermonem de principijs negatiue, seu destructiue. Omnia enim principia negat, qui ponit ens vnum. Aristoteles ergo aggreditur Parmenidem, & Melissum sub nomine principij, quia in tex. 6. proposuit inquirendum numerum principiorum, & ideo ne ista inquisitio aliena videretur ab instituto Philosophi naturalis, in tex. 7., authoritate, ac testimonio veterum Philosophorum demonstrat, rationabiliter se cæpisse quærere, quot sint principia rerum naturalium, dicit enim, quod etiam Antiqui quęrebant, quot essent principia. Nam quærentes, quot sint entia, prius quærebant, quot sint ea, ex quibus entia fiunt, & constant. Postea vero eos insectatur sub vocabulo entis, quia ipsi loquebantur magis de ente, quam de principio, & tamen Arist. eorum opinionem referre potuit inter sententias de principijs ob rationes cum Zabarella superius adductas.

Maffeus quoque diceret ex propria opinione, quod Arist. aggreditur Parmenidem, & Melissum sub nomine principij, quia ipsi agebant de principijs, dum quærebant, quot sint ea ex quibus entia fiunt. Insectatur autem eosdem sub vocabulo entis, quia cum dicerent, omnia esse vnum, hæc illorum assertio impedimento erat Aristoteli, ne prosequi posset eam, quam proposuerat, de principijs tractationem, cum principium non possit esse sine pluralitate, ac multitudine. Quare ad remouendum istud impedimentum, Arist. optime se gessit, dum insectatur prædictos veteres Philosophos sub nomine entis, postea rediturus ad eos insectandos, & confutandos, vt cæperat, sub nomine principij.

Quoad secundam vero partem, respondet dicendo, rationem Gassendi nihil valere ad Aristotelem redarguendum, licet enim concedatur, Parmenidem, & Melissum per vnum significare Deum, ideoque theologice loquutos fuisse, non tamen ob id sequitur, Aristotelem se male gessisse contra eos.

Primò, quia falsum est, quod Aristoteles illos physice interpretetur, vt ait Gassendus; Immo in tex. 8. expresse negat, huiusmodi considerationem esse physicam, inquit enim. *Itaque si vnum, atque immobile sit id, quod est, considerare, non est de natura speculari.*

Secun-

Secundo, quia eos interpretatur eo modo, quo ipsi loquuti fuerunt, videlicet metaphysice, idque verum esse constat ex eo, quod cũ theologia sit duplex, nempe supernaturalis, & naturalis, quæ alio nomine dicitur metaphysica, certum est, Parmenidem, & Melissum, quos Gassendus asserit loquutos esse theologice, non respexisse theologiam supernaturalem, sic enim debuissent agere de ijs, quæ pertinent ad essentiam diuinam, & ad mysteria Sanctissimæ Trinitatis, ideoquè de rebus fidei, quod planè ridiculum est illis tribuere, cum in huiusmodi rebus nullatenus essent instructi. Superest ergo, ipsos fuisse loquutos theologice secundum theologiam naturalem, siue metaphysicam, præsertim quia tractabant de ente, dequè vno, dicentes. Id, quod est, esse vnum, de quibus agere munus est metaphysici; Sic autem patet, Aristotelem bene se gerere contra Parmenidem, & Melissum, dum profitetur, se aduersus eos nolle procedere sub habitu proprio physici, sed sub alieno, nempe metaphysici, vt constat ex eodem contex. 8., vbi Arist. ait. *Vt enim, & Geometræ non amplius est ratio ad eum, qui destruit principia, sed aut alterius est scientiæ, aut omnium communis, sic neque ei, qui de principijs &c.*

Quod vero metaphysica sit naturalis theologia, facile suadetur. Primo, quia Suarez tom. primo disput. prima loquens de natura primæ Philosophiæ, seu metaphysicæ, dequè nominibus eius, pag. 2. inquit. Hinc rursus naturalis theologia vocatur ex lib. 6. metaph., cap. 1., vbi Arist. ita loquitur. *Quare tres vtique erunt speculatiuæ Philosophiæ, mathematica, naturalis, theologia.* Et lib. 11., Sum. 3. cap. 1., vbi Arist. ait. *Patet igitur, tria genera speculatiuarum esse scientiarum, naturalem, mathematicam, theologiam*, quoniam de Deo, ac Diuinis rebus sermonem habet, quantum ex naturali lumine habere potest; ex quo etiam metaphysica nominata est.

Secundo, quia in magno theatro vitæ humanæ tom. 5. verbo metaphysica, pag. 439., vbi referuntur varia illius nomina, leguntur hæc verba. Vocatur quoque theologia, quia disserit de Deo, non ex principijs diuinitus reuelatis, sed ex ijs, quæ naturali lumine sciuntur.

Tertio, quia Carolus Franciscus d'Abra de Iaconis Sacræ Theologiæ doctor, & professor, necnon Christianissimi Regis consiliarius, & concionator ordinarius, quarta parte, præludio primo loquens de nominibus metaphysices num. 2. ait. Vocatur theologia naturalis. theologia quidem, quia Deum, & super-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

nas mentes contemplatur. Naturalis vero, quia ad eum tantummodo, vt naturæ authorem assurgit, quantum imbecillum naturæ lumen, & leuia creaturarum vestigia patiuntur, & in hoc à theologia supernaturali latè distinguitur, quæ Deum, tamquam gratiæ, & gloriæ authorem respicit, idque per principia diuinitus reuelata, & tantum infuso fidei lumine cognita.

Accusatio Quinquagesima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia immerito taxat Anaxagoram primo phys. par. 2. cap. 2. dum illius Homiomeriam improbat. Tum quia eamdem Aristoteles quoque videtur ponere quarto lib. metheororũ cap. 12. Tum quia sicut Anaxagoras dixit, omnia in omnibus contineri, non quidem actu, sed potestate, sic Arist. in progressu primi phys. dicit, materiam primam potentia sua continere omnes formas, & eamdem sententiam protulisse videtur primo meth., cap. 2. sub his verbis. *Dicimus itaque, ignem, aerem, aquam, terram fieri, ex se inuicem, & vnumquodque horum in vnoquoque contineri potentia.*

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, rationes, quibus vtitur Gassendus ad ostendendum, quod Aristoteles immerito taxat Homiomeriam Anaxagoræ vanas esse.

Prima quidem est vana. Quia falsum est, quod Gassendus gratis accipit, dicens, eam poni etiam ab Aristotele in quarto metheororum cap. 12. Etenim in isto capite Arist. duo tantum præstat. Primo proponit ea, quæ dicenda sunt, illaque connectit cum præcedentibus dicens. *Quoniam autem de his determinatum est secundum vnumquodque, dicamus quid sit caro, aut os, aut aliarũ similarium partium &c.* Deinde aggreditur tractationem, & in tota reliqua parte capitis probat, quod operationes in corporibus innotescunt magis, quam eorum substantiæ. Patet igitur ex consideratione citati capitis, Aristotelem ibi ne verbum quidem facere de Homiomeria, quam posuit Anaxagoras, cum eius inspectio nullam prorsus affinitatem habeat cum ijs, quæ ibi expendenda proponuntur ab Aristotele.

Secunda vero. Quoniam à veritate omnino alienum est, sententiam Aristotelis de materia prima similem esse opinioni Anaxago-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ræ de Homiomeria. Nam inter vtramque latum esse discrimen constat ex eo, quod Aristoteles posuit omnia esse in materia prima secundum potentiam, nihil vero secundum actum. Anaxagoras autem putauit, omnia esse in omnibus actu, dicebat enim v. g. in carne reperiri actu infinitas particulas omnium rerum.

Quod autem Aristoteles teneat, formas esse in materia potestate, non actu, colligitur ex eo, quod primo phys., tex. 69. volens nobis tradere modum cognoscendi materiam primam, dixit, eam cognosci per Analogiam ad subiectum sensibile mutationis accidentalis, vel etiam artificialis, affirmans, ita se habere materiam ad formas, vt se habet æs ad statuam, & lignum ad lectum. Sed certum est, quod figura statuæ non est actu in ęre, nec figura lecti est actu in ligno, sed potestate tantum, antequam elaboretur ab artifice, ita vt actu illam in se recipiat, ergo per Aristotelem materia prima non continet actu formas, ideoque, nec res ipsas compositas, sed solum in potentia.

Cæterum Anaxagoram posuisse omnia in omnibus actu, deducitur ex propria eius opinione, dicebat enim generationem fieri per segregationem, adeò vt v. g. ex pane fiat caro, quatenus ex pane segregatur caro, quæ prius latebat in pane. Sed in confesso est, nihil segregari posse, nisi actu insit illi, á quo segregandum est, ergo patet iuxta sententiam Anaxagoræ, omnia esse in omnibus actu.

Hinc etiam deducitur, verba Philosophi, quæ attulit Gassendus, accepta ex primo meth. cap. 2., ipsi potius aduersari, cum Aristoteles expresse fateatur, vnum elementum esse in alio secundum potentiam, non vero secundum actum.

Accusatio Quinquagesimaprima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia perperam visus est dissimulare aliud Anaxagorę principium, videlicet mentem illam tantopere celebratam, quam (immemor forte) postea confitetur lib. 2. cap. 4. & clarius lib. 8., cap. 1., & 5.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo. Quod Gassendus absque ratione redarguit Aristotelem, tamquam immemorem illius mentis, quam veluti principium effectiuum posuit Anaxagoras, quia non solum eam commemorat in 8. lib. phys., cap. 1., & 5., sed etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

etiam primo phyſ. tex. 39., vt vel cęcus videre poſſet; Ibi enim habentur hęc verba. *Quare inconueniens eſt impoſſibilia quærens intellectus ſi uelit quidem ſegregare, hoc autem facere ſit impoſſibile.*

Accuſatio Quinquageſimaſecunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, quia lib. 3. phyſ. cap. 3., ſiue tex. 50. immerito repręhendit eumdem Anaxagoram, quod aſſeruerit, infinitum firmare ſe ipſum, ac propterea eſſe immobile. Nam Anaxagoras loquebatur de mente, ſiue de Deo, quem ipſe quoque Ariſtoteles 8. lib. phyſ., & 12. metaphyſ. fatetur immobilem, & infinitum.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, hanc accuſationem eſſe falſam, quia procedit ex falſo intellectu loci, quem citat Gaſſendus, nam licet admittamus, vtrumque agere de mente, ſiue de Deo, ac dicere, ipſum eſſe infinitum, atque immobilem, adhuc tamen falſum eſt opinari, Ariſtotelem, & Anaxagoram eodem modo loquutos fuiſſe, vnde cum Gaſſendus videatur aduerſus Ariſtotelem ſic arguere, videlicet. Ariſtoteles poſuit, Deum eſſe immobilem, & infinitum, ergo immerito repręhendit Anaxagoram, quod aſſeruerit, infinitum firmare ſe ipſum, & propterea eſſe immobile. Reſpondetur in forma, negando conſequentiam. Ratio autem negationis eſt, quoniam Ariſt. 8. phyſ. (vt manifeſtum eſſe poteſt cuique conſideranti, quę continentur in vltimo capite illius libri) docet, Deum, ſiue primum motorem ideo eſse immobilem, & infinitum, quia ſecus non poſset efficere motũ continuum, ſiue non poſset mouere tempore infinito; ſic enim ratiocinatur Ariſt. in prędicto capite.

Verum Anaxagoras aliter diſcurrebat, dicebat enim, Deum eſse infinitum, & immobilem, quia infinitum firmat ſe ipſum, idq; verum eſse ſuadebat ex eo, quod infinitum eſt in ſe ipſo, & non in alio, cum nihil ipſum contineat, & ſic non poteſt extra ſe moueri.

Ariſtoteles ergo ad oſtendendum, hanc rationem adductam ab Anaxagora inanem eſse, arguit

Primo, quoniam Anaxagoras aſſignauit rationem de manſione, ſeu de quiete infiniti deſumptam ex eo, quia eſt in ſe ipſo, quaſi vbi aliquid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

aliquid est, ibi sit aptum natum esse, quod tamen falsum est, nam aliquid est alicubi per vim, & non secundum naturam.

Secundo, quia quamvis concedatur tamquam verum, quod in se ipso est, moueri non posse, adhuc tamen hinc non sequitur, illud esse suapte natura immobile, quoniam aliqua manent immota, quæ sunt apta nata moueri, vnde oportebat aliam assignare rationem, cur ex natura sua, illud est immobile. Ad hoc autem declarandum, ponit exemplum terræ. Si enim terra esset infinita, tunc esset in se ipsa, quia infinita, non tamen ob id ex natura sua esset immobilis, sed quia grauis, & graue naturaliter est in centro, quod est immobile.

Sic igitur oportebat reddere aliam rationem naturalem immobilitatis illius infiniti, & non hanc solam, quia infinitum. Patet ergo ex his, rationem Anaxagoræ ab Aristotele repræhendi tamquam inanem, & insufficientem, vnde constat etiam, accusationem Gassendi aduersus Aristotelem esse falsam, cum Aristoteles non redarguat Anaxagoram, quia putauerit, Deum esse infinitũ, & immobilem, sed quia non attulit sufficientem rationem, cur infinitum sit immobile.

Accusatio Quinquagesima tertia.

Gassendus accusat Aristotelem, quia lib. 8., cap. 2. prorsus irreligiose obijcit Anaxagoræ absurdum, quod nisi motus, atque ideo Mundus sit æternus, sed aliquando cæperit esse, oportuisset, mentẽ frustra quieuisse tanto tempore. Sic enim infideles fidelibus obijcere possent dicendo, Deum ante mundum conditum fuisse ociosum, si Mundus non sit ab æterno.

Masseus dissentit, & respondet dicendo, quod in hac accusatione Gassendus dignus est, qui excusetur. Tanta siquidem ignorantia laborauit, ut non potuerit non vehementer hallucinari. Mirandum profecto est, quod ignorauerit conditionem Aristotelis, dum dixit, quod irreligiose tractauit Anaxagoram, cum illi obiecerit, quod ab infidelibus obijci posset fidelibus dicendo, Deum ante Mundum conditum fuisse ociosum, si Mundus non sit ab æterno. Quomodo enim Aristoteles religiose tractare poterat, aut debebat in ijs, quæ pertinẽt ad fideles, cum esset Gentilis, & infidelis? sed illud maiori dignum est admiratione, quod Gassen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

dus ignorauerit, quid respondere possent fideles benè instructi, si eis, quod dictum est, ab infidelibus obijceretur. Dicerent enim, quod si à Deo non procederent, nisi opera Trinitatis ad extra, vt est creatio Mundi, Deus ante Mundum conditum fuisset ociosus. Sed quoniam à Deo semper procedunt, etiam opera Trinitatis ad intra; ideo non sequitur prędictum incóueniens.

Accusatio Quinquagesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro quarto physicorum cap. 1. immerito cæteros omnes Philosophos taxat, quod ad se vsque, nihil traditum, aut dubitatum de loco fuisset. Nam ipse postea circa locum refellere nititur Platonem, Zenonem, & alios; præcipue vero Zenonem, cuius dubitationem propositam capite primo soluere tandem conatur sub finem capitis tertij.

Maffeus dissentit, & respondet cum D. Thoma dicendo, quod licet Aristoteles postea circa locum reijciat sententias Veterum, & præsertim Zenonis; attamen recte asserit, nihil ab eis traditum, vel dubitatum fuisse. Quia re vera nec bene mouerunt dubitationem circa locum, nec etiam bene veritatem indagarunt, adeo vt perinde sit, ac si nihil dixissent.

Accusatio Quinquagesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia in eodem 4. libro cap. 8. immerito insectatur asserentes vacuum separatum, perinde, ac si illud posuissent intra hunc Mundum; cum tamen illud posuerint extra Mundum, siue extra Vniuersum, vt patet ex præcedenti capite sexto.

Maffeus dissentit, & respondet negando, veteres Philosophos posuisse tantummodo vacuum separatum, & extra Vniuersum. Quia non defuerunt, qui constituerint vacuum corporibus imbibitum, & intra Mundum, siue in mundo. Id enim ita esse, clare colligitur ex D. Thoma, & Burlæo.

D. Thomas in Commentario textus 99. libri primi de Cœlo ait. *Est autem sciendum, quod Stoici posuerunt vacuum infinitum, in*

cu-

cuius quadam parte est Mundus, & ita relinquitur secundum eos, quod extra extremam circumferentiam sit vacuum.

Burlæus quoque in expositione textus 52., & 53. libri quarti physicorum docet, varias de vacuo fuisse Antiquorum sententias.

Prima fuit eorum, qui ponebant, plenum aere esse vacuum, quoniam aer nihil est; cum non sit sensibile corpus.

Secunda est eorum, qui putabant, vacuum esse quoddam spacium separatum à corporibus, receptiuum corporum, & distinguens corpora ad inuicem.

Tertia est eorum, qui aiebant, vacuum esse imbibitum corporibus, ita vt hæc habeant multa foramina plena vacuo.

Quarta est eorum, qui dicebant, extra Cœlum esse vacuum infinitum.

Cum ergo à quibusdam positum fuerit vacuum extra Mundum; à quibusdam vero intra Mundum, siue in Mundo, aut corporibus imbibitum, aut à corporibus separatum, ob id Aristoteles in quarto libro Physicorum à textu 64. vsque ad textum 79. inclusiue probat, non dari vacuum intra Mundum, siue in Mundo a corporibus separatum. Deinde à textu 80. vsque ad textum 85. inclusiue ostendit, non dari vacuum intra Mundũ, siue in Mundo corporibus insitum, & in contextu 86. concludit vtrumque, videlicet non dari vacuum separatum à corporibus, neque corporibus insitum. Quod vero spectat ad confutationem vacui positi ab Antiquis extra Cœlum, hanc distulit in primum librum de Cœlo Summa 9. Vbi ait. *Simul autem manifestum est, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extra Cœlum, &c.* Quod enim huiusmodi probatio ab Aristotele opportunius facta fuerit in primo Cœli, loco citato, constat ex eo, quia consilium Aristotelis ibi eò tendebat, vt probaret, extra Cœlum non esse vllum corpus naturale, nec aliquid eorum, quæ ipsum consequuntur, inter quæ ponitur locus, & pro eo ab Antiquis ponebatur vacuum. Sic ergo probatio Aristotelis redditur magis opportuna, & per eam directe confutat opinionem veterum Philosophorum, dum respiciens vacuum extra Cœlum, quod ipsi etiam Antiqui respiciebant; quamvis non eodem modo, & demõstrans, extra Cœlum non posse dari huiusmodi vacuum, simul etiam patefacit, falsam esse sententiam Antiquorum existimantium, extra Cœlum esse vacuum infinitum. Ex his omnibus apparet, accusationem Gassendi non esse iustam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quinquagesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro primo physicoru m textu 42. falsò docet, contraria non fieri ex alijs. Nam etia m ipse admittit, album, & nigrum, quæ sunt contraria, fieri ex primis qualitatibus, quæ similiter sunt contrariæ.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod quamvis album, & nigrum, quæ sunt contraria, fiant ex primis qualitatibus, quæ similiter sunt contrariæ, idque concedendum sit etiam iuxta doctrinam Aristotelis; non tamen ob id sequitur, vt perperā ementiebatur Gassendus, Aristotelem falsò dicere in textu 42. primi physicorum, contraria non fieri ex alijs. Nam album, & nigrum sunt secunda contraria, quibus non repugnat fieri ex alijs. Cæterum Aristoteles negans, contraria fieri ex alijs, respexit prima contraria, vt patet ex verbis eiusdem textus, in quo Aristoteles ita loquitur. *Oportet enim, principia neque ex alterutris eße, neque ex alijs, & ex his omnia. Contrarijs autem primis insunt hæc &c.* Quod si Gassendus hanc distinctionem contrariorum animaduertisset, numquam aduersus Aristotelem tam inhumaniter inuehi ausus esset.

Accusatio Quinquagesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia primo physicorum t. 42. docet, omnia fieri ex contrarijs; cum tamen domus fiat ex gypso, lapide, ligno &c. quæ minime contraria sunt.

Maffeus dissentit, & respondet, quod licet domus fiat ex gypso, lapidibus, lignis, & alijs huiusmodi, quæ primo aspectu non videntur continere contrarietatem; re vera tamen secum ferunt, & includunt respectu domus aliquam contrarietatem, saltem priuatiuam, quippe domus fit ex prædictis, quatenus sunt non domus, vnde Aristoteles ipse primo physicorum textu 46. hanc priuatiuā oppositionem aperte significauit dicens. *At vero & domus, & statua, & quodlibet aliud fit similiter; domus enim fit ex eo, quod non composita, sed diuisa sunt hæc sic.* Quare Aristoteles recte dixit, omnia fieri ex contrarijs.

Accu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quinquagesima octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Primo, quia primo physicorum textu 42. affirmat, principia debere esse contraria; cum potius debeant sympathiam inter se habere, vt facilius coeant.

Secundo quia in eodem primo physicorum cap. primo Summa 3., formam, & priuationem facit contraria principia, quod non videtur admittendum. Tum quia videtur absurdum priuationem facere principium. Tum quia opposita contrarie differunt ab oppositis priuatiue, vt satis constat ex definitionibus eorum ab ipso Aristotele traditis in capite de oppositis, vnde dicere, priuationem esse formæ contrariam, est confundere opposita priuatiue cum oppositis contrarie.

Maffeus dissetit, & respondet

Quo ad primam partem animaduertendo, quod Aristoteles non dixit, omnia principia esse contraria, sed indefinite pronunciauit, principia esse contraria, vt intelligeremus, aliqua principia, nempe formam, & priuationem esse contraria, & aliqua; non scilicet materiam, & formam, siue materiam, & priuationem. Quamuis ergo illa principia, quæ non sunt contraria, debeant inter se habere sympathiam, vt facilius vniantur ad constituendum compositum, sicuti re vera illam habent materia, & forma (materia enim appetit formam, & forma perficit materiam) illa tamen principia, quæ sunt contraria, non possunt eam habere, imo debent habere talem repugnantiam ad inuicem, vt adueniente vno, alterum recedat, quin etiam huiusmodi sympathia esset frustra, quod natura non patitur, quæ nihil frustra facit. Etenim Gassendus in principijs requirit prædictã sympathiam ad hoc, vt facilius coire, atq; vniri valeant. Cũ ergo principia, cõtraria, nẽpe forma, & priuatio, numquã vniri possint, frustra retinerent hanc sympathiã.

Qvo ad alteram partem respondet dicendo, rationes á Gassendo allatas contra Philosophi assertionem, nihil valere.

Prima nihil valet. Quia non est absurdum ponere priuationem pro principio eo modo, quo eam posuit Aristoteles. Hoc autem fiet manifestum per plura dicta, suppositis prius duobus fundamentis, quorum

Primum tale est. Aristoteles quinto Met. cap. primo docet, vocabulum principij sumi posse sex modis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Primo pro eo, à quo incipit motus.

Secundo pro principio doctrinæ, vt est illud, à quo quis facilius addiscit.

Tertio pro eo, ex quo primo inexistente aliquid fit, sicut carina dicitur principium nauis, & fundamentum, domus.

Quarto pro eo, à quo primo non inexistente aliquid fit, sicut proles procedit à parentibus.

Quinto pro eo, ad cuius electionem, seu voluntatem alia mouentur, vel mutantur, vt se habet Princeps in Ciuitate.

Sexto pro eo, ex quo res primo innotescit, quemadmodum dicimus, principia demonstrationum esse suppositiones.

Secundum tale est. Aristoteles primo physicorum Summa 3. cap. 3. docet, priuationem alio modo se habere ad generationem, siue ad fieri, ac se habeat ad rem genitam, siue ad factum esse. Nam respectu generationis dicitur esse principium per se, tum quia omnis motus, omnisque mutatio indiget duobus terminis, à quo, & ad quem; priuatio autem est terminus à quo. Tum quia sumitur in definitione generationis, quam assignat Aristoteles in quinto physicorum textu 7. dicens. Generatio est mutatio de non esse ad esse, siue de non subiecto ad subiectum. Cæterum respectu rei genitæ dicitur esse principium per accidens, quoniam non permanet in re genita, sed adueniente forma, recedit. His præacceptis.

Dicitur primo, quod licet iuxta primam hyppothesim, absurdum sit, priuationem esse principium 2. 3. 4. 5. & 6. modo; non tamen absurdum est, eam esse principium primo modo.

Ratio primi est. Quia in primis priuatio non potest dici principium secundo modo. Nam priuatio cognoscitur per habitum, tantum abest, vt mereatur appellari principium doctrinæ, á quo quis incipere debeat, vt facilius addiscat.

Non tertio modo. Quia priuatio sumpta formaliter, & secundum seipsam est nihil; cum sit per se non ens; vt docet Aristoteles primo physicorum textu 79. Quare non potest vocari principium ita, vt ex ea inexistente aliquid componatur; cum ex nihilo nihil fiat, præsertim quia res, quæ de nouo generatur, numquam recipit esse, quamdiu in materia reperitur priuatio.

Non quarto modo. Quia priuatio est principium generationis intrinsecum; non vero extrinsecum, vt est efficiens, vel ipsum generans, quod extra manet, diciturque principium quarto modo.

Non quinto modo. Quia priuatio deberet esse agens liberum, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

voluntarium, quod plane ridiculum est affirmare.

Non sexto modo. Quia priuatio est quædam vox incomplexa, & simplex; principium autem dictum sexto modo est vox complexa, quæ aliquid affirmat, vel negat; cum dicatur de suppositionibus, quæ sunt principia demonstratiua, in quibus est compositio, & diuisio, siue affirmatio, & negatio.

Ratio secundi est. Quia sicut vnitas dicitur principium numeri, & punctum lineæ, quatenus est id, à quo incipit numerus, aut linea, sic priuatio potest appellari primo modo principium, prout est terminus, à quo incipit generatio compositi naturalis.

Dicitur secundo, quod, cum iuxta secundam hyppothesim, priuatio diuersimode dicatur principium generationis, & rei genitæ, quamvis absurdum sit affirmare, priuationem esse per se principium rei genitæ (sic enim daret illi esse, atque in ea permaneret, vt permanent materia, & forma) non tamen ob id absurdum est asserere, priuationem esse per se principium generationis, imo id necessarium esse, satis constat ex rationibus ad hoc probandum adductis in eadem secunda suppositione, vnde colligitur, primam rationem Gassendi nullius roboris esse.

Secunda nihil valet. Quia Gassendus animaduertere debebat, duplicem esse contrarietatem, vnam proprie dictam, & hæc distinguitur ab oppositione priuatiua: & alteram improprie, siue largo modo acceptam, & hæc significat etiam oppositionem priuatiuam, siue quæ est inter habitum, & priuationem, & hanc respexit Aristoteles asserens, formam, & priuationem esse principia contraria, vnde non confundit opposita priuatiue cum oppositis contrarie.

Accusatio Quinquagesima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia falsum est quod cap. 6. asserit, nihil esse substantiæ contrarium: quod idem asseruit, in Logica, & repetit libro 5. cap. 2., & alibi. Certe enim substantia ignis substantię aquæ contraria est.

Dices quidem, contrarietatem in qualitatibus solum esse.

Et vero, cum hæ qualitates sint suarum quæque substantiarum propriæ, & ex illis oriantur, suumque esse accipiant: an non in illis etiam arguunt contrarietatem? Sit enim vtrobique substantia eiusdem naturæ, vnde est, quod hæ qualitates potius inde

pullulent, quàm quæ ſunt illis contrariæ? Quare Gaſſendus videtur ita ratiocinari. Demus vtrobique, nimirum in aqua, & in igne reperiri ſubſtantiam eiuſdem naturæ, certe non poterit afferri ratio, cur potius á ſubſtantia ignis deriuentur hæ qualitates, puta caliditas, & ſiccitas, quàm quæ ſunt illis contrariæ, videlicet frigiditas, & humiditas. Quod ſi concedamus, ex contrarietate qualitatum ſequi contrarietatem ſubſtantiarum, non videbitur mirum, ſi exiſtentibus contrarijs ſubſtantia ignis, & aquæ ſubſtantia, ex his oriantur etiam qualitates contrariæ.

Maffeus diſſentit, & reſpondet dicendo, quod contrarietas eſt inter ſubſtantias, ſed reſpectu qualitatum. Et quamuis in ſubſtantijs ſecundum ſe conſideratis non ſit contrarietas proprie dicta; non tamen ob id ſequitur, non poſſe vllam afferri rationem, cur potius à natura huius ſubſtantiæ prodeant hæ qualitates, quàm aliæ alterius ſubſtantiæ. Nam, vt poſſit adduci aliqua ratio, ſufficit, inter ſubſtantias eſſe contrarietatem largo modo acceptam pro diuerſitate; cum exploratum ſit, diuerſàm naturam ſubſtantiæ ſecum ferre qualitates diuerſas.

Accuſatio Sexageſima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia falſum eſt quod eodem capite docet, contraria pati non poſſe á ſe inuicem. Nonnè enim frigida cum calidis, humida luctantur cum ſiccis? Nonnè qualitates iſtæ mutuò ſeſe retundunt, & conficiunt?

Maffeus diſſentit, & reſpondet dicendo, quod ex accuſatione Gaſſendi aſſerentis, Ariſtotelem in primo phyſicorum capite 6. docere, contraria pati non poſſe à ſe inuicem, & ex dictis ab eodem Ariſtotele, primo de generatione, & corruptione textu 51., vbi ait. *Quoniam autem faciens, & patiens genere quidem eadem, & ſimilia; ſpecie vero diſſimilia; talia autem contraria ſunt, manifeſtum eſt, quod actiua, & paſſiua ad inuicem ſunt contraria*, deducitur apparens cõtradictio, cui potius diluendæ, quàm Ariſtoteli repræhendendo, Gaſſendus debebat eſſe intentus. Facillime autem remouetur prædicta contradictio, animaduertendo, quod contraria poſſunt accipi duobus modis, videlicet. Aut ſine ſubiecto, & ſic verum eſt, quod non poſſunt pati ab inuicem, vnde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Ariſtoteles ipſe primo phyſicorum textu 51. dixit, quod raritas non eſt apta nata facere denſitatem, nec denſitas raritatem. Aut cum ſubiecto, & ſic falſum eſt, contraria non poſſe pati à ſe inuicem; nec enim vere Ariſtoteles loco citato primi de generatione fateretur, ea eſſe inuicem actiua, & paſſiua. Quare ceſſat omnis apparens contradictio, & ad exempla Gaſſendi reſpondetur concedendo, illas qualitates inuicem agere, ac pati; non tamen ſumptas abſque ſubiecto, ſed cum ſubiecto; hac ſiquidem ratione ſeruant naturam contrariorum, quæ definiri ſolent, vt ſint illa, quæ ſunt apta nata fieri circa idem ſubiectum, adeo vt poſſint ſe mutuo expellere ab eodem ſubiecto.

Accuſatio Sexageſima prima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia falſum, & impium eſt quod capite 9. voluit, ex nihilo nihil fieri. Neque enim ipſe limitat ad virtutem naturalem, ſed abſolute pronunciat. Falſum proinde, & impium eſt, quod materiam facit ingenerabilem, & increabilem.

Maffeus diſſentit, & reſpondet

Primo, falſum eſſe quod Gaſſendus abſque vlla probatione profert, dum aſſerit, Ariſtotelem voluiſſe, ex nihilo nihil fieri, non limitando huiuſmodi aſſertionem ad virtutem naturalem, ſed abſolute illam adducendo. Etenim Ariſtoteles prædictam enunciationem attulit in capite 4. Summæ tertiæ primi phyſicorum. Prędixerat autem in 3. capite eiuſdem Summæ textu 68. *Quot igitur ſint principia rerum naturalium, quæ circa generationem, & quomodo tot, dictum eſt*. Cum ergo prius profeſſus fuerit, ſe pertractaſſe de principijs rerum naturalium generabilium, & corruptibilium, poſtea dicens, ex nihilo nihil fieri poſſe, non eſt cenſendus loqui ſimpliciter, & abſolute, ſed cum limitatione ad illa principia, de quibus iam egerat; cumque iſta ſint principia generationis, putandum eſt, Ariſtotelem voluiſſe ſignificare, quod ex nihilo nihil fieri poteſt per generationem, quæ requirit aliquod ſubiectum, ſiue materiam aliquam mediam inter formam, & priuationem, ex qua præexiſtente fiat omne, quod fit naturaliter, in quo differt à creatione, quæ nullam præſupponit materiam. Ariſtoteles itaque in prædicta propoſitione reſpicit virtutem naturalem.

Secun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundo, Gaſſendum confundere terminos, dum ait, Ariſtotelem facere materiam ingenerabilem, hoc eſt increabilem, quaſi generabile, & creabile idem ſint; vt enim negatio ad negationem, ſic affirmatio ad affirmationem. Sicut ergo Gaſſendus interpretatur ingenerabile per increabile, ita generabile declarabitur per creabile; quod tamen falſum eſt, & erroneum. Nam generabile dicitur illud, quod fit, vt prædiximus, ex aliquo præſuppoſito ſubiecto. Creabile vero fit ex nihilo, vel ex nullo ſubiecto præexiſtente. Quoniam ergo materia prima eſt ſubiectum ſimpliciter primum, cui repugnat fieri ex aliquo alio priori ſubiecto, idcirco Ariſtoteles facit materiam ingenerabilem. De creatione autem, quæ naturæ vires excedit, minime ſollicitus fuit.

Accuſatio Sexageſima ſecunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia falſum eſt quod libro 2. capite 7. docet, formam, finem, & efficiens coincidere, reſpectu, intellige, eiuſdem effectus. Quomodo enim Pater idem eſt cum forma eſſentiali filij?

Maffeus diſſentit, & reſpondet animaduertendo, quod cum Gaſſendus nullum afferat argumentum, quo probet, falſam eſſe doctrinam ab Ariſtotele traditam de conuenientia formæ, finis, & efficientis, ſed ſolum petat, aſſignari ſibi modum, quo Pater poſſit eſſe idem cum forma eſſentiali filij, propterea Maffeus ad exponendum hunc modum, ſibi expendendam proponit aſſertionem illam ab Ariſtotele pronunciatam in contextu 26., libri 2. phyſicorum, vbi dixit, quod Sol, & homo generant hominem; hoc autem non eſt ita intelligendum, vt vtrumque generans eodem modo concurrat ad generationem hominis. Etenim Sol generat hominem, tamquam agens aequiuocum; Pater vero, ſiue homo generans, tamquam agens vniuocum. Huius autem diuerſitatis nulla poteſt alia ratio adduci præter hanc, quia videlicet Sol, & homo genitus non ſunt eiuſdem ſpeciei; cum Sol non habeat in ſe formam eſſentialem hominis geniti, ſicut illam in ſe ipſo retinet Pater, ſiue homo generans, qui ob id appellatur agens, vel generans vniuocum. Sicut ergo Pater dicitur eſſe generans, aut agens vniuocum, quia ſortitur eamdem ſpecie formam ſubſtantialem cum forma ſubſtantiali filij, ſic Pater eatenus dicitur eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

idem cum forma essentiali filij, quatenus in se obtinet illam eamdem specie formam, scilicet animam rationalem, cuius vnionem cum materia per generationem attingit, quando generat filium.

Accusatio Sexagesima tertia.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia falsum est quod defendit capite 8., artem non deliberare: alioquin enim artifices omnia faciunt temere. Etsi vero faber murarius non deliberat, an fundamentum potius, quàm tectum parare debeat, propterea nō consultat, an nunc potius, quàm alias? an ex hac materia potius quàm ex alia? an hoc modo potius, quàm alio?

Maffeus dissentit, & respondet.

Primo cum Conimbricensibus libro 2. physicorum, quæst. 5. super caput primum, dicendo, quod assertio Aristotelis non debet intelligi de qualibet arte, quippe Medicina, Nauigatoria, & mille id genus deliberant, sed, vt Aristoteles ipse, 3. Ethicorum, capite 3. explicat de ijs, quæ per certa, & statuta media finem attingunt, cuiusmodi est ars saltandi, & effigiendi litteras, quod hisce verbis docet etiam Themistius. Non consultat faber lignarius, vtrum prius secandum sit, aut dolandum, nec Grammaticus, quemadmodum litterarum monumenta scribenda sint, hoc est A, aut B. Nec vero cum Cleonem scribit, cogitat, quam primam, quam secundam litteram collocet: ædificator etiam non consultat, vtrum iacienda primo fundamenta sint, an parietes construendi, an tectum apponendum. Eodem modo Textor, & Lapicida, dum suo funguntur officio, non consultant, sed habet sibi suum quisque certum, finitumque opus, nec ordinem ad finem propositum pertinentem ignorat.

Quare notandus est modus loquendi, quo vsus est Aristoteles in proferenda prædicta enunciatione. Nec enim vniuersaliter dixit. Nulla ars deliberat, sed indefinite locutus est dicens. Ars non deliberat, vt significaret, hoc non esse intelligendum de qualibet arte, sed cum hac negatiua, nimirum ars non deliberat, posse simul veram esse istam affirmatiuam, scilicet. Ars deliberat, quatenus aliqua deliberat; aliqua vero non.

Secundo cum Tol. animaduertendo, quod aliud est respicere artem in ordine ad ea, quæ sunt effectus ipsius artis, & aliud est cō-

side-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

siderare artem in ordine ad circumstantias, quibus effectus artis fieri debent. Si sumatur ars primo modo, non deliberat, sed certã materiã sumit absq;deliberatione.Si vero accipiatur altero modo, potest deliberare,vt dicebat Gassédus de fabro murario, qui consultat, an potius nunc, quàm aliàs, an ex hac materia potius,quã ex alia, an hoc modo potius, quàm alio debeat suæ artis opus conficere; sic enim spectatur ars in ordine ad circumstantias, quibus effectus fieri debent, quo pacto conceditur, posse deliberare; non tamen ob id sequitur, falsum esse quod Aristoteles defendit dicendo, artem nõ deliberare; cum hoc verum sit de arte considerata respectu ipsorum effectuum.

Accusatio Sexagesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 3. physicorum capite primo vere, & constanter facit formam, & priuationem species substantiæ, vt qualitatis album, & nigrum. Rursusque apposite graue, & leue asserit esse potius species relationis, quàm qualitatis.

Maffeus dissentit, & respondet negando vtramque partem accusationis. Tum primam, in qua Gassendus dicit quidem, sed non probat, Aristotelem facere formam, & priuationem species substantiæ, vt qualitatis, album, & nigrum. Tum secundam, in qua vult Aristotelem asserere, graue, & leue esse potius species relationis, quàm qualitatis.

Quo ad primam partem, ratio negationis est. Quoniam intentio Aristotelis eo loci non est considerare album, & nigrum, tamquam species qualitatis, sed vt differentias contrarias, alteram perfectiorem; alteram vero minus perfectam, quibus, quasi forma, & priuatione qualitas diuidatur, vnde non bene Gassendus assumit, album, & nigrum ab Aristotele considerari, tamquam species qualitatis, vt inde colligat, formam, & priuationem esse species substantiæ. Quod si Gassendus adhibeat, vt re vera debent adhiberi album, & nigrum, tamquam oppositas differentias, quibus diuiditur qualitas, inde solum inferre poterit, formam, & priuatioẽ esse terminos oppositos, vel differentias contrarias, quibus diuiditur substantia.

Vt

Vt autem ista responsio magis vigeat, operæ precium erit paulo intimius penetrare mentem Aristotelis in textu 5. libri tertij physicorum, vbi Aristoteles ait. *Vnumquodque autem dupliciter inest omnibus, vt hoc; aliud enim est forma ipsius, aliud vt priuatio*, ex quibus verbis Gassendus deducit, Aristotelem facere formam & priuationem species substantiæ. Nam per hoc denotat substantiam, cui tribuit formam, & priuationem.

Dicimus ergo, Aristotelem in isto contextu secundum communẽ Interpretum expositionem velle ostendere, ac docere, motum eodem pacto diuidi, quo res, in quibus versatur. Quare cum genera singularum categoriarum, vt libro 10. Metaphysices capite 10. fusius explicandum erit, contrarijs differentijs, altera perfectiori, altera minus perfecta, quasi forma, & priuatione dispertiantur, vt animal in rationis particeps, & rationis inops, sic, vt motuum etiam species, notionesue secundum rationem perfecti, & imperfecti distribuendæ sint, ideoque magis patet, Aristotelem expendere album, & nigrum in qualitate, ac similiter formã, & priuationem in substantia, tamquam terminos contrarios, & differentias oppositas, per quas prædicta prædicamenta diuidũtur.

Si quis vero dicat prō Gassendo, quod ex his videtur idem colligi posse, quod prius, nempe priuationem esse substantiam, si non vt speciem, saltem vt differentiam, si forma, & priuatio, vt dictũ est, diuidunt substantiam, tamquam differentiæ oppositæ, quemadmodum diuiditur qualitas per album, & nigrum, tamquam per contrarias differentias.

Respondetur, non esse parem rationem inter prædicta. Nam album, & nigrum sunt differentiæ diuisiuæ qualitatis, quæ ita se habent, vt quamvis differant secundum esse perfectum, & imperfectum; in eo tamen conueniunt, vt ambæ significent aliquid reale positiuum. Cæterum forma, & priuatio non solum differunt, quatenus forma denotat contrarium perfectum; priuatio autem imperfectum, sed etiam quatenus forma dicit aliquid reale positiuum; priuatio autem vt sic, nihil est, vnde cum substantia sit ens reale positiuum, ex eo, quod priuatio simul cum forma diuidit substantiam, non sequitur, priuationem esse substantiam, sicut ex eo, quod album, & nigrum diuidunt qualitatem, inferri potest, vtrumque esse qualitatem.

Quoad secundam partem, ratio negationis patet omnino ex verbis quinti contextus, in quibus nulla continetur particula, quæ significet relationem; Aristoteles enim ibi loquitur sic. *Vnum-*

quod-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

quodque autem dupliciter inest omnibus, vt hoc; aliud enim est forma ipsius; aliud vero priuatio: & secundum quale; hoc enim est album; illud autem nigrum: & secundum quantum; aliud enim perfectum est; aliud vero imperfectum; similiter autem & secundum lationem; hoc enim sursum; illud vero deorsum, aut aliud quidem leue; aliud vero graue. Quare motus, & mutationis species tot sunt, quot entis. In his autem verbis Aristoteles vtitur semper terminis absolutis; non vero relatiuis, aut respectiuis, vt cuilibet ea consideranti manifestum esse potest.

Accusatio Sexagesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 6., & 7. eiusdem tertij physicorum docet, dari non posse numerum, quo non sit excogitabilis maior: magnitudinem vero posse, verbi causa, Mundum. Quæso tamen, inquit Gassendus, cur non liceat maiorem hoc Mundo concipere molem? An non fatentur iam omnes, potuisse Deum creare Mundum (si nempe voluisset) maiorem, quàm creauerit? Imo &, vt contendunt etiam quamplurimi, infinitum?

Masseus dissentit, & respondet

Primo, Aristotelem eo loco optime docere, non eamdem, sed aliam esse infiniti rationem in numero, & in magnitudine. Quia in numero datur infinitum, ascendendo; non tamen descendendo. Verum in magnitudine datur infinitum descendendo; non autem ascendendo.

Ratio primi est. Quia cum numerus augeatur ex diuisione continui, quemadmodum hoc diuiditur in infinitum, ita ille poterit abire in infinitum ascendendo; cumque in numeris descendendo perueniatur ad vnitatem, quæ indiuisibilis est, non potest descendendo in infinitum procedi.

Ratio secundi est. Quia si qualibet magnitudine data, non potest dari alia minor, certe deueniendum erit ad aliquam indiuisibilem quantitatem, & ita dabitur magnitudo composita ex indiuisibilibus, quod fieri non posse monstratum est ab Aristotele in 6. physicorum, & satis patet ex definitione continui, quam tradunt etiam Mathematici dicentes, continuum esse illud, quod est diuisibile in semper diuisibilia. Magnitudo autem est quantitas con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

continua, ſicuti multitudo eſt quantitas diſcreta, quare magnitudo eſt diuiſibilis in ſemper diuiſibilia; non autem in indiuiſibilia; cumque vnumquodque conſtet ex ijs, in quæ diuiditur, ac reſoluitur, ſicut magnitudo diuiditur in diuiſibilia, ita ex his debet eſſe compoſita.

Non procedi autem in magnitudine in infinitum aſcendendo, colligitur ex eo, quia per additionem non poteſt dari quantitas, quæ ſuperet omnẽ aliam quantitatem, præſertim quantitatem Cęlorũ.

Ex hoc diſcurſu ſatis liquet, Ariſtotelem bene de infinito ratiocinatum eſſe.

Secundo, vanam eſſe inſtantiam, quam affert Gaſſendus dicendo. *Quæſo tamen cur non liceat maiorem hoc Mundo concipere molem?* Nam facile reſpondet Maffeus animaduertendo, quod hoc eſt illud idem argumentum, quo vſus eſt etiam Ariſtoteles in tertio phyſicorum textu 32. pro ratione dubitandi ad oſtendendum, dari infinitum; ſic enim arguebat. Mens noſtra in cogitatione rerum procedit in infinitum, ergo datur infinitum. Conſequentia conſtat ex eo, quia, vt cogitatio mentis noſtræ ſit vera, debet eſſe adæquata rebus, quas cogitat (veritas enim eſt adæquatio mentis cum re.) Igitur ex eo, quod mens noſtra cogitat res infinitas, recte infertur, infinitum dari. Antec. patet. Namque mens noſtra, quovis dato numero, & quavis data magnitudine, concipit alium numerum, & aliam magnitudinem maiorem, & ſic procedit in infinitum. Quare mens noſtra in cogitatione rerum progreditur in infinitum.

Ad hoc argumentum Ariſtoteles ipſe reſpondet negando conſequentiam. Quia non omne, quod concipitur à nobis, poteſt eſſe eo modo, quo concipitur; poſſumus enim concipere aliquem hominem Ciuitate maiorem, & eminentiorem monte; cum tamen ita non ſit à parte rei. Sic ergo dicendum eſt contra Gaſſendum, quod quamvis poſſit quiſpiam concipere molem, hoc Mundo maiorem; non tamen ob id ſequitur, eam dari.

Tertio quod Gaſſendus dicens, potuiſſe Deum creare Mundum maiorem, quam creauerit, imo & infinitum, accuſandus videtur, quemadmodum ipſe Ariſtotelem reprehendit, quod male ſe gerat contra Parmenidem, & Melyſſum, dum eos phyſicè inſectatur, vel interpretatur; cum tamen ipſi theologicè ſint locuti. Sic ergo Gaſſendus e contrario redarguendus eſt, quia ſupernaturaliter agit aduerſus Ariſtotelem, qui loquitur naturaliter. Nam ex eo, quod Mundus conſtat ex tota ſua materia, colligit, Mundum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

dum esse vnum, & ita vnum, vt plures esse non possint. Quod autem possint á Deo creari plures, aut infiniti Mundi, hoc Aristoteles non considerat, quia id pertinet ad virtutem supernaturalem; ipse vero loquitur naturaliter.

Accusatio Sexagesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia in eodem tertio physicorum cap. 7. Infinitum definiendum statuit, illud, extra quod aliquid semper assumere licet. Quomodo vero, inquit Gassendus, infinitum definitur per aliquod extra se?

Maffeus dissentit, & respondet, infinitum ab Aristotele prædicto modo bene definitum esse, si ea definitio recte percipiatur. Nam Aristoteles in textu 62., & 63. docens, infinitum non esse definiendum eo modo, quo definiebatur ab Antiquis, ait. *Accidit autem contra esse infinitum, quàm sicut dicunt. Non enim cuius nihil est extra, sed cuius semper aliquid est extra, hoc infinitum est.* Dicens ergo Aristoteles. *Cuius aliquid*, non definit infinitum per aliquid extra se, vt aiebat Gassendus, sed per aliquid intra se; cũ ipsum definiat per ordinem ad suas partes, quarum quælibet licet post diuisionem separetur à toto, & sit extra totum; attamen ante diuisionem erat in toto, vnde prædicta definitio ita est exponenda, videlicet. Infinitum est illud, cuius aliquid semper est extra, idest, à quo semper aliqua pars per diuisionem extrahi, ac separari potest. Sic autem patet, infinitum non explicari per aliquid extra se, sed per partes, quas ante diuisionem in se habet.

Quod autẽ infinitũ rectius definiatur dicendo. Est id, cuius aliquid semper est extra, quàm dicendo. Cuius nihil est extra, vt ab Antiquis exponebatur, constat ex eo, quia talis definitio est vitiosa; cum conueniat alijs à definito, nempe toti, & perfecto; si quidem ex 5. Metaphysicorũ capite 26. totum nihil aliud est, quám id, cuius nulla pars abest, quemadmodum patere potest ex inductione facta in vnoquoque toto, quod tunc deprehenditur esse vere totum, quando nihil illi deest. Infinitum vero non potest esse totum, neque perfectum, quoniam hæc habent finem, ac terminum, quod quidem valde repugnat infinito.

Accu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Sexagesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia in eodem tertio libro, capite 8. postulat æternam vicissitudinem generationis, quasi Mundus æternus sit.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod, cum Gassendus solum innuat, se putare Mundum non esse æternum; cumque id nulla ratione confirmet, propterea huic accusationi sufficienter occurritur affirmando cum Aristotele, quod Mundus est æternus, adeo vt sit ingenitus, nec vmquam cæperit esse per generationem; cum antea nõ esset, & ideo Aristoteles postulat, loco citato à Gassendo, æternam vicissitudinem generationis.

Accusatio Sexagesima octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro quarto Physicorum falsum videtur, & quod locus sit superficies, & quod non detur vacuum, & quod tempus sit mensura motus. Verum hæc sunt suis locis demonstranda specialius.

Maffeus dissentit, & respondet, quod, cum Gassendus ad alia loca remittat probationes à se faciendas contra doctrinam Aristotelis asserentis, locum esse superficiem, non dari vacuum, & tempus esse mensuram motus, ipse quoque Maffeus differet vsque ad illa eadem loca responsiones ad argumenta Gassendi, vt ostendat, ea nullam habere vim contra prædictas assertiones in suis locis ab Aristotele optimis, ac validissimis rationibus confirmatas.

Quod si probationes Gassendi continentur in alijs libris, ab eo cõscriptis aduersus alia opera Aristotelis præter illa tria, quæ Maffeus defendenda suscepit, responsiones publicis eorumdem operum Interpretibus assignandas relinquit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Sexageſima nona.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite quinto falſa omnia deducit corollaria, nec ſatisfacit dubitationi Zenonis, atque exinde colligit, toti Mundo (certe ipſi extimo Cœlo) nullum locum ſupereſſe, quod patet, quàm abſurdum ſit.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, ſe nullam poſſe reſponſionem afferre. Quia Gaſſendus nullam dat illi anſam reſpondendi; cum nulla ratione probet, loco, quem citat, falſa deduci corollaria, nec ſatisfieri dubitationi Zenonis, & abſurdum eſſe fateri, toti Mundo nullum locum ſupereſſe. Maffeus ergo putat, ſe huic accuſationi ſatisfacere poſſe, oppoſitum enunciando, nimirum quod Ariſtoteles eo loci vera deducat corollaria, ſatisfaciat dubitationi Zenonis, & ſine vlla prorſus abſurditare doceat, toti Mundo nullũ locum ſupereſſe. Cum autem hæc facile patere poſſint legentibus locum á Gaſſendo citatum, propterea ſuperuacaneum eſt, hic repetere, quæ ibi traduntur ab Ariſtotele.

Accuſatio Septuageſima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia in capite 14. quærit. Si anima numerans deſit, vtrum tempus ſit futurum? Reſpondet autem negatiue, quã reſponſionem Gaſſendus deridet dicẽdo. Dormiant igitur omnes, animaque nulla numeret, & tempus non præterlabetur. Pharmacum ſaue prorogandæ vitæ, ſenioque arcendo, eximium.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, huiuſmodi accuſationem ſublatam iri, ſtatim atque hic relata fuerit dubitatio, quam Ariſtoteles excitauit circa tempus in cont. 131. 4. libri phyſicorum, vnà cum ſolutione ipſius.

Dubitatio igitur, quam ibi proponit Ariſtoteles, eſt huiuſmodi. An ſublata anima, tempus auferatur? Ratio dubitandi eſt.

Primo quia ſi non poteſt eſſe id, quod numerat, nec poteſt eſſe id, quod numeratur, quatenus eſt numerabile, quoniam hæc duo ſunt relatiua. Quare nec poteſt eſſe numerus, quippe omnis nume-

merus aut eſt numerans, aut numerabilis. Sola vero anima rationalis eſt illa, quæ proprie numerat; tempus autem eſt numeratũ, ergo ablata anima, aufertur tempus.

Secundo quia quæ eſt habitudo ſenſibilis ad ſenſum, eadem eſt numerabilis ad numerantem. Sicut enim ſenſu apprehendimus ſenſibile, ſic animo, numerabile. Sed ſenſibile ita dependet à ſenſu, vt ſi nullus eſſet ſenſus, nullum eſſet ſenſibile. Igitur numerabile ita pendebit ab intellectu, vt eo ſublato, vel eius actione ſublata, nullum poſſit eſſe tempus.

Tertio quia in rebus fluidis, & quæ cõſiſtunt in ſucceſſione, non datur numerus, niſi per intellectum, qui apprehendit vnam partem poſt aliam, quia cum illę vel iam fuerint, vt præteritæ, vel nondum ſint, vt futuræ, non erunt à parte rei, niſi in ſolo intellectũ apprehendente. Sed tempus eſt res fluida, & in ſucceſſione conſiſtens, vnde cecinit ille

Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis; Et fugiunt, freno non remorante, dies.

Quare tempus non erit numerus partium motus, niſi per intellectum apprehendentem vnam partem ipſius poſt aliam, vnde ablato intellectu, tempus non erit.

Pro ſolutione huius dubitationis cum Ariſtotele animaduertendum eſt, quod tempus poteſt duobus modis conſiderari, videlicet. Primo ſecundum ſuam eſſentiam, quæ conſiſtit in eo, vt cum tẽpus ſit quantitas, diuidi poſſit in partes ſecundum durationem, iuxta ordinem prioris, & poſterioris, adeo vt illæ ſibi inuicem in duratione ſuccedant, & non ſimul conſiſtant: Secundo ſecundum proprietatem ſuam, poſitam in ratione menſuræ, cuius eſt poſſe metiri; non autem actu metiri; hoc enim accidit tempori, quemadmodum Socrati, actu ridere. Hoc itaque præaccepto, ſoluitur propoſita dubitatio per hanc vnicã concluſionem. Tempus non dependet ab intellectu quo ad ſuam eſſentiam, nec quo ad ſuam proprietatem, quamvis ab eo dependeat, quo ad actum ſuæ proprietatis.

Ratio primi eſt. Quia quod per ſe continetur in aliquo prædicamento, eſt ens reale, nec pendet ab intellectu, ſiue non habet eſſe per operationem intellectus (talia enim ſunt entia rationis) Sed tempus eſt per ſe in prædicamento quantitatis, vt patet ex dictis ab Ariſtotele in prædicamentis, capite de quantitate, ergo tẽpus eſt ens reale, ideoque conſideratum ſecundum ſuam eſſentiam, non dependet ab intellectu; ſic enim deberet eſſe ens rationis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Ratio secundi est. Quia si tempus dependeret ab intellectu, secundum suam proprietatem, dependeret ab eodem, secundum suam essentiam. Sed non potest dependere ab intellectu, secundum suam essentiam, vt paulo ante monstratum est, ergo nec secundum suã proprietatem. Sequela patet ex eo, quod proprietates dependent ab essentia, eamque comitantur. Quare vtrumque pendet ab eodem principio, sicut homo generans, non solum dat esse homini genito, sed etiam producit omnes proprietates, quæ consequuntur naturam hominis.

Ratio tertij est. Quia tempus nihil potest actu mensurare, nisi actu applicetur ei, quod mensuratur. Sed hæc applicatio à nullo alio fit, quam ab intellectu. Neque enim fit à manibus, vel à pedibus. Quare tempus in actione mensurandi, dependet ab intellectu.

Ad rationes dubitandi respondetur, per eas concludi solum, quod tempus pendet ab intellectu, si spectetur secundum rationem mensuræ in actu; nõ vero, si sumatur secundum essentiam, & secundum rationem mensuræ in potentia, quemadmodum nec sensibile dependet à sensu, secundum suam essentiam, sed tantum secundum actum sentiendi. Etenim sublato quocumque sensu, adhuc tamen esset res sensibilis in natura, secundum suam essentiam, licet non posset actu sentiri. Sic ergo dormientibus omnibus, nullaq; anima numerante, præterlabetur tempus, & propterea dabitur in natura; cum non dependeat ab intellectu, secundum suam essentiam, aut proprietatem, sed tamen actu nihil mensurabit; cum deficiente intellectu, non adsit, à quo applicetur ei, quod tempore mensurari potest.

Accusatio Septuagesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro quinto, capite 4. triplicem facit vnitatem, genericam, specificam, & numericam: cum non videatur tamen esse, nisi duplex, generalis, & specialis, vt suo loco probabitur.

Masseus dissentit, & respondet, se tunc omniquaque responsurum esse Gassendo, quando ipse probabit, vt pollicetur, non triplicẽ, sed solum duplicem dari vnitatem. Nam vsque modo viget opinio Aristotelis quinto physicorum textu 31. docentis, motum posse

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

posse appellari vnum tribus modis, videlicet

Primo dicitur vnus genere, qui est ad vnam categoriam; ex opposito autem ille dicitur multiplex, qui est ad diuersas categorias, vt omnes alterationes sunt vnius generis, quia omnes fiunt ad idem prædicamentum qualitatis. Alterationes autem, & augmentationes differunt genere, quia continentur in diuersis categorijs. Nam augmentatio est in quantitate; alteratio vero in qualitate.

Secundo dicitur vnus specie, qui terminatur ad vnam speciem athomam, & indiuiduam, vt omnes dealbationes eiusdem sunt speciei, quia omnes terminantur ad albedinem, quæ est vna secundum speciem. Illę vero specie differunt, quę terminantur ad species diuersas, vt dealbatio, & denigratio, quia dealbatio terminatur ad albedinem, & denigratio ad nigredinem, quæ differunt specie. Sic etiam calefactio, & frigefactio specie differunt, quia calefactio tendit ad calorem, & frigefactio ad frigiditatem, specie dissimiles.

Tertio dicitur esse vnus numero, qui est omnino, & maxime vnus. Ad constituendam autem hanc maximam vnitatem, tria requiruntur. Primo, vt vna sit numero forma, quemadmodum vna numero dealbatio est illa, quæ fit ad vnum candorem singularē: Secundo, vt sit vnum numero tempus, atque continuum, ita vt in eo nulla fiat intermissio motus, neque intercedat quies: Tertio, vt subiectum sit vnum numero, non tantum per accidens, vt Socrates, & album, sed etiam per se. Patet igitur ex his, Aristotelem vere dixisse, quod motus potest appellari vnus tribus modis; cum omnes isti modi allati, & expositi sint, vnde non erat à Gassendo redarguendus.

Accusatio Septuagesima secunda.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia dato, nec tamen concesso, triplicem esse vnitatem, adhuc Aristoteles est redarguendus, quoniam ad vnitatem numericam, siue absolute, & simpliciter dictam, exigit perfectionem, & regularitatem; quasi vero Monstrum non sit vnus homo, vel vnum Monstrum numero. Quasi scalenum triangulum vna numero figura non sit, quamuis illud imperfectum, ista sit irregularis.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem ibi ad nume-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ricam vnitatem requirere perfectionem, & regularitatem. Nam iuxta interpretationem D.Th., ac etiam Tol., Aristoteles, positis tribus modis principalibus vnitatis motus, nempe secundum genus, secundum speciem, & secundum numerum, postea in textu 42., & 43., constituit alios duos modos secundarios, qui magis pertinent ad quamdam formam vnitatis, quàm ad ipsam vnitatē.

Dicit ergo Aristoteles in textu 42., quod ille motus, qui perfectus est, appellatur vnus, siue in genere, siue in specie, siue numero. Idem enim est dicere motum vnum, & totum, atque perfectum, sicut etiam in alijs rebus, quod perfectum est, dicitur vnum. Est autem motus perfectus, qui iam peruènit ad suum terminum, in quem dirigebatur.

Et ne quis putaret, motum imperfectum, scilicet illum, qui non dum peruenit ad suum terminum, non esse vnum, ideo subiungit, ipsum esse vnum, quia continuus est, licet sit minus vnus.

Deinde in textu 43. aliam ponit motus vnitatem, secundum quam ille vocatur vnus, qui est regularis, & vniformis. Et quamvis irregularis etiam ipse sit quodammodo vnus; attamen differt à regulari, quoniam hic est màgis vnus; ille vero minus. Tum quia irregularis est diuisibilis in diuersas partes; regularis autem non. Indiuisibilitas vero pertinet ad rationem vnius; cum vnum sit ens indiuisum. Tū quia sicut corpus similiū partium est magis vnum, quàm corpus partium dissimilium, ita motus regularis, qui partes obtinet vniformes, censetur esse magis vnus, quàm irregularis, qui habet partes difformes.

Cum ergo falsum sit, Aristotelem tradere, ad numericam vnitatem motus requiri perfectionem, & regularitatem, sed potius ex his duobus accipiat duos alios modos vnitatis, licet secundarios, profecto clarum, & apertum est, Gassendum hac in re fuisse deceptum, ideoque nullius esse momenti exempla, quibus aduersus Aristotelem vsus fuit.

Accusatio Septuagesima tertia.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 6. capite 4. tam multis confirmat, omnia pariter diuidua, & indiuidua esse. Et neque in mobili, neque in motu, neque in tempore quidpiam esse primum, capite 5. Et non continua quoque participare hanc infinitatem, defectumque termini, capite 6. Et stationem simili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ter, quietemque, capite 8. Quid inquam quis ista capiat? Baculum ita esse infinitum, vt nihil primum, vltimumque habeat, atque idcirco extremis careat, & cursum similiter, & tempus, quo homo viuit, atque ita de cæteris.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo quod Gassendus dicens, multis Aristotelem confirmare, omnia pariter diuidua, & indiuidua esse, , forte vult innuere illud idem, quod ipse quoque Tol. asserit in expositione quarti contextus, libri 6. physicorum. Ait enim. Quod dixit de magnitudine, nempe non componi ex indiuisibilibus, sed ex diuisibilibus, idem de tempore, & de motu dicendum censet; sunt enim omnia hæc eiusdem rationis quantum ad hoc. Vel enim omnia constant ex indiuisibilibus, vel nullum ipsorum: non enim vnum constat, & aliud non. Quod si Gassendus hoc intendit obijcere Aristoteli, non consequitur intentum, quia ipse vult redarguere Aristotelem; nec tamen aliquam affert rationem, ex qua pateat, Aristotelem non bene se gerere, dum loco citato multis confirmat, omnia pariter esse diuidua, & indiuidua, nimirum hæc omnia, motum, tempus, & magnitudinem ex æquo se habere quo ad esse diuidua, vel indiuidua. Cum ergo Gassendus non ostendat, in quo deliquerit Aristoteles, dum prædictam adducit confirmationem, gratis illum accusat.

Secundo quo ad alteram partem accusationis, in qua fit mentio de eo, quod est habere, vel non habere primum, & vltimum, respōdet cum Chrysostomo Iauello in sua Epitome in 6. librum physicorum tractatu 2., conclusione 5. quod hæc omnia, nimirū tempus, mobile, motus, & spacium, super quod est motus, continua sunt, & similiter diuiduntur, vt clare docet Aristoteles libro 6. physicorum, textu 4. Sed non potest dari prima pars in spacio, quia, cum sit continuum, est diuisibile in infinitum, & sic non potest dari prima pars, quæ adhuc non sit diuisibilis in priorem, & posteriorem, ergo similiter non potest dari prima pars motus, nec prima pars temporis, aut mobilis; cum omnia sint continua, & diuisibilia in infinitum. Sciendum tamen est, quod, vt monet idem Iauellus quæst. 9. in eumdem sextum physicorum, licet in motu non detur prima pars; attamen datur aliquod primum indiuisibile, à quo initiatur motus finitus, & ante quod nihil est de tali motu, quemadmodum etiam accidit in tempore, in quo quamvis non sit prima pars, nihilominus est primū

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

instans indiuisibile, ante quod nihil est illius temporis. Pro maiori autem explicatione, & confirmatione doctrinæ ab Aristotele nobis traditæ, operæ precium erit occurrere tribus difficultatibus, quarum

Prima talis est. Motus fit in aliquo tempore primo, & adæquato, puta vna hora. Sed in tali tempore datur vnum nunc terminans in fine, alterum in principio, ergo dabitur in motu ex vtraque parte mutatum esse, nempe primum, & vltimum.

Secunda talis est. Motus fit adæquate per aliquod spacium, puta ab A. in B. Sed huius spacij ex vtraque parte datur punctum, ergo & in motu mutatum esse, tam ex parte principij, quàm ex parte finis, ideoque in motu erit aliquid primum.

Tertia talis est. Omne finitum ex vtraque parte habet principiũ, & finem. Sed motus vnius horæ ex vtraque parte finitus est, vt ergo habet principium, habebit & finem.

Ad has difficultates respondetur cum Tol. quæst. 4. in sextum physicorum.

Ad primam, & secundam dicitur, quod mutatum esse non est omnino simile puncto in linea, & nunc in tempore. Quia non est de ratione puncti, quod ipsum linea præcedat, sicut de ratione mutati esse est, quod ante ipsum sit mutatio, ób id non potest incipere motus à mutato esse, quia necesse est, vt ipsum antecedat motus; cum sit finis mutationis.

Ad tertiam dicitur, quod simul de motu vere pronunciantur hæc duo dicta, videlicet. In motu non datur prima pars, nec vltima. Motus habet principium, & finem, quia sicut in eo datur vnum instans, in quo desinit motus, quod dicitur primum non esse motus, ita etiam datur aliud instans, in quo incipit, quod sit vltimum non esse ipsius.

Tertio quod Gassendus dicens tertio loco, non posse intelligi, quomodo hæc infinitas, & defectus termini participetur etiam à motibus non continuis, vt sunt generationes, & alterationes, quarum termini non sunt per se quanti, se dignũ præbet reprehensione, quia indicat, se non bene percepisse rationem Aristotelis, ex qua, vt animaduertit Chrysostomus Iauellus in sua Epitome in sextum physicorum tractatu secundo, conclusione 8., optime sequitur quod prædictum est. Asserit enim Iauellus, Aristotelem probare istam conclusionem, nimirum. Ante omne mutatum præcedit mutari, hoc est ante terminum motus præcedit moueri, & arguere sic. Sicuti se habet punctus intrinsecus ad lineam, ita

se

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſe habet mutatum eſſe ad moueri. Sed ante omnem punctum intrinſecum præcedit aliqua pars lineæ (eſt enim omnis punctus intrinſecus finis præcedentis partis, & principium ſequentis) ergo ante omne mutatum præcedit mutari, quia mutatum eſſe, eſt finis præcedentis partis motus, & principium ſequentis.

Ex quo ſequitur, inquit Iauellus, quod omne alteratum, prius alterabatur, & omne generatum, prius generabatur, & corruptũ, prius corrumpebatur, quod quomodo ſit verum de generatione, & corruptione, declarat idem Iauellus eodem loco citato, tractatu 3., capite 3. in reſponſione ad quartum argumentum, quod eſt huiuſmodi.

Generatio fit in inſtanti, ergo non omne, quod generatur, generabatur prius: probatur antecedens. Forma ſubſtantialis eſt indiuiſibilis (non enim ſuſcipit magis, & minus, vt dictum eſt in tractatu prædicamentorum, capite de ſubſtantia) ergo introductio eius eſt in inſtanti. Sed generatio eſt introductio formæ in materiam, ergo generatio eſt in inſtanti.

Ad hoc argumentum reſpondet Iauellus dicendo, quod generatio ſumitur duobus modis, videlicet

Primo pro ipſa ſola introductione formæ in materiam diſpoſitam, & ita conceditur, quod eſt in inſtanti, nec id, quod generatur, prius generabatur.

Secundo pro alteratione præuia, qua generans diſponit materiam ad introductionem formæ, & pro ipſa introductione formæ, ſicque dicitur, quod generatio ſumpta hoc modo eſt in tempore, & ita intelligit Ariſtoteles, quod id, quod generatur, ideſt diſponitur ad formam, prius generabatur, hoc eſt prius diſponebatur. Hinc ergo patet, quomodo aſſertio Ariſtotelis vera ſit, etiam in motibus non continuis, quod Gaſſendus putabat, vix capi poſſe.

Quarto quod cum eodem Iauello ibidem, concluſione 13., & 14. de ſtatione, ac de quiete facillime oſtendi poteſt, neutrius dari primam partem. De ſtatione ita probatur. Non poteſt dari prima pars motus, quia cum motus ſit continuus, eſt diuiſibilis in infinitum, & ſic omnis pars motus eſt diuiſibilis in partem priorem, & poſteriorem, vt dictum eſt ſupra, ergo non poteſt dari prima pars ſtationis: probatur conſequentia. Nam omne, quod ſtat, mouetur, ergo ſi in motu non eſt prima pars, nec in ſtatione.

De quiete concluditur ſic. Non datur prima pars temporis menſurantis quietem, ergo non datur prima pars quietis: probatur conſequentia. Omnis quies fit in tempore, ergò ſi non datur prima

ma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ma pars temporis, nec dabitur prima pars quietis. Quod non detur prima pars temporis, probatur ſic. Tempus eſt diuiſibile in infinitum, ſicut omne continuum, ergo quælibet pars, quantumcumque parua, eſt diuiſibilis in partem priorem, & poſteriorem, ergo non poteſt dari prima pars; cum ſemper poſſit habere priorem per diuiſionem. Quod autem quies, vt prædiximus, fiat in tempore, ita oſtenditur. Oppoſita ſunt apta nata fieri circa idem. Sed moueri, & quieſcere ſunt oppoſita, vt habitus, & priuatio, ergo debent fieri circa idem, ſed omnis motus fit in tempore; non autem in inſtanti, ergo quies fit in tempore; non vero in inſtanti. Vt conſtet, motum non in inſtanti, ſed in tempore fieri, prius monſtrandum eſt, quod inſtans eſt indiuiſibile in tempore, ſicut punctus in linea. Hoc itaque manifeſtatur tali pacto.

Si nunc eſt diuiſibile. Igitur diuiditur in partem præteritam, & partem futuram, quia omnis diuiſio in tempore eſt per præteritum, & futurum. Sed idem nunc non poteſt diuidi in partem præteritam, & futuram, quia in tempore præterito eſſet aliquid de tempore futuro, & in tempore futuro eſſet aliquid de tempore præterito. Nam idem nunc eſt finis præteriti. Si ergo nunc diuiditur in partem præteritam, & futuram, pars futura erit in tempore præterito, ex quo nunc eſt finis præteriti. Similiter idem nunc eſt principium futuri, ergo ſi diuiditur in partem præteritam, & futuram, pars præterita erit in tempore futuro, quatenus nunc eſt principium futuri. Cum ergo nihil præteriti ſit in futuro, & nihil futuri ſit in præterito, dicendum eſt, ipſum inſtans eſſe penitus indiuiſibile.

Hoc ſuppoſito, arguitur ſic. Si aliquid moueretur in inſtanti, ſequeretur, ipſum inſtans eſſe diuiſibile. Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Falſitas patet ex prædictis. Conſequentia ita deducitur. Sumatur ſpacium vnius miliaris, quod pertranſiri debeat ab aſino in vno inſtanti. Præterea ſumatur equus velocior aſino, qui debeat pertranſire idem ſpacium, tunc arguitur ſic. Equus pertranſit ſpacium vnius miliaris, ergo in minori tempore, quàm aſinus. Velocius enim pertranſit æquale ſpacium in minori tempore. Sed aſinus pertranſit in vno inſtanti per caſum datum, ergo equus pertranſit in minori tempore, quàm ſit inſtans, puta in medio inſtanti, ergo inſtans eſt diuiſibile. Patet igitur, nihil poſſe in inſtanti moueri.

Quinto quod baculum eſſe infinitum, adeo vt nihil primum, vltimum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

mumque habeat, atque idcirco extremis careat, nemini mirum videbitur, si bene distinguat. Licet enim baculus habeat primum, & vltimum, ideoque non sit infinitus, si consideretur physice, vel secundum formam; attamen vt quantus, vel continuus, siue mathematice acceptus, est infinitus, & caret extremis; cum sit diuisibilis in semper diuisibilia.

Sexto quod cursum non habere primum, neque vltimum, sed esse infinitum, & destitutum extremis, verum esse intelliget quicumque respexerit quæ dicta sunt. Constat enim ex prædictis, motum non habere primam partem; habere tamen aliquod primũ indiuisibile, à quo incipit, & aliud, in quo desinit. Quatenus ergo non habet primam partem, & vt continuus, iure dicitur infinitus.

Septimum quod tempus, quo homo viuit, potest bifariam considerari. Primo quatenus est continuum, & species quantitatis,& sic est infinitum: Secundo quatenus est mensura illorum entium, quæ sunt in tempore, nec non provt significat periodum cuiuslibet entis tempore mensurabilis, & sic est finitum. Modo Aristoteles dicens, in tempore non esse quidpiam primum, locutus est de tempore primo modo. Quod si accepisset tempus altero modo, vt ipsum vsurpat Gassendus, etiam ipse dixisset, tempus esse finitum, vt patet ex libro secundo de generatione, & corruptione,textu 57., vbi Aristoteles ita loquitur. *Et in æquali tempore corruptio, & generatio, quæ secundum naturam. Ideo & tempus, & vita vniuscuiusque numerum habent, & hoc determinantur. Omnium enim est ordo. Et omne tempus, & vita mensurantur circuitu; sed tamen non eadem omnia, sed hæc quidem minori; hæc autem maiori; his enim annus, his autem maior; alijs autem minor circuitus est mensura.*

Ex his omnibus perspicuum est, quomodo possit quisque facile capere, quàm bene veritati cohæreant, quæ Aristoteles nos docuit locis à Gassendo citatis, qui propterea nec poterat, nec debebat Aristotelem redarguere.

Accusatio Septuagesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 10. dicit, indiuisibile non moueri. At nonnè anima suos habet motus, dum videt, aut imaginatur? vt vel ipsemet admittit libro 8. capite 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Anima vero eſt indiuiſibilis, ergo indiuiſibile mouetur.

Quod ſi dicas, quæſtionem eſſe de indiuiſibili quantitatis: cum per ipſum neque detur, neque dari valeat, an non abſurda propoſitio?

Maffeus diſſentit, & reſpondet

Primo negando, Ariſtotelem in 8. phyſicorum capite 3. pronunciare de anima, quod videat, aut imaginetur; hoc autem ſatis perſpicuum eſſe poteſt legentibus totum illum octauum librum, ſicut eum diligentiſſime, atque attentiſſime ſe legiſſe profitetur Maffeus.

Secundo dato, nec tamen conceſſo, quod Ariſtoteles illud protulerit, adhuc reſpondet cum Chryſoſtomo Iauello, quæſtione 8. in 6. phyſicorum, animaduertendo, quod Ariſtoteles dicens, indiuiſibile non poſſe moueri, loquitur de eo, quod mouetur motu phyſico; ſenſatio autem, vt & viſio, ſicut & intellectio, volitio, & imaginatio non ſunt motus phyſici, & ideo inſtantia Gaſſendi deducta ex prædictis motibus animæ, non facit ad rem.

Tertio reſpondet, quod quando Ariſtoteles aſſerit, indiuiſibile non poſſe moueri, reſpicit indiuiſibile quantitatis, quod ab Ariſtotele admitti; non autem negari, vt falsò putauit Gaſſendus, colligitur ex pluribus locis eiuſdem Ariſtotelis.

In textu 24. ſexti phyſicorum ait. *Neceſſe autem eſt & ipsũ nunc, quod non ſecundum alterum, ſed per ſe, & primum dicitur, indiuiſibile eſſe, & in omni tempore tale ineſſe.* Nunc autem dicitur indiuiſibile quantitatis; cum ab Ariſtotele in prædictis verbis referatur ad tempus, quod eſt ſpecies quantitatis.

In textu 29. eiuſdem libri ait. *Quod igitur ſit aliquid in tempore indiuiſibile, quod dicimus eſſe ipſum nunc, manifeſtum eſt ex ijs, quæ dicta ſunt.*

In textu primo eiuſdem libri ait. *Impoſſibile eſt, ex indiuiſibilibus eſſe aliquid continuum, vt lineam eſſe ex punctis, ſi linea quidem continua eſt; punctum autem indiuiſibile.* Concedit ergo Ariſtoteles, dari indiuiſibile, vt punctum, ſiue quantitatis, & ſolum negat, ex hoc indiuiſibili, tamquam ex parte fieri poſſe aliquod cõtinuum, vel diuiſibile.

In textu 86. eiuſdem libri ait. *Impartibile autem dico id, quod eſt ſecundum quantum indiuiſibile.*

In textu 89. eiuſdem libri ait. *Amplius autem & ex his manifeſtum eſt, quod neque punctum, neque aliud indiuiſibile vllum contingit moueri.* Apparet ergo ex his, per Ariſtotelem dari indiuiſibile quantitatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Septuagesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 8. præter falsa innumera, quæ deprehendere est capite 5. 6. 7., & 8. insignis præ cæteris est impietas illa, quam capite primo nititur adstruere de æternitate motus, vt contra fidem orthodoxam faciat Mundum ingenitum, & æternum. Age vero quibus illam persuadet rationibus.

Prima est hæc. Motus est actus mobilis: mobile ergo præcessit motum. Quæso te, an non se propria consequentia strangulet? Si motum enim aliquid præcessit, motus ergo æternus non est.

Secunda. Motiuum, & mobile vel sunt facta, vel æterna, neutrum vero dici potest. Sed quare vel alterum, vel etiam ambo æterna esse non potuerunt, & nihilominus absque motu? Quia hoc est absurdum, inquit, quam responsionem Gassendus more suo illudens ait. Ægregia sane instantia, vereque philosophica. At inquit postea. Si mobile præcessisset motum, quieuisset, atque ita necessarius antea fuisset alius motus, cuius illa quies fuisset priuatio. Quasi vero qui cæcus est natus, vidisse in vtero debeat, vt illius cæcitas possit censeri priuatio.

Tertia. Potentia debet esse propinqua actui. Quasi vero lapides, qui ab Orbe condito sub terra delituerunt, non tam habuerint potentiam ad domum, quæ hodie fit, quam habent à paucis diebus, prius quam effoderentur.

Quarta. Tempus æternum est. Igitur & motus. Confirmat antecedens. Primo quia Physici omnes, præter Platonem, id asserunt. Quasi res agatur in foro, vbi voces numerantur, vt taceam, inquit Gassendus, Platonem pro millibus esse ipsi Antigenidæ: Secundo quia tempus non est sine nunc. Omne autem nunc est principium sequentis, & finis præcedentis temporis. Quasi vero esse non possit nunc primum, & vltimum, si vel motus Cœli cæperit, vel etiam si credamus, motum non mensurari tempore, quod iam ante recepimus suo loco manifestandum.

Maffeus dissentit, & quia in hac accusatione plures continentur partes, ideo singillatim respondet ad omnes.

Ad primam, in qua Gassendus redarguit Aristotelem, quod in capite 5. 6. 7. & 8. multa falsa doceat, respondet retorquendo accusationem in ipsum Gassendum, quia se dignum præbuit, vt repræhendatur, tamquam diminutus; defecit enim in eo, quod te-

neba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

nebarur ostendere falsitatem eorum, quę in prædictis capitibus ab Aristotele tradita continentur; cumque id non præstiterit, dicendum est, vera esse, quæ ibi Aristoteles edisserit.

Ad secundam, in qua fatetur, Aristotelem in primo capite statuere motus æternitatem, vt contra fidem catholicam faciat Mundum ingenitum, & æternum, respondet

Primo, quod cum Aristoteles ad adstruẽdam æternitatẽ ipsius motus, loco citato ponat hoc fundamentum, quod omnis motus indiget subiecto mobili, non profert aliquid contrarium fidei catholicæ, idque docet D. Th. in Commentario illius primi capitis, & præcipue textus quarti dicens. *Patet ergo, quod hoc, quod Aristoteles hic probat, quod omnis motus indiget subiecto mobili, non est contra sententiam nostræ fidei, quia iam dictum est, quod vniuersalis rerum productio, siue ponatur ab æterno, siue non ab æterno, non est motus, nec mutatio &c.*

Secundo, quod Aristoteles ita ponit Mundum æternum, vt non aduersetur fidei catholicæ. Nam fides docet, Mundum aliquando cæpisse; cum antea non esset, per creationem, iuxta illud Genesis primo. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram &c. Aristoteles vero asserit, Mundum numquam cœpisse; cum antea non esset, per generationem. Quare secundum fidem dicitur, quod Mundus fuit creatus. At iuxta doctrinam Aristotelis dicitur, quod Mundus non fuit genitus; hoc autem non repugnat fidei; cum non neget, quod fides affirmat; nec enim dicitur. Mũdus non fuit creatus, vnde cum Ecclesia vsque modo permiserit, hanc de Mundi æternitate propositionem ab Aristotele traditam in publicis Academijs doceri, teneri, & explicari, manifestum sane indicium est, eam non esse nostræ fidei contrariam, secus ipsam damnasset.

His accedit sententia D. Th., qui in calce primi libri de Cœlo inquit. *Est autem considerandum, quod prædictæ rationes Aristotelis procedunt contra positionem ponentem, Mundum esse factum per generationem, & etiam corruptionem, vel per se, vel per voluntatem Dei. Nos autem per fidem catholicam ponimus, quod incæpit esse, non quidem per generationem, quasi à natura, sed effluens à primo principio, cuius potentia non erat alligata ad dandum ei esse infinito tempore, sed secundum quod voluit, post quam prius non fuerat, vt manifestetur excellentia virtutis eius supra totum ens, quia totum ens tantum dependet ab ipso, & cuius virtus non est alligata, vel determinata ad productionem talis entis; ea vero,*

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

quæ ab eo sic producta sunt, vt in sempiternum sint, habent potentiam, & virtutem ad semper essendum, & nullo modo ad hoc, quod aliquando non sint; quando enim non erant, talem potentiam non habebant, quando autem iam sunt, non habent potentiam respectu non esse, quod prius fuit, sed respectu esse, quod nunc est, vel erit, quia potentia non respicit præteritum, sed præsens, vel futurum, vt Philosophus dicit. Sic igitur patet, quod rationes præmissæ in nullo impugnant sententiam catholicæ fidei.

Ad tertiam, in qua refert rationes, quibus Aristoteles vtitur ad suadendum Mundi æternitatem, respondet, rationes Aristotelis esse rectas, neque instantiæ contra illas à Gassendo adductæ quidquam valent, vnde oportet eas repetere, vt diluantur, & Aristoteles ab accusatione reddatur immunis.

Prima itaque ratio fuit. Motus est actus mobilis, ergo præcessit motum. Gassendus obijcit. Nam si motum aliquid præcessit, non potest esse perpetuus.

Respondetur animaduertendo, quod aliquid potest præcedere, vel tempore, vel natura. Subiectum enim præcedit suas proprias affectiones; nec tamen ob id sequitur, aliquando esse subiectum, & non adesse illi passiones proprias, quia subiectum, non tempore, sed natura solum præcedit, vnde non obstante huiusmodi prioritate naturæ, subiectum, & accidentia eius propria dicuntur esse simul tempore. Sic ergo dici potest, quod mobile præcessit motum secundum naturam; non autem tempore, vnde poterunt ambo esse simul in æternitate, ideoque non bene Gassendus arguit aduersus rationem Aristotelis, dum ait. Si mobile præcessit motum, ergo motus non est æternus. Etenim respondetur negando consequentiam. Quia mobile non precessit motum tempore, sed solum natura. Quod autem Aristoteles respiciat prioritatem naturæ, indicauit D.Th. in Commentario quarti contextus octaui libri physicorum dicens. *Et quia subiectum naturaliter prius est eo, quod est in subiecto, possumus concludere in singulis mutationibus, & ex parte mobilis, & ex parte mouentis, quod prius est ipsum subiectum combustibile, quam comburatur, & combustiuum, idest subiectum potens comburere, quàm comburat, prius inquam non semper tempore, sed natura.*

Id etiam innuit Chrysostomus Iauellus in sua Epitome super octauo libro physicorum tractatu primo capite 2., vbi ait. *Circa primum ponitur hæc conclusio præambula. Omnis motus supponit suum mobile, vt prius saltem natura*, & ita sentit ipse quoque Didacus

Ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Masius in suis annotationibus in primum caput octaui physicorũ.

Hoc tandem recipit Zabarella, qui in suo Commentario super octauum physicorum, contextu 4. ait. Aristoteles non supponit, quod mobile præcedit tempore motum, neque eget hoc fundamento, sed solum supponit, quod motus requirit necessario & mobile,& motorem,ita vt sit necessario in aliquo mobili,& ab aliquo motore, ideo quando dicit Aristoteles, *prius esse combustibile, antequam comburatur*, non sunt hæc intelligenda de præcedentia temporis, sed solum de necessaria pendentia motus à mobili, & á motore, ita vt habeamus, quod motor, & mobile sunt priora motu, vel tempore, vel saltem natura.

Secunda ratio fuit. Motiuum, & mobile vel sunt facta, vel æterna. Neutrum dici potest &c. Vt autem in confesso sit, ea, quæ à Gassendo contra huiusmodi rationem obijciuntur, nullius esse momenti, oportet hic referre totam, & integram rationem Aristotelis, quæ talis est.

Detur aliquis motus primus, certe per suppositionem factam ab Aristotele, quod oportet, vt mobile præcedat motum, quam quidem probauit per definitionem motus, & per inductionem, necessarium est, vt mobile præcedat illum motum, tunc de illo mobili quæritur. Vel est factum per aliquam prȩcedentem mutationem, per quam incȩperit esse; cum prius non esset, vel non est factum, sed perpetuo prȩcessit; postea vero motum fuit, & sic extitit aliquis motus primus, ante quem nullus alius prior fuerit. Sed neutrũ horũ dici potest,ergo neq;dici potest, quod detur aliquis motus primus, vnde asserendum est, motum semper fuisse. Assumptum probatur quo ad vtramque partem, & primo quo ad illam, in qua petitur, numquid mobile factum fuerit? & quod non potuerit fieri per aliquam prȩcedentem transmutationem, ita ostenditur.

Si hoc verum esset, in mobilibus daretur processus in infinitum. Consequens est absurdum, ergo & illud, ex quo sequitur. Sequela maioris patet ex eo, quia per prȩdictam suppositionem ante omnem motum debet prȩcedere ipsum mobile. Si ergo mobile factum est per alium motum, profecto ante istum motum debuit esse aliud mobile vsque in infinitum, quod quidem esse inconueniens, ex se patet.

Deinde probatur idem assumptum quo ad alteram partem, in qua dicitur, quod mobile prȩcessit motum perpetuo, ita vt non fuerit factum, sed postea motũ fuerit. Contra sic arguit Aristoteles.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Si hoc verum eſset, ſequeretur, dari motum aliquem priorem primo. Conſequens eſt irrationabile. Igitur & antecedens. Falſitas conſequentię nota eſt. Sequela maioris deducitur

Primo ſic. Si mobile non ſemper mouebatur, ergo quieſcebat, quia non tollitur motus, niſi per quietem, quę eſt priuatio motus. Si vero poſtquám quieuit, cępit moueri, ergo remoueri debuit illa cauſa, ob quã prius quieſcebat, quia cũ quies ſit priuatio motus, certe numquam poterit fieri motus, niſi prius tollatur e medio illud, quod erat cauſa quietis, & motum impediebat. Sed hoc fieri non poteſt, niſi per aliquem motum, vel mutationem, ergo ante illum motum, quem ſupponebamus eſse primum, pręceſſit alius motus, ideoque dabitur motus prior primo, quod eſt prorſus irrationabile.

Secundo ſic. (Suppoſito tamen, quod ſicut ante primum motum pręcedit mobile, ita pręcedit mouens. Nam hęc duo ſunt ad aliquid, ideoque debent eſse ſimul, & quidquid mouetur, ab aliquo mouente mouetur) Vel mouens, & mobile, quę pręceſserunt, ita ſe habebant, vt mouens poſset mouere; mobile vero poſset moueri, ſicque mouens eſset in potentia proxima ad motum efficiendum; mobile autem eſset in potentia proxima ad motum recipiendum, vel non erant in tali habitudine, atque diſpoſitione, ſed ita erant ab inuicem remota, vt neque mouens poſset mouere, neque mobile poſset moueri.

Si detur primum, ſequitur, motum ſemper fuiſſe, quia quando mouens, & mobile ſunt in debita diſtantia, & ſufficienter propinqua, neceſſe eſt, fieri motum.

Si detur ſecundum, ſequitur, dari motum aliquem priorem primo. Quia numquam poteſt alicui aduenire aliqua habitudo, quam prius non habebat, niſi per aliquam mutationem factam in ipſo, vt accidit etiam in relatis. Nam ſi aliquid incipiat eſſe duplum reſpectu alterius, neceſſarium eſt, vt vel in vtroque, vel ſaltem in altero illorum præceſſerit aliqua mutatio, per quam receperit illam nouam habitudinem. Sic ergo mouenti non aduenit de nouo habitudo, qua moueat, neque mobili habitudo, qua moueatur, niſi per aliquam mutationem factam vel in ambobus, vel ſaltem in altero ipſorum; nec enim poſſunt efficere motum, niſi proxima ſint, nec poſſunt approximari, niſi cum aliqua mutatione, vel vtriuſque, vel alterius tantum, ſicque apparet, dari motum priorem primo, quod eſt omnino abſurdum.

Ex hac ratione fuſius expoſita, vt debet exponi, manifeſtum euadit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

dit, Gaſſendum in primis male ſe gerere, dum quærens, cur alterum, vel etiam ambo æterna eſſe non potuerunt, & nihilominus abſque motu? attulit reſponſionem Ariſtotelis dicens. Quia hoc eſt abſurdum, eamque irridens ait. Egregia ſane inſtantia, vereq; philoſophica. Nam Ariſtoteles, vt patet ex ratione ante declarata, non ſolum dicit, ſed etiam probat, illud eſſe abſurdum, ſiue irrationabile.

Quoniam vero in prędictis argumentationibus Ariſtoteles ita loquitur, vt videatur concedere præcedentiam temporis inter mobile, & motum, cuius oppoſitum diximus in præcedentibus cum Zabarella, propterea cum eodem animaduertimus, quod ſi quis cupiat intelligere, quomodo defendatur Ariſtoteles, etiam ſupponendo, quod dicat, mobile præcedere tempore motum, Auerroem legat, qui longe melius, quâm Simplicius hoc fundamentum tuetur. Cum enim obijceret Ioannes, motum Cœli æternũ eſſe apud Ariſtotelem, qui non eſt tempore poſterior mobili, Auerroes dicit, Ariſtotelem hoc non ſupponere de motu æterno, ſed de motu nouo tantum; non enim ex ſola definitione motus ſupponit, mobile eſſe prius tempore motu, ſed ex ea ſimul cum poſitione aduerſarij. Aduerſarius autem aſſerebat, motum omnino eſſe nouum, & cæpiſſe, quare apud eum nullus datur motus æternus. Ita docet Zabarella in ſuo Commentario in 8. librum phyſicorum, contextu quarto.

Deinde non bene Gaſſendus refert dictum Ariſtotelis, dum ait. Si mobile præceſſiſſet motum, quieuiſſet, atque ita neceſſarius antea fuiſſet alius motus, cuius illa quies fuiſſet priuatio. Non enim hoc ſibi vult Ariſtoteles, ſed, vt conſtat ex allata ratione, dicit, quod ſi mobile præceſſit motum, debuit quieſcere, nam quies eſt priuatio motus, nec poteſt incipere moueri, niſi tollatur cauſa quietis; hæc autem remoueri non poteſt, niſi per motum; huius vero motus non eſt priuatio illa quies, cuius cauſa debet per talem motum auferri; cum iſta quies diceretur potius eſſe priuatio motus, quo mobile non mouebatur, quam illius motus, per quem remouenda eſt cauſa quietis. Quod ſi quies non dicitur eſſe priuatio illius motus, quo aufertur cauſa, ob quam quieſcit mobile, & hic eſt ille motus, quem reſpicit Ariſtoteles dicens, quod quando mobile præcedit motum, debet quieſcere, ideoque ad hoc, vt incipiat moueri, debet præcedere aliquis alius motus, quo tollatur cauſa quietis, profecto exemplum à Gaſſendo allatum non faciet ad rem.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Sed quidquid ſit de hoc, etiam ſi admittatur huiuſmodi exemplũ, adhuc dici poteſt, quod hæc propoſitio. In cœco à natiuitate præfuit viſus, non eſt omnino falſa; cum ita diſtingui ſoleat, vt quamuis in illo non prefuerit viſus ſecundum ſe, abſolute, ac ſimpliciter, ſiue perfecte, atque in actu ſecundo, quia numquam vidit; dicatur tamen prefuiſſe ſecundum generationem terminabilem ad viſum, que etiam terminata fuiſſet, niſi propter occurrens impedimentum, actio agentis prepedita eſſet, quo minus viſionem in cœco nato ad ſtatum perfectum reuocaret. Ita enim docet Caietanus in poſtpredicamentis, capite primo pag. 74. col. prima.

Sed adhuc aliquis inſtabit dicendo. Si mobile preceſſit motum, quomodo quies dici poterit priuatio motus reſpectu mobilis; cũ ſupponamus, nullum in eo preceſſiſſe motum? Priuatio enim nõ videtur poſſe habere locum in illo ſubiecto, in quo non preceſſerit habitus, vnde dici ſolet, quod priuatio preſupponit habitum.

Pro ſolutione huius difficultatis, animaduertendum eſt cum Caietano, loco ſuperius citato, columna ſecunda, quod priuationum duo ſunt genera.

Quedam ita immediate reſpiciunt ſubiectum, ſicut habitus, quibus opponuntur, & in his non requiritur ex neceſſitate ordo generationis, ſecundum quem habitus precedit priuationem, & ideo poſſunt alicui ante habitũ aduenire, vt patet de tenebris, & ignorantia. Quedam non habent immediatum ordinem ad ſubiectum, ſed reſpiciunt illud, mediante habitu, cuius modi eſt mors, cecitas &c. & de his vera eſt predicta propoſitio. Mors enim non poteſt alicui advenire, in quo non preceſſerit vita, neque cecitas accidit, niſi ſubiecto, in quo prefuit viſus.

Tunc ad inſtantiam reſpondetur dicendo, quod ſi quies ponatur in primo genere priuationum, vt re vera collocanda videtur, & ſicuti ſentire videtur Thomas Gianninius, qui lib. 7. ſuorum cõmentariorum, cap. 67. ait. *Deinde quod non mouetur aliquo motu, id antequam moueatur hoc motu, quieſcat quiete oppoſita huic motui eſt neceſſe, quod quies eſt motus priuatio.* Iam patet, poſſe aduenire mobili, quamvis in ipſo non preceſſerit motus. Quod ſi quies collocetur in altero genere priuationum, reſpondetur, negando, ante huiuſmodi quietem in ipſo mobili nullum habitum preceſſiſſe, licet enim non prefuerit motus, actu factus, qui ceſſet per quietem, attamen prefuit mobilitas, vel aptitudo mobilis, ad hoc, vt actu moueatur, vnde quies conſiderata in ordine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ad mobile, dicitur esse priuatio motus, quatenus quamdiu mobile quiescit, mobilitas eius non reducitur ad actum; ideoque vt reuocetur ad actum, oportet, auferri causam quietis, quod fieri non potest, nisi per aliquem alium motum priorem.

Tertia ratio fuit. Potentia debet esse propinqua actui &c. Contra quam insurgit Gassendus dicens, quod lapides, qui ab orbe condito sub terra delituerunt, eamdem semper habuerunt potentiam in ordine ad domum, quæ hodie fit.

Masseus dissentit, & respondet negando, lapides illos absolute, ac simpliciter loquendo, eamdem semper habuisse potentiam respectu domus; quamvis enim eamdem semper obtinuerint secundum se ipsam; non tamen ob id eamdem retinuerunt semper in ordine ad ædificationem domus; nam sic, ante quam effoderentur, habebant potentiam remotam, quæ non satis erat, vt ex ipsis fieret domus; Postquam vero effossi sunt, habuerunt potentiam proximam actui, ædificandæ domus, quæ propterea potest ex illis actu erigi, adeo vt vniuersaliter verum sit affirmare, quod ad hoc, vt agens agat, & motor moueat, oportet, vtrumque esse in debita distantia, & propinquitate; Approximatio enim agentis ad patiens, & contra, est conditio necessaria, sine qua nec agens agere, nec patiens pati potest, vt satis patet ad sensum in igne, respectu calefactionis aquæ, vel combustionis lignorum. Quare ratio Aristotelis optima est.

Quarta fuit. Tempus est æternum, igitur & motus. Confirmat antecedens; Primo quia Physici omnes, præter Platonem, id asserunt. Secundo quia tempus non est sine nunc. Omne autem nunc est principium sequentis, & finis præcedentis temporis. Gassendus ergo destruere nititur vtramque probationem.

Primam quidem; Quia, inquit ipse, videtur Aristoteles ita procedere, quasi res agatur in foro, vbi voces numerantur. Præter quamquod dici potest, Platonem esse ipsi Antigenidæ.

Alteram vero, quia potest dari primum, & vltimum nunc, si vel motus Cœli cæperit, vel etiam si credamus, motum, non mensurari tempore, quod Gassendus pollicetur, se suo loco velle manifestare.

Masseus dissentit, & quo ad primam partem primæ destructionis, animaduertit, quod cum Aristoteles, iuxta expositionem omniũ Interpretum, communi consensione, ac testimonio aliorum vete-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

terum Philosophorum, qui omnes tempus semper fuisse tradiderunt, ipsius temporis æternitatem comprobet, non procedit, ac si res ageretur in foro, vbi voces numerantur, sed rem agit cum ijs, cum quibus agenda est, nempe cum Philosophis antiquis, quorũ auctoritati summopere deferendum esse inficiabitur nemo.
Quo ad secundam partem eiusdem destructionis dicit, quod quamvis videretur potius reponenda inter argutias, & sales, quam inter solidas rationes Philosopho dignas, quibus respondeatur; attamen Maffeus notat, quod Gassendus defecit, dum dixit, sed non probauit, vt probare debebat, Platonem esse ipsi Antigenidę.
Quoad alteram destructionem, respondet, se tunc satisfacturum rationibus Gassendi, quando probauerit, vel motum Cœli cæpisse, vel motum non mensurari tempore, vt inde colligere valeat, dari primum, & vltimum nunc. Interim vero Maffeus nullam aliam responsionem afferre tenetur.

Accusatio Septuagesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia primo physicorum impugnat principium illud immobile Parmenidis, ac Melissi, & postea tamen lib. 8. probat, esse vnum motus principium, seu primum mouens immobile.

Maffeus dissentit, & respondet, latissimam esse differentiam inter positionem Aristotelis, & Melissi circa primum principium immobile. Melissus enim asserit, dari primum principium immobile, adeo vt simul cum ipso nullum omnino motum constituat. Cæterum Aristoteles 8. phys. docet, ponendum esse primum motorem prorsus immobilem, adeo vt nec per se, nec per accidens moueatur, vt sic se habens possit perpetuo mouere; sicque vnà cum primo principio penitus immobili motum admittit, quẽ cum suo immobili principio negabat Melissus. Vnde patet, non eodem modo á Melisso, & ab Aristotele constitutum esse primum principium immobile, ac proinde, quamvis Aristoteles 8. phys. istud primum immobile principium à se positum simul cum æterno motu concedat; primo tamen phys. illud reprobat, vt inductum à Melisso, sine vllo motu, cuius causa, & principium dici possit. Quod autem Aristoteles in ea sententia fuerit, vt pro cõperto habuerit, primum mouens à se positum esse simul cum pe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

rennimotu, ita vt perpetuo moueat, citra omnem controuersiam scriptum reliquit in contex. 86. lib. 8. phys., in quo leguntur hęc verba. *Primum autem mouens perpetuo mouet motu.*

Accusatio Septuagesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem, quia eodem primo lib., cap. 2. dicit, non esse disputandum contra negantes principia, cuiusmodi erant duo illi Philosophi; & postea tamen aduersus illos adeò prolixe disputat.

Maffeus dissentit, & respondet ad remouendam omni ex parte huiusmodi accusationem animaduertendum esse, quod Aristoteles de sententijs veterum Philosophorum á se relatis in primo lib. phys. ibidem duo dicta pronunciat.

Primum tale est. Consideratio illarum opinionum, quas veteres Philosophi tenuerunt, non pertinet ad physicum, quia contra negantes principia non est disputandum (hoc enim est, vel metaphysicę, vel dialecticę, vel scientiæ subalternantis) sicuti Geometra non posset agere cum negante, à puncto in punctum licere lineam ducere. Sed Antiqui dicentes, principia esse vnum, & immobile, negant principia in physiologia, quoniam de ratione principij dicentis habitudinem ad principiata, est multitudo. Et immobilitas aufert motum, quem dari, est suppositio in scientia naturali, ergo physicus non debet considerare prædictas opiniones.

Secundum tale est. Rationes Parmenidis, & Melissi sunt indignæ quę in physiologia expendantur, quia peccant in materia, dum assumunt propositiones falsas, & peccant in forma, dum non seruant regulas pręscriptas pro modo syllogizandi, vnde sunt sophisticæ. Scientiæ autem, qualis est physiologia, omnino abhorrent à sophisticis rationibus, quę non pariunt scientiam, sed deceptionem.

Si quis autem instet dicendo, quod Arist. infra in hoc eodem primo libro versabitur circa opiniones Antiquorum, easque confutabit. Et in 6. phys., tex. 19., nec non in 8. phys. tex. 67., & 68, soluet rationem Zenonis, qua Zeno demonstrare tentabat, non dari motum; cum tamen par sit ratio de Zenone, ac de Parmenide, & Melisso. Omnes enim tollebant motum, qui est principium cognitionis in scientia naturali.

Res-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Reſpondetur primo, quod quæſtiones, & rationes extraneæ in aliqua ſcientia ſunt duplices. Quædam petunt ea, quæ ſunt omnino extra materiam illius ſcientię, vt ſi à Geometra petatur, vtrũ equus ſit animal perfectum, nec ne? & iſtę in ea ſcientia nullatenus debent conſiderari. Quędam petunt ea, quę pertinent ad illam facultatem, ſed perperam, & falſo, vt ſi quęratur à Geometra, vtrum diameter ſit commenſurabilis coſtę quadrati? cum tamen conſtet, ipſum eſſe incommenſurabilem, & iſtę poſſunt ibi expendi, quatenus per eas petitur aliquid de rebus ad illam ſcientiam pertinentibus. Quoniam ergo prędictę rationes ita ſe habent, vt ſint extraneę, ac de rebus naturalibus perperam prolatę, idcirco, vt falsò pronunciatę, ac propterea vt extraneę, nõ debent a Philoſopho conſiderari, & hoc ſibi voluit ſuperius Ariſtoteles, ſed vt factę de rebus naturalibus, poſſunt aliquo modo conſiderari à phyſico, vt eas conſiderabit Ariſtoteles inferius.

Reſpondetur ſecundo, quod licet phyſicus, vt ſic, non poſſit, nec debeat prædictas rationes expendere; hoc tamen præſtare poteſt alieno habitu indutus, & ſic Ariſtoteles, non vt phyſicus, ſed potius, vt metaphyſicus, cuius eſt agere de ente, ac de vno, diſputabit contra huiuſmodi Antiquos.

Ad illud verò, quod de Zenone dicebatur, reſpondetur animaduertendo, quod quando ſoluimus aliquam rationem, ſolutio, & reſponſio affertur ad præmiſſas, non ad concluſionem, quia concluſionem ſtatim negare non poſſumus; premiſſas vero, poſſumus. Hinc ſequitur, quod quando aliqua ratio in ſola concluſione aduerſetur, ſed præmiſſæ ſumantur ex illa ſcientia, poteſt in ea ſcientia ratio ſolui, quoniam argumentans non ſumit principia contraria, immo accipit propria illius ſcientiæ. Huiuſmodi fuit ratio Zenonis deſtruens motum; quamvis enim in concluſione tolleret motum, tamen premiſſis vtebatur naturalibus, dicendo nimirum, quod ſpacium continuum eſt diuiſibile in partes infinitas, & quod infinita pertranſiri non poſſunt; vtrumque enim verum eſt, ideo Ariſtoteles ſoluit dicens, in continuo eſſe quidem partes infinitas in potentia; non tamen actu, immo dicit vnicum eſſe ſpacium actu, neque inconuenìens eſſe ſi mobile pertranſeat tempore finito ſpacium actu finitum, licet contineat in potentia partes infinitas. Cæterum quando ratio peccat in præmiſſis contra principia, tunc ab Artifice ipſius ſcientiæ ſolui non poteſt; nam ſolutio datur ad præmiſſas, ideo ſi aliqua earum ſit oppoſita principio ſcientiæ, nulla poteſt fieri diſputatio inter eos, quia non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

conueniunt in communibus principijs argumentans, & respondens. Huiusmodi fuit ratio Antiphontis in Geometria; nam in conclusione non aduersabatur alicui principio Geometriæ, dum concludebat, quadratum illud esse circulo æquale, sed in pręmissis accipiebat, continuum non diuidi in infinitum, quod repugnabat principio Geometrico, ideò à Geometra non potest ea ratio solui. Similes insinuat Aristoteles fuisse rationes Parmenidis, & Melissi, qui non solum conclusionem inferebant contrariam principio naturali, verum etiam propositiones falsas assumebant, quę aduersabantur principijs naturalibus, ob id non possunt rationes illę solui à Philosopho naturali, vt naturali, quamvis ab Aristotele fuerint solutę sub habitu alieno, vt dictum est.

Accusatio Septuãgesima octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite quinto docet, contraria non fieri ex se inuicem; & longe tamen post docet, quidquid gignitur, e contrario gigni: & quidquid corrumpitur, abire in contrarium.

Maffeus dissentit, & respondet cum Simplicio, Philopono, D. Th. Tol. Didaco Masio, Villalpardo, Suessano, Burlęo, & alijs, quod respectu diuersorum, simul verum est dicere, quod contraria non fiunt ex inuicem, vt asserit Aristoteles in contextu 42. primi physicorum, & quod contrarium fit ex contrario, vt docet in eodem primo libro textu 43. Nam revera contraria non fiunt ex se inuicem, tamquam ex partibus; sed tamen contrarium fit ex contrario, tamquam ex termino; quemadmodum enim dicere solemus, ex nocte fieri diem, idest post noctem fieri diem, ita dicere possumus, ex albo, idest post album fieri nigrum.

Accusatio Septuagesima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 6. ostendit, binarium principiorum numerum non sufficere, quod substantię nihil sit contrarium; & antea tamen admiserat, esse in omni genere vnam contrarietatem (nisi forte genus esse substantię non dixeris.)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus diſsentit, & reſpondet cum Tol. & Didaco Maſio, duplicem eſse contrarietatem, vnam proprie dictam, quę eſt inter duas qualitates poſitiuas, & inuicem actiuas, ac paſſiuas, vt ſunt caliditas, & frigiditas: alteram improprie, ac late ſumptam, pro vt ſignificat oppoſitionem, quę eſt inter formam, & priuationē. Quando ergo Ariſtoteles negat, ſubſtantię aliquid eſse contrarium, loquitur de contrarietate iuxta primam acceptionem; dum vero concedit, in ſubſtantia, quę eſt vnum genus, reperiri contrarietatem, reſpicit contrarietatem iuxta ſecundam conſiderationem, & ita ſibi non aduerſatur.

Accuſatio Octuageſima.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 8., & 9. primi libri tam multis priuationem adſtruit: libro autem ſecundo capite primo profitetur, ſe poſtea conſideraturum, detur ne priuatio, an non? & an ſit aliquid contrarium ſubſtantię (non recordatur nempe eorum, quę iam antea dixerat.) Et poſtea dum libro 3. & libro 2. de generatione id conſiderat: dicit vero, nihil eſse contrarium ſubſtantię, quid aliud, quàm priuationem negat? Certe illam deinceps nuſquam vſurpat pro principio.

Maffeus diſsentit, & reſpondet

Primo cum Zabarella in expoſitione textus 15., libri 2. phyſicorū, animaduertendo, quod cum Ariſtoteles in prędicto textu dicat. *Si autem eſt priuatio, & contrarium aliquod circa ſimplicem generationem, aut non eſt, poſterius conſiderandum*, à multis hęc verba male intelliguntur; putant enim ab Ariſtotele proponi dubium tale, videlicet. An in generatione ſubſtantiali ſit priuatio, & contrarium? quod poſtea conſiderandum eſse ſubiungit. Decipiuntur tamen. Quia ſi Ariſtoteles ita loqueretur, ſibi contradiceret, Nam in primo libro phyſicorum determinauit vniuerſaliter, quod in omni generatione adeſt priuatio oppoſita formę, idque particulariter etiam determinauit in generatione ſubſtātiali, quomodo ergo hic poteſt in dubium reuocare, an in generatione ſubſtantiali interueniat priuatio?

Alius ergo eſt ſenſus, inquit Zabarella, vt patet in verbis gręcis; dictio enim illa *Priuatio* ſtat ex parte ſubiecti; contrarium vero ex parte prędicati; non autem vtrumque ex parte prędicati, vt

mul.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

multi perperam existimant. Greci enim solent subiecto propositionis apponere articulum; prædicato vero, minime, vt hic dictio illa *Priuatio* habet articulum. Illa vero, *Contrarium*, non habet. Quare sensus est. An vero priuatio sit etiam contrarium formæ in generatione substantiali, posterius dicemus.

Hinc ergo patet, ipsum quoque Gassendum errasse, dum arbitratus est, Aristotelem dubitare, an detur priuatio? Sic enim posset iure merito reprehendi, tamquam immemor eorum, quæ dixit in primo libro physicorum. Cum vero iuxta interpretationem Zabarellæ, profiteatur, se velle considerare, an priuatio sit etiam contrarium formæ in generatione substantiali? non quærit, nec dubitat, an sit priuatio, nec ne? cum iam in primo physicorum ipsam constituerit, & inter generationis principia enumerauerit, vnde non est dignus reprehensione.

Dubitabit autem aliquis de allata responsione. Nam si, vt in ea dictum est, Aristoteles in primo libro physicorum determinauit vniuersaliter de omni generatione, ac particulariter de generatione substantiali, quod in eis adest priuatio formæ opposita, profecto nihil superest circa priuationem considerandum, proinde adhuc oritur dubitatio de eo, quod Aristoteles vult considerare circa priuationem, vel saltem dici potest, quod Aristoteles iterum proponat expendendum, quod iam in primo libro consideratum fuit.

Ad hoc responsio patebit, si supponatur, quod, vt manifeste deduci potest ex doctrina Piccolominei ab eo tradita in suis annotationibus super textum 15. libri 2. physicorum, annotatione prima, priuatio potest accipi duobus modis.

Primo stricte, ac proprie, quo pacto significat illud oppositum formæ, quod secundum se consideratum est non ens simpliciter, seu nihil.

Secundo late, atque improprie, provt denotat contrarium deterius, qua ratione frigiditas dicitur esse priuatio quædam respectu caliditatis, vt innuit Aristoteles primo de generatione textu 18., quia nimirum frigiditas comparata cum caliditate deprehenditur esse contrarium imperfectum, quod inde patet, quia frigiditas est qualitas passiua; caliditas vero actiua, & agere significat perfectionem; pati vero imperfectionem.

Hoc igitur facto principio, dicitur, quod quamvis Aristoteles in primo physicorum determinauerit, priuationem formæ oppositam adesse in omni generatione, tam vniuersaliter, quàm particula-

riter;

riter; non tamen ob id reprehendendus eſt, quod proponat explicandum, an priuatio, & contrarium aliquod ſit circa ſimplicem generationem. Quia in primo libro reſpexit priuationem primo modo ſumptam; in poſterum vero vult conſiderare priuationem acceptam altero modo, ſicuti revera illam expendit in primo de generatione, & corruptione, textu 18., ex quo colligitur ſolutio propoſitæ dubitationis, qua quærebatur, an priuatio ſumpta pro deteriori contrario, locum habeat in generatione ſimpliciter dicta? Ibi enim Ariſtoteles docet, huiuſmodi priuationem, & contrarium, ſiue acceptam pro contrario imperfectiori aliquo modo conuenire, & non conuenire ſubſtantiæ, ſiue ſimplici generationi, quæ terminatur ad ſubſtantiam; non enim competit abſolute, ſed ſolum facta comparatione, idque magis in aperto erit, ſi afferamus exemplum, quo vtitur Ariſtoteles ipſe in prædicto contextu, & quod accipit à terra, & igne; licet enim abſolute loquendo non conueniat ipſi terræ eſſe priuationẽ ſumptam pro deteriori contrario; cum ſit ſubſtantia; id tamen competit illi, ſi comparetur cum igne, quoniam eſt ſubſtantia imperfectior, vnde quando ex terra fit ignis, dicitur corruptio ſecundum quid, & generatio ſimpliciter, quoniam corrumpitur ens imperfectius, & acquiritur perfectius. E contrario autem quando ex igne gignitur terra, talis mutatio vocatur corruptio ſimpliciter; cum amittatur ens præſtantius, & generatio ſecundũ quid, quoniam comparatur ens minus præſtans. Sic ergo patet, ipſam terram, vtpote ſubſtantiam imperfectiorem igne, reſpectu ignis poſſe appellari priuationem ſumptam pro deteriori contrario.

Secundo quod quando Ariſtoteles dicit, ſubſtantiæ nihil eſse contrarium, loquitur de vera, & proprie dicta contrarietate; non autem de contrarietate lato modo accepta pro oppoſitione, quæ eſt inter habitum, & priuationem; ſic enim ſibi contradiceret; cum iam primo phyſicorum textu 50. eam poſuerit in omni genere vno, atque ideo etiam in ipſa ſubſtantia, quæ eſt vnum genus, vnde Ariſtoteles non negat priuationem.

Tertio quod de poſtrema parte accuſationis, in qua Gaſſendus redarguit Ariſtotelem, quod nuſquam deinceps vſurpat priuationem pro principio, nulla poteſt inſtitui diſputatio; cum Gaſſendus non aſſignet loca determinata, in quibus Ariſtoteles debuerit vſurpare priuationem pro principio, & tamen non vſurpauerit, quemadmodum ex aduerſo poteſt citari certus, & ſtatutus locus,

ni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

nimirum pr. liber physicorum, in quo Aristoteles satis superque vsurpauit priuationem pro principio, dum ibi accurate differens de principijs generationis, inter illa retulit etiam priuationem, tamquam terminum à quo, contrarium termino ad quem, siue ipsi formæ.

Accusatio Octuagesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia eodem libro 2. capite 7. dicit, mouens immobile non habere motus principium, & interea dum dicit Mouens, videtur concedere, habere principium motus, quia causa efficiens, quæ eadem mouens est, definitur ab ipso id, vnde motus principium.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem, quando dicit, Mouens immobile non habere principium motus, per illam particulam *Mouens* videri concedere, Mouens immobile habere principium motus, propterea quod causa efficiens, quæ simul est mouens, ab ipso definitur in 2. physicorum, textu 29., vt sit principium motus. Quare Gassendus aduersus Aristotelem ita videtur arguere. Causa efficiens, vel Mouens est principium, vnde motus per Aristotelem loco citato, ergo Mouens immobile habet principium motus, cuius oppositum ab eodem Aristotele traditum fuit.

Maffeus ergo ad hoc argumentum respondet in forma, negando consequentiam, & ratio negationis est, quia praue intellecta fuit in antecedenti definitio causæ efficientis; nec enim causa efficiens dicitur principium, vnde prouenit motus, quia efficiat motum in seipsa, sed quia efficit motum in alio; cum ibi definiatur causa efficiens externa, vt satis ostendunt exempla, quibus Aristoteles vtitur ad explicandam illam definitionem dicens. *Amplius, vnde principium mutationis primum, aut quietis, vt consultor causa, & pater filij, & omnino faciens facti, & mutans mutati*. Efficiens vero externum non producit effectum in seipso, sed in alio, vt patet de igne calefaciente aquam.

Ac.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Octuagesima secunda.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia in eodem capite docet, primum illud mouens physice mouere: & aliunde tamen dicit, non esse mouens physicum. Quis certe capiat, mouens physice mouere, & mouens tamen physicum non esse? Cur ergo in Physica tam multa de illo?

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod primum Mouens omnino immobile, respectu diuersorum habet vtrumque, nimirum, & physice mouet, & non est mouens physicum. Nam si spectetur in ordine ad effectum, quem perpetuo producit, mouet physice; producit enim motum, æternum nempe circularem. Si vero consideretur secundum seipsum, non potest dici mouens physicum, quia secundum seipsum est omnino immobile, adeo vt nec per se, nec per accidens moueri valeat, vt fuse probatur ab Aristotele in 8. libro physicorum, vnde nullum habet in se ipso principium motus. Mouens autem physicum ita mouet, vt possit moueri; cum dicatur physicum, siue naturale, quatenus habet in se naturam, quæ per Aristotelem 2. physicorum textu 3. est principium aliquod, & causa motus, & quietis.

Quamvis autem primum mouens, penitus immobile, non sit mouens physicum, nihilominus in Physica dicuntur multa de illo, & præsertim in octauo libro. Quia duplex est consideratio primi Motoris, vna absoluta, & alia respectiua. Prima pertinet ad Metaphysicum, qui considerat primum motorem secundum seipsũ: altera potest pertinere ad Physicum, qui loco citato pertractat de primo motore, non quidem propter seipsum, sed propter aliud, videlicet propter motum æternum.

Neque obstat, quod Aristoteles libro 2. physicorum textu 73. ait. *Atque omnino quæcumque mota mouent; quæcumque autem non, non amplius physicæ sunt*, ex quibus verbis colligitur, ea, quæ mouent, non mota, non pertinere ad physicam considerationem.

Nam respondetur, quod licet ea, quæ non mota mouent, non sint physicæ considerationis, tamquam subiectum, quia, vt inquit Aristoteles loco citato, non habent in seipsis motum, aut principium motus; attamen possunt esse physicæ considerationis, tamquam principium, sicuti reuera est primus motor, qui in 8. libro physicorum expenditur, tamquam principium æterni motus.

Ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

GAssendus accusat Aristotelem. Quoniam aduersus Empedoclem, naturæ opera casu fieri asserentem, disputat; & fatetur tamen, monstra esse peccata, & lapsus naturæ. Imo & septimo Metaphysicorum capite 7. quæ sine semine nascuntur, casu fieri asserit, vnde & tertio de anima, capite 12. *Quæ natura sunt,* inquit, *propter aliquid sunt, aut casus eorum, quæ sunt propter aliquid.*

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod Aristoteles non admittit monstra, & alia, quæ casu fiunt, eo modo, quo ponebantur ab Antiquis, & præsertim ab Empedocle, sed alio, ac longe diuerso; ideoque non est accusandus, quod aduersus Empedoclem, naturæ opera casu fieri asserentem, disputet, & nihilominus concedat, fieri monstra, & alia, quæ casu eueniunt. Nam veteres Philosophi, & præ cæteris Empedocles, aiebant, à natura ita prouenire monstra, & quæ casu producebantur, vt natura nullo modo ageret propter finem, sed omnia temerè moliretur, quod vt magis pateat, libet hic referre quæ docet Didacus Masius in expositione tertij capitis, libri secundi physicorum; ait enim. Veteres Philosophi putarunt, naturam non agere propter aliquem finem bonum, nec quod res hoc modo melius se haberent, sed temere, sine vlla ratione, & ex materiæ necessitate. Dicebant enim, Deum, & naturam non pluere, vt fruges augeret in agro, sed pluere, quia vapores, cum sint leues, necessario sursum euehuntur, deinde in loco superiori, frigiditate necessario concrescunt in nubes, & conuertuntur in aquam. Rursus aqua, quia grauis est, necessariò descendit, atque inde sequitur ex accidente, vt fruges crescant. Nam ab eadem pluuia putrescit frumentum in area, nec verisimile est, pluisse in hunc finem, vt frumentum putrescat.

Eamdem inesse rationem dicebant in partibus animalium, naturam scilicet non fecisse dentes anteriores acutos ad scindẽdum cibum; interiores autem, & genuinos latos ad conficiendum, sed ex necessitate materię sic esse factos, quod mandibula anterior sit angustior, & habeat minus materiæ. Interior autem sit crassior. Deinde vero à nobis fuisse accommodatos ad hunc vsum.

Idem sentiebant de alijs partibus, tam animalium, quam plantarum. Itaque putabant, naturam nihil fecisse propter aliquem finem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

nem, & vſum, ſed temere omnia feciſſe, deinde accõmodata fuiſſe ad aliquem vſum. Aſſerebant etiam, ex ijs, quæ ab initio caſu ita fuerunt facta, vt eſſent ad aliquem vſum accõmodata, perinde ac ſi eius gratia fuiſsent facta, illa quidem ſeruata fuiſse à natura; quæ autem eſsent inepta, perijſse, qualia erant illa monſtra Empedoclis, qui dicebat, prius facta fuiſse membra animalium, deinde caſu fuiſse coniuncta, alia quidem apte ad efficiendum animal vnius ſpeciei, vt membra hominis ad efficiendum hominem, atque hæc fuiſse ſeruata: alia verò inepte, vt quæ eſsent animalium diuerſæ ſpeciei; dicebat enim, facta fuiſse monſtra quædam, quæ parte anteriori haberent formam hominis, & poſteriori, formam bouis, atque huiuſmodi, tamquam inepta interijſse. Volebant ergo Antiqui Philoſophi, nihil fieri in natura ex inſtituto, ſiue propter aliquem finem per ſe, ſed abſque vllo ſibi præſtituto fine, ac propterea temere, licet poſtea quædam effecta naturæ per accidens deprehenderentur eſse ad aliquem vſum accommodata.

Non ſic ſentit Ariſtoteles, qui naturæ arcana intimius perſcrutando, longe ſolidius potuit philoſophari dicens, naturã per ſe agere propter finem, quamvis per accidens fieri poſſit, vt non plene conſequatur finem à ſe intentum, videlicet, vel propter exceſſum, vel propter defectum ipſius materiæ, vnde oriuntur monſtra, idemq; dicendum eſt de ijs, quę naſcuntur ſinę ſemine, vel quæ caſu eueniunt. In his enim omnibus natura per ſe intendebat aliquem finem; quem tamen extrinſecus, & per accidens impedita conſequi minime potuit. Cum ergo inter Empedoclem, & Ariſtotelem tanta reperiatur diſcretio, Gaſſendus hanc potius conſiderare debebat, quàm Ariſtoteli ſuccenſere, quod arguat contra Empedoclem, qui poſuit, opera naturæ caſu fieri; cum etiam ipſe fateatur, monſtra eſse peccata naturæ, nec non quæ ſponte, ac ſine ſemine generantur, aliaque huiuſmodi caſu fieri. Sic enim ſe abſtinuiſset ab accuſando Ariſtotele, ſummiſque, ac emeritis ipſum laudibus extuliſset, vtpote verſatiſſimum in penetrando naturæ conſilio, ſua opera proferentis ad lucem.

Accusatio Octuagesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 9. impugnat absolutam necessitatem, & in 8. tamen tollere voluit è natura contingentiam.

Maffeus dissentit, & respondet, se tuto respondere non posse, nisi prius firmum iaciat fundamentum, quod consistit in dissidio, vel maximo inter Antiquos Philosophos, & Aristotelem, in ordine ad necessitatem, quæ reperitur in rebus naturalibus. Etenim Antiqui negabant, naturam agere propter finem, quæ quidem opinio videtur posse probari

Primo quia quod non cognoscit finem, non agit propter finem, Natura non cognoscit finem, vt satis patet de natura lapidis, & plantarum, ergo natura non agit propter finem. Propositio maior constat ex eo, quod quidquid agit propter finem, appetit ipsum. Sed appetens finem, cognoscit finem, ergo quod non cognoscit finem, non agit propter finem,

Secundo quia cum non sit maior ratio de vna re naturali, quàm de alia, si natura propter finem ageret, certe in omnibus deberet agere propter finem. Consequens autem est falsum, ergo & antecedens. Falsitas probatur. Nam in pluuia, quæ quidem est res naturalis, nullum finem videtur habere natura. Si enim aliquem haberet, non esset alius, nisi vt fructus, & fruges crescerent, alerentur, & conseruarentur. At hic finis non est pluuiæ assignandus, quoniam possemus etiam dicere, interitum frugum, & putredinem frumenti iacentis in area esse finem ipsius; cum etiam à pluuia & fruges intereant, & frumentum putrescat, ergo pluuia non dirigitur in hunc finem.

Tertio quia si natura propter finem ageret, in actionibus illius nulla peccata committerentur. At videmus, quamplura committi, ergo natura non agit propter finem. Maior perspicua est. Cum enim finis, & bonum inter se mutuo conuertantur, & reciprocentur, si natura propter finem ageret, deberet etiam agere propter bonum, vnde cum nullum vitium, vel peccatum sit bonum, si natura in suis actionibus ageret propter finem, numquam peccaret. Minor autem suadetur in monstris, quæ fiunt à natura, & dicuntur peccata naturæ.

Quarto quia quidquid agit propter finem, deliberat de medijs, qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

bus commodius possit, ac debeat ad illum peruenire. Nam quædam ex ipsis eligit, alijs confutatis. Natura vero non deliberat, siquidem deliberare est opus rationis, & iudicij, quæ duo non reperiuntur in ipsa natura, quare natura nullo modo propter finem operatur.

Cæterum Aristoteles pro comperto habuit, naturam agere propter finem, & huic sententiæ maxime fauent plures rationes, quarum Prima talis est? Natura, dum efficit res naturales, illas per se intendit, ergo natura propter aliquem finem operatur. Consequentia constat ex eo, quia ob id aliquis effectus dicitur fortuitus, vel casualis, quoniam non erat per se intentus à principali agente, nec erat finis, propter quem agens principale operabatur. Antecedens ita probatur.

Res naturales fiunt semper, aut frequenter, ergo sunt per se intentæ à natura. Antecedens est manifestum. Consequentia constat ex differentia effectuum naturalium à fortuitis, & casualibus; hi enim neque semper, neque frequenter fiunt, sed rarò, sicuti casu accidunt caumata, idest ingentes æstus in hyeme, & niues in æstate, quoniam raro contingunt, vnde sequitur, talia non esse per se intenta à principali agente. Igitur è contrario res naturales, cum fiant semper, aut frequenter eodem modo, vt sub Cane calor æstuosus, erunt per se intentæ à natura.

Secunda talis est. Ars agit propter finem, ergo & natura. Antecedens constat ex eo, quod in artibus est aliquis finis, propter quem adhibentur media. Consequentia deducitur ex eo, quia quæcumque aguntur propter finem, sunt apta nata fieri propter illum finem; nam si natura verbi gratia efficeret domum, eo modo illam extrueret, quo illam efficit ars, & contra si ars produceret hominem, eo modo ipsum gigneret, quo ab ipsa natura generatur. Etenim ars vel perficit, vel imitatur naturam.

Tertia talis est. In quibusdam animalibus, puta in araneis, in formicis, & alijs huiusmodi, quæ neque arte, neque inquirendo, neque deliberando faciunt aliquid, & operantur, ita manifestum est, naturam agere propter finem, quatenus aranea propter aliquid telam facit, & hirundo nidum, vt quidam dubitauerint, an talia animalia operentur per intellectum, aut per aliquod aliud principium, puta per artem, ergo pro comperto habendum est, naturam agere propter finem.

Idem etiam apparet in plantis, in quibus à natura fiunt quædam conferentia ad finem. Namque folia deseruiunt plantis propter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

cooperimentum fructuum. Similiter natura dedit plantis radices deorsum, non vero sursum ob aliquem finem, scilicet gratia nutrimenti, si quidem plantæ radicibus in terra fixis, recipiunt alimentum, vnde radices in plantis eumdem vsum habent, quem habet os in animali, quia sicut animal per medium os recipit alimentum, quo augetur, atque in suo esse conseruatur, sic plantæ per radices recipiunt suum nutrimentum, quo augeri, & conseruari valeant.

Quarta talis est. Natura est duplex, alia quidem, vt materia, alia vero, vt forma. Natura enim prædicatur de vtraque parte compositi, scilicet de materia, & de forma. Sed forma habet rationem finis; reliqua vero se habent, vt media propter finem, ergo in natura sunt, & fiunt aliqua propter finem. Minor propositio constat ex eo, quod forma est terminus ad quem ipsius generationis, & est vltimum, atque optimum, cuius gratia fit generatio. Quare forma poterit iure dici finis generationis, quoniam ad constituendum finem, requiritur, vt sit vltimum, & optimum, nec non id, cuius gratia cætera fiunt, vt docet Aristoteles in secundo physicorum textu 23. & 29. Cum ergo hæc insint formæ, ista poterit esse finis, ideoque natura dicetur facere aliquid propter finem.

Quinta talis est. In generatione animalium natura seruat certum, & determinatum ordinem, ergo agit propter finem. Consequentia est nota, quoniam vbi est aliquis ordo, ibi etiam debet esse vnum propter aliud, & omnia in aliquem statutum finem diriguntur, secus non posset seruari ordo, qui nihil aliud est, nisi dispositio rerum secundum prius, & posterius.

Antecedens ab Aristotele probatur ex eo, quod quando generandũ est animal, non generatur statim, sed prius necesse est, fieri semen, deinde oportet, ex semine fieri massam mollem, quæ prius erat semen, mox ita disponitur, vt fiat animal. Natura ergo seruat rectum ordinem in generatione animalium, & non solum in hac, sed etiam in generatione plantarum, vnde constat, Empedoclem errasse, dum dixit, in animalibus fieri monstra bouigena viri prora, siue animalia ex medio bouis, & medio viri consistentia. Imo neque de plantis dicere licet, quod fiant monstra vitigena oleoprora, quæ videlicet habeant dimidium vitis, & dimidium oliuæ. Nec enim vllum tale monstrum conspicitur in natura, quod constet ex duabus speciebus plantarum, quia licet per in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

insitionem, plantæ prædicto modo compositæ reperiantur; attamen hoc non accidit secundum naturalem generationem, in qua partes geniti continuantur.

Sexta talis est. Qui dicit, naturam non agere propter finem, sed casu, destruit ipsam naturam, & ea, quæ natura constan t, quippe illa entia dicuntur naturalia, quæcumque ab aliquo in seipsis existente principio continue mota, perueniunt ad aliquem finem, ob quem mouebantur; nec vmquam quiescunt, nisi finem ipsum consequantur, sicut apparet in elementis, & in animalibus. Illa enim mouentur vel propter locum deorsum, si fuerint grauia, vel propter locum sursum, si fuerint leuia, quo habito, quiescunt; hæc vero mouentur ad quærendum cibum, quo adinuento, statim desinunt moueri. Constat igitur antecedens, ex quo sequitur, necessario dicendum esse, naturam agere propter finem, ne dicatur, ipsam vnà cum rebus naturalibus perimi. Neque argumenta contraria vim vllam habent, sed facile diluuntur.

Ad primum respondetur dicendo, quod ad hoc, vt natura propter finem agat, non est necessarium, vt ipsa cognoscat finem, sed satis est, vt dirigatur ab alio, qui nouit ipsum finem, & sic ea, quæ ratione carent, agunt propter finem cognitum, non quidem ab ipsis, sed ab aliquo ea dirigente in finem, videlicet ab auctore naturæ.

Vel respondetur dicendo, quod rationis expertia, ex quo non possunt cognoscere finem, non agunt propter finem formaliter, vel sub ratione finis; attamen dicuntur agere propter finem materialiter, quatenus agunt propter illam rem, quæ est finis.

Ad secundum dicitur, illud euenire per accidens, & esse præter ordinem, & institutum naturæ, saltem particularis.

Ad tertium respondetur negando consequentiam. Nam ex eo, quod vel in operibus naturæ, vel in effectibus artis contingunt peccata, potius deducendum est, naturam, & artem agere propter finem, quoniam eatenus dicuntur peccare, quatenus contingit eas operando deficere ab aliquo statuto fine, qué intendebant con., sequi; nec tamen assequi potuerunt propter aliquod extrinsecum impedimentum.

Ad quartum respondetur negando consequentiam, quippe nec etiá ars deliberat (neque enim faber lignarius consulit, an ex ligno debeat fieri arca) & tamen ars agit propter finem. Ad probationem dicitur, quod aliud est agere propter finem, & aliud est agere ex proposito. Nam illud significat, actionem ex se, nec non res ip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

sas ex se tendere in aliquem finem; hoc autem significat, illud agens, quod agit propter aliquem finem, cognoscere ipsum finem, & media proportionata fini, vnde quamvis agenti ex proposito conueniat deliberare; non tamen id conuenit agenti simpliciter propter finem. Itaque argumentnm concludit, naturam non agere ex proposito, quod & nos concedimus; non autem ostendit, ipsam non agere propter finem.

Ex hoc igitur, quod Antiqui negabant, naturam agere propter finem, factum est, vt putauerint, necessitatem in rebus naturalibus à sola materia petendam esse. Cæterum Aristoteles existimãs, naturam agere propter finem, censuit quoque, necessitatem in rebus physicis pendere quidem à materia; non tamen à sola materia, verum etiam à fine, imo magis præcipuè à fine, quàm à materia.

Ex his autem patet responsio ad accusationem Gassendi. Dicitur enim, quod Aristoteles capite 9. impugnat absolutam necessitatem pendentem à sola materia, vt volebant Antiqui; non tamen impugnat necessitatem in rebus naturalibus dependentem á materia simul, & etiam à fine. In capite autem octauo sustulit contingentiam ea ratione, qua ponebatur ab Antiquis, ita nimirum, vt omnia casu acciderent, & á natura temerè fierent; cum iuxta illorum opinionem non agat propter aliquem finem; simpliciter tamen loquendo non tollit contingentiam, quia sicuti admitti fortunam, & casum, quæ sunt causæ per accidens, & contingentes, de quibus longo sermone pertractat in secundo physicorum, ita debet concedere contingentiam, vnde loco citato, textu 49. ait. *Quare manifestum est, quod in ijs, quæ sunt præter necessarium, & quod frequenter* (hęc autem sunt contingentia) *sunt quædam, circa quæ contingit esse id, quod est propter aliquid.*

Accusatio Octuagesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro tertio physicorum capite primo tot, facit genera entis, quot motus, ex quo sequitur, vt non sint, nisi tres categoriæ, & aliàs tamen, vt visum est, decem categorias constituit.

Masseus dissentit, & respondet negando, Aristotelem loco citato, tot facere genera entis, quot motus; nam iuxta nostram parti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tionem, Aristoteles in textu 4. libri tertij physicorum supponit, motum non esse præter res, hoc est, vt recte interpretantur Tol., Zabarella, Didacus Masius, & alij, motum non constituere diuersam categoriam ab ea, ad quam ipse fit, cuius assertionis optimam affert rationem D. Th. dicens, quod, vt docet Aristoteles in textu 6., motus est actus imperfectus. Imperfectum autem reducitur ad idem prædicamentum, in quo est perfectum, ita vt licet non sit verè species illius prædicamenti, de qua illud prædicatur in recto, sit tamen in eo per reductionem; sic enim dicimus, materiam primam esse reductiue in prædicamento substantiæ. Motus igitur in qualitate est qualitas imperfecta, tendens ad perfectionem, proinde dicitur esse per reductionem in genere qualitatis,& sic de alijs. Dicens ergo Aristoteles, quod motus non est aliquid distinctum ab illo prædicamento, ad quod aliquid mouetur, iure nominat illa prædicamenta, ad quæ fit motus, quæ dicit esse quatuor, nempe substantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi, affirmans, quod si aliquid mutetur, siue moueatur ad substantiam, tunc motus erit in prædicamento substantiæ, idemque dicatur de alijs.

Hinc vero duo contra Gassendum inferuntur.

Primum, quod mens, & consilium Aristotelis non est ponere genera entis numero æqualia ipsi motui; sic enim erraret, & dignus esset repræhensione. Nam revera genera entis sunt decem. Motus vero, vel mutationes sunt quatuor, sed solum intendit docere, motum non esse aliquid distinctum ab illis prædicamentis, ad quę fit; cumque fiat solum ad quatuor prædicamenta, hinc solum sequitur, quatuor tantum esse prædicamenta, ad quæ fit motus, vel mutatio; non autem absolute potest inferri, esse quatuor dumtaxat prædicamenta. Nam pręter illa quatuor, ad quę fit motus, dantur etiam alia, ad quę non fit motus.

Secundum, quod Gassendus asserit, ex eo, quod Aristoteles tot facit genera entis, quot motus, sequi, vt non sint, nisi tres categorię; hoc autem falsum est, quia inde sequitur, esse quatuor categorias; cum quatuor sint motus, dicente Aristotele in eodẽ textu. *Mutatur enim semper id, quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum.* Ex dictis infertur, accusationem istam Aristoteli non obesse.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Octuagesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite quarto sumit agendum de solo infinito physico, & postea tamen disputat de infinito potentia, seu quod adiectione, vel diminutione fit; hoc autem non physicum, sed mathematicum est, pureque intelligentię. Certe eodem capite docet, omnem rem sensibilem esse finite diuiduam, vt proinde illud, quod est infinitum potentia, non sit ex sensibilibus, seu physicis rebus.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod infinitum physicum non excludit infinitum mathematicum, vnde Tol. in expositione textus 39. eiusdem tertij physicorum ait. *Vbi iterum aduerte, quod superius diximus de solo infinito in quantitate hoc loco tractari* Pręsertim quia in Phy siologia considerantur corpora, & magnitudines, idest corpora magna, vt habetur in primo Cœli textu primo. Agitur etiam de tempore, deque ipso motu, quę sunt de genere continuorum, quę dicuntur esse diuisibilia in infinitū,& ob id non mirum, si Aristoteles cum infinito physico simul considerat infinitum mathematicum.

Neque obstat, quod pręmonuerit, hanc de infinito disputationem, vtpote valde vniuersalem contrahendam esse ad res physicas, vnde non videtur sibi constare, dum postea vtitur duabus rationibus ad probandum, non posse dari vllum corpus actu infinitum, in quibus vniuersaliter loquitur, ipsas quoque res mathematicas respiciens.

Nam respondetur dicendo, quod, cum præmonuerit, hanc tractationem fieri posse vel vniuersaliter, vel particulariter, quamvis ad eum pertineat particulariter; tamen voluit prius eam facere vniuersaliter, tum vt seruaret ordinem procedendi ab vniuersalibus ad particularia: tum vt ostenderetur, quomodo vniuersaliter possit probari, non esse infinitum, ne cuipiam videretur, hic deesse rationes ad hoc demonstrandum idoneas.

Nec etiam obstat, quod uideatur absurdum, in Philosophia naturali verba fieri de rebus pertinentibus ad Mathematicam. Quia respondetur, scientias diuersas posse conuenire in eadem re considerata, dummodo seruent diuersam rationem formalem, quemadmodum circa corpus humanum versantur Physica, Metaphysica,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſica, Mathematica, & Medicina; diuerſimode tamen, videlicet, vt mobile, vt ens, vt quantum, & vt ſanabile. Sic ergo Philoſophus naturalis conſiderat infinitum mathematicum, ſed in rebus phyſicis, & ſenſibilibus, à quibus ipſum abſtrahit Mathematicus.

Quo ad alteram partem, reſpondet dicendo, rem ſenſibilem eſſe finite diuiduam, ſi ſumatur phyſice, vel ratione formę. At ſi ſpectetur mathematice, vel vt quanta, vel vt continua, ſic eſt infinite diuiſibilis, vnde non ſequitur, quod infinitum in potentia non ſit ex ſenſibilibus, & phyſicis rebus; cum in his includatur id, quod eſt infinitum in potentia, nempe continuum.

Accuſatio Octuageſima ſeptima.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia libro 4. phyſicorum, capite primo docet, Mathematica non eſſe in loco: & tamen libro 5. capite tertio docet, illa ſe tangere, quorum extrema, ideſt puncta, lineę, ſuperficies (quæ Mathematica entia ſunt; Quæ enim alioquin erunt?) exiſtunt ſimul: illa autem exiſtere ſimul, quæ vno in loco ſunt.

Maffeus diſsentit, & reſpondet animaduertendo diſtinctionem loci, quam aſſignat Iandunus 4. phyſicorum, quæſtione 5., & quam recipit, ac valde commendat Didacus Maſius lib. 4. phyſicorum, quæſtione 1. ſuper caput quartum, ſecundum quam locus recte diſtribuitur in mathematicum, & phyſicum, ſiue naturalem. Locus mathematicus dicitur extremitas, vel ſuperficies continens, auulſa, & ſeparata ab omnibus qualitatibus ſenſibilibus primis, vel ſecundis, vt a calore, frigore, humiditate, ac ſiccitate, quę ſunt qualitates primę: ab aſperitate, lenitate, duritie, mollitie, albedine, ac nigredine, alijſque id genus, quæ ſunt ſecundę qualitates. Locus vero naturalis dicitur eſſe ille, qui ſubeſt ſenſibilibus qualitatibus, & in ſe ipſo retinet vim quamdam rapiendi, & in ſe retinendi, nec non conſeruandi corpora naturalia.

Hac itaque loci diſtinctione pręaccepta, dicitur, quod quamvis entia mathematica, vt mathematica, non ſint in loco naturali, quia vt mathematica, ſunt abſtracta à ſenſibilibus qualitatibus, quas locus naturalis habet ſibi coniunctas; attamen ſunt in loco mathematico, qui prędictas qualitates non includit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Ariſtoteles ergo ſibi non contradicit. Quia libro 4. negat,. Mathematica eſſe in loco naturali, vt patet ex contextu 5. eius libri, vbi ait. *Oſtendunt autē & Mathematica; cum enim non ſint in loco; tamen ſecundum poſitionem ad nos habent dextra, & ſiniſtra (vt ſolum intelligatur ipſorum poſitio) non habentia natura horum vnūquodque.* In quinto autem libro affirmat, ea eſſe in loco mathematico, cum fateatur, ea exiſtere ſimul, quod, vt idem Ariſtoteles explicat, eſt eſſe in vno loco.

Accuſatio Octuágeſima octaua.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia eodem 4. libro, capite 3. probat, nihil eſſe in ſeipſo: & tamen vnum ex modis exiſtendi *In* poſuerat illum, quo dicitur totum in partibus eſſe: quod quæſo quid aliud eſt, quàm totum in ſeipſo eſſe?

Maffeus diſsentit, & reſpondet negando, ex eo, quod totum eſt in partibus, valide inferri poſſe, totum eſſe in ſeipſo. Nam ſi hęc illatio valeret, maxime quia totum non diſtinguitur à ſuis partibus; hęc autem aſſertio non eſt vera ſimpliciter, & abſolute loquendo, ſed ad eam explicandam opus eſt pluribus diſtinctionibus. Etenim partes poſſunt bifariam conſiderari, nimirum vel ante, vel poſt vnionem cum toto, vel in ipſa vnione. Pręterea inter totum, & partes poteſt eſſe duplex diſtinctio, nempe aut ſecundum rem, aut ſecundum rationem. Tunc dicitur, quod partes ante vnionem, vel etiam in ipſa vnione cum toto, re differunt à toto; cum ſint cauſę totius, & inter cauſam, ac effectum debeat eſſe realis diſtinctio, quippe nihil eſt cauſa ſui ipſius, & nihil dat ſibi eſſe. Cęterum poſt vnionem, ſunt reipſa idem cum toto, ſiquidem nihil aliud eſt homo, niſi anima ſimul vnita cum corpore. Quamvis autem ſint idem re, nihilominus differunt ratione; cum de ipſis, & de toto diuerſa enuncientur; dicimus enim, partes eſſe plures; totum autem eſſe vnum, & totum ex partibus conſtare; non vero partes ex toto, nec non partes eſſe in gratiam totius, non contra. Cum ergo totum à partibus diſtinguatur ſemper aliquo modo, ſcilicet aut realiter, aut ſaltem ratione, idcirco ex eo, quod totum eſt in partibus, non ſequitur, quod ſit in ſeipſo; cum eſſe in partibus dici poſſit de toto, tamquam de aliquo à partibus diſtincto, vel re, vel ratione. Hoc

quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

quidem sequeretur, si modis omnibus totum esset idem cum suis partibus, nec vllo pacto ab eis distingueretur, sed quia differt, vt dictum est, ideo Aristoteles potuit illud pronunciare de toto, vt distincto à partibus.

Preterquamquod, si ex eo, quod totum est in partibus, valide colligeretur, totum esse in seipso, eadem ratione, ex eo, quod totum constat ex partibus, liceret inferre, totum constare ex seipso, quod plane ridiculum est opinari, nedum affirmare.

Accusatio Octuagesima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 4., & 6. vult, accretionem, & diminutionem esse lationis species: & antea tamen illas motus species fecerat à latione condistinctas.

Maffeus dissentit, & respondet cum D.Th., & cum Tol. in explicatione textus 32. libri 4. physicorum, in quo Aristoteles videtur facere augmentationem, & diminutionem species lationis, dicés. *Primum igitur consideraße oportet, quod non quæreretur vtique locus, si non motus aliquis secundum locum esset. Huius autem aliud quidem est latio; aliud vero augmentum, & decrementum.*

Respondet itaque Maffeus cum prędictis Interpretibus, animaduertendo, quod ibi consilium Aristotelis est velle proponere nobis viam ad indagandam naturam, & definitionem loci, per quam locum esse cognitum est: hanc vero dicit esse ipsam lationem, siue motum secundum locum. Vt enim ex diuersa formarum successione in eadem materia, materiam substantialem à forma distinctam esse compertum est, & ex mutatione accidentium in eodem subiecto, subiectum, & substantiam ab ipsis differre deprehensum fuit, ita etiam ex multorum corporum successione circa eumdem locum, & similiter ex vno corpore secundum diuersa loca mutato, ipse locus cognitus est esse aliquid pręter corpora, idque Aristoteles Antiquorum testimonio, & auctoritate confirmat, asserens, quod cùm ipsi locum per motum innotescere comperirent, Cœlum esse maxime in loco arbitrati sunt, quia maxime moueatur.

Distinguit autem motus, quibus cognitus est locus, in duos. Nam quidam est latio, quę dicitur loci mutatio per se, quando corpus mutat totum suum locum, & ad alium tendit. Quidam vero est

latio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

latio ſecundum partem, vel per accidens, cum quod mouetur, non totum mutat locum, ſed partem, vt dum acquirit maiorem locum, quod fit per augmentationem, vel per diminutionem deducitur ad minorem. Ex his autem non licet inferre, vt intulit Gaſſendus, augmentationem, & diminutionem per Ariſtotelem eſſe proprie loquendo ſpecies lationis. Nam ſpecies motus debet attendi ſecundum primarium terminum, ad quem fit. Modo augmentatio primario fit ad maiorem quantitatem; ſecundariò autē, & ex conſequenti ad maiorem locum, ſicuti diminutio primario fit ad minorem quantitatem, & ſecundario ad minorem locum, vnde non ſequitur, eas eſſe ſpecies motus localis.

Accuſatio Nonageſima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 12. vult, tempus non eſſe velox, neque tardum: & vult tamen eſſe numerum, ſeu menſuram homogeneam motus, qui velox, tarduſque eſt.

Maffeus diſſentit, & pro reſponſione conſiderat doctrinam Chryſoſtomi Iauelli in ſua Epitome, tractatu 3. in 4. phyſicorum, capite primo, vbi declarans definitionem temporis ab Ariſtotele traditam in eodem 4. libro, textu 101., vbi dixit, quod tempus eſt numerus, & menſura motus ſecundum prius, & poſterius, docet, quod tempus recte appellatur numerus, ideſt menſura, quia menſura poteſt dici numerus rei menſuratæ, quippe menſura ſemel, vel pluries applicata menſurato, menſurat ipſum, vt patet de vlna, quæ pluries replicata menſurat totum pannum. Sed iſta dictio *Semel* ſignificat vnitatem, quæ eſt principium numeri; hęc autem dictio *Pluries* denotat numerum, ſiue multitudinem, ergo quælibet menſura poteſt dici numerus, vel vnitas. Quare tempus eſt numerus, ideſt menſura.

Deinde dicitur. *Motus*, circa quam particulam animaduertit Iauellus, quod ſi tempus eſt menſura, ſicuti reuera eſt, vt prædictum fuit, certe vel eſt menſura rei permanentis, vel rei ſucceſſiuæ. Non rei permanentis, quia menſura debet eſſet homogenea, ideſt eiuſdem naturæ cum ſuo menſurato, vt dicitur in 10. Metaphyſicæ. Res ergo permanens, puta pannus, debet habere menſuram permanentem, vt eſt vlna. Et res ſucceſſiua debet habere menſuram ſucceſſiuam, in qua vna pars adueniat, & alia

tran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

transſeat. Sed motus eſt res ſucceſſiua, cum conſiſtat in fluxu, ergo debet habere menſuram ſucceſſiuam, cuiuſmodi eſt tempus, vnde tempus eſt homogeneum ipſi motui; cum vtrumque ſit ſucceſſiuum.

Hinc ſane patet reſponſio ad accuſationem Gaſſendi; dicitur enim, quod quamuis tempus non poſſit appellari velox, vel tardum, quia tamen eſt ſucceſſiuum, ſicuti motus, ideo eſt etiam ipſi motui homogeneum, vnde recte dicitur numerus, & menſura motus.

Accuſatio Nonageſima prima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia ibidem docet, æterna menſurari tempore non poſſe, & per ipſum nihilominus tempus quoque æternum eſt, vt proinde poſſit tempus eſſe menſura homogenea.

Maffeus diſſentit, & pro reſponſione præmittit duas diſtinctiones, quarum

Prima talis eſt. Entium æternorum duo ſunt genera. Quædam ſunt corporea, & mobilia motu phyſico, vt corpora cœleſtia. Quędam ſunt incorporea, vel ſeparata, & phyſice immobilia, vt Deus, & Angelus.

Secunda talis eſt. Entia ęterna primi generis poſſunt conſiderari duobus modis, nimirum vel ſecundum ſuum eſſe, vel ſecundum motum localem. His pręhabitis diſtinctionibus, reſpondetur per tria dicta, quorum

Primum tale eſt. Entia ęterna primi generis non menſurantur tempore, ſi ſpectentur quo ad ſuum eſſe. Quia ſemper datur tempus longius eo, quod menſuratur tempore, quemadmodum datur maius tempus, quàm eſſe hominis; nam ſi eſſe alicuius hominis duret per centum annos, adhuc datur tempus longius, quàm ſint 100. anni, puta dantur mille, vel duo millia. Sed non poteſt dari tempus longius, quod excedat eſſe corporis ęterni; cum hoc, vtpote incorruptibile duret per omne tempus, ergo non menſuratur tempore.

Confirmatur ſic. Quidquid menſuratur tempore, patitur, & alteratur tempore (ſolemus enim dicere. Tempore tabeſcunt, & ſeneſcunt omnia) Sed eſſe rei incorruptibilis, puta Cœli, non alteratur, nec tempore ſeneſcit, vt ex obſeruationibus patet, ergo non menſuratur tempore.

Se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundum tale est. Eadem entia mensurantur tempore, si sumantur quo ad motum localem. Quia sic subijciuntur variationi; cum non semper sint in eodem Vbi particulari, sed in alio, & alio, vt patet de Sole, qui in mane est in Oriente. In meridie in medio Cœli, & vespere in Occidente. Igitur huiusmodi entia respectu motus mensurantur tempore, quod propterea dicitur esse primo, & per se mensura motus primi Cœli; consequenter autem aliorum motuum.

Tertium tale est. Entia secundi generis nullo modo mensurantur tempore. Quia neque mouentur, neque quiescunt physice; id enim est proprium corporis, quo illa carent, ergo non mensurantur tempore, quod est mensura motus primario, & secundario etiam quietis.

Ex his constat, recte Aristotelem dixisse, tempore mensurari non posse quę sunt ęterna, si hęc accipiantur secundum suum esse, vel sint physice immobilia. Simul tamen verum est affirmare huiusmodi entia posse mensurari tempore, si habeant in se id, respectu cuius possunt mensurari tempore, videlicet motum, & secundum istum considerentur.

Accusatio Nonagesima secunda.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia in capite 13. docet, tempus non facere corruptionem, & dixerat tamen capite 12., tempus per se esse corruptionis causam.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo negando, Aristotelem in 4. libro physicorum agentem de tempore negare, quod tempus faciat corruptionem. Nam in t. 117., & 128. apertissimis verbis dicit oppositū. Etenim in t. 117. ait. *Corruptionis enim causa per se magis est tempus*. Et in textu 128. ait. *Et hanc dicere maxime consueuimus à tempore corruptionem*.

Secundo, dato, nec tamen concesso, quod Aristoteles ibi fateatur tempus non facere corruptionem, animaduertendum esse, quod tempus potest bifariam sumi.

Primo secundum se, siue secundum suam propriam naturam, atq; virtutem.

Secundo secundum id, quod apparet.

Si

Si accipiatur primo modo, non est per se causa corruptionis, quia tempus est species quantitatis, cui non conuenit agere; virtus enim actiua tribuitur potius qualitati. Cum ergo corrumpere sit agere, non potest per se pertinere ad tempus consideratum ratione sui. Nec enim tempus est id, à quo corrumpitur quod interit, sed solum est id, in cuius instanti corrumpitur quod transit ab esse ad non esse. At si spectetur secundo modo, potest dici per se causa corruptionis, quia sæpenumero nos latet vera causa, quæ corrumpit, & cum apud nos in confesso sit, ea, quæ sunt in tempore, tempore senescere, alterari, ac tabescere, propterea censemus, tempus esse per se causam corruptionis, licet reuera non sit, sed solum appareat esse. Ob id Aristoteles in illo contextu 128. libri 4. physicorum, post quam dixit. *Et hanc dicere maxime consueuimus à tempore corruptionem*, subiunxit. *Sed neque hanc tempus facit, sed accidit in tempore fieri, & hanc mutationē.* Ita etiam docet Thomas Gianninius libro 7. suarum disputationum Aristotelicarum capite 41., vnde Aristoteles vtrumque vere potuit pronunciare, nimirum, & quod tempus non facit corruptionem, si accipiatur secundum seipsum, & quod sit per se causa corruptionis, si spectetur secundum id, quod apparet.

Accusatio Nonagesima tertia.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 14. dicit, tempus esse numerum omnis motus, vt alterationis, lationis &c. sed præcipue lationis cœlestis, ex quo sequitur, vt tot sint tempora, quot mobilia, & capite tamen 10. probabat, motum sphæræ non esse tempus, quia tot essent tempora, quot mobilia.

Maffeus dissentit, & respondet negando paritatem rationis inter illationem Gassendi, & Aristotelis. Vt autem constet, has duas consequentias non esse pares, animaduertendum est cum Chrysostomo Iauello in suis quæstionibus in 4. librum physicorum, quæstione 23., quod apud Auerroem, & D. Th. tempus accipi solet duobus modis, idest principaliter, & secundario, vnde Auerroes in Commentario 132. ait. Sed scire debes, quod tempus, licet numerus cuiuslibet motus; non tamen eodem modo, sed secundum prius, & posterius, quoniam est numerus aliorum motuum propter translationem, idest motum localem, quoniam si

tran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

translatio non esset, non esset tempus. Et si alteratio non esset, neque augmentatio, neque generatio, neque corruptio, & tamen esset translatio, esset tempus, & si de modis translationis non esset translatio circularis, non esset tempus. Tempus igitur, & si est numerus cuiuslibet motus, tamen attribuitur eis, vel principaliter, vel secundario.

Hinc deducitur differentia inter prædictas illationes. Dum enim Gassendus ait. Aristoteles docet, tempus esse numerum omnis motus, ergo tot sunt tempora, quot mobilia, non facit validam illationem. Nam sicuti si nullus alius esset motus præter translationem; adhuc tamen tempus esset, ita quo ad vnitatem, & multiplicationem tempus pendere debet ab illo motu, respectu cuius dicitur esse tempus principaliter, cuiusmodi est latio circularis; non vero ab alijs motibus, in ordine ad quos appellatur tempus secundario. Cum ergo latio circularis vna tantum sit, ideo ex eo, quod tempus ponitur numerus non solum lationis circularis, verum etiam aliorum motuum, qui sunt plures, non bene infertur, tempus ita debere multiplicari, vt tot sint tempora, quot sunt mobilia secundum illos motus. Lationem vero circularem esse vnam, patet ex verbis ab Aristotele pronunciatis in textu 64. libro 8. physicorum, vbi ait. *Nunc autem dicamus, motum infinitum aliquem esse posse, qui quidem vnus sit, & continuus, atque hunc esse conuersionem.*

Aristoteles autem probans, motum sphæræ non esse tempus, quia sequeretur, tot esse tempora, quot mobilia, optimam facit illationem, quoniam respicit motum illum, à quo pendet secundum vnitatem, & multitudinem, & respectu cuius dicitur esse tempus principaliter, vnde Aristoteles in textu 93. libri 4. physicorum, ait. *Amplius autem si plures essent Cœli, similiter vtique esset tempus cuiuslibet ipsorum motus, quare multa tempora simul.* Hæc enim est altera ratio, qua vsus est ad refutandam illorum sententiam, qui opinabantur, tempus nil aliud esse, nisi motum sphęrę, quæ quidem ratio clarius adducitur à Tol. sic. Si essent plures Cœli, tunc essent plures lationes circulares. Essent ergo plura tempora simul, quorum vnum non esset pars alterius, quod est impossibile. Cùm igitur non sit eadem vis vtriusque illationis, apparet, Gassendum gratis Aristoteli succensuisse.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Nonagesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 5. capite primo passiones facit immobiles, & postea nihilominus in illis solis motum statuit.

Maffeus dissentit, & respondet, vtrumque ab Aristotele fieri potuisse, ita vt non solum recte dixerit, passiones esse immobiles, verum etiam, in illis dumtaxat esse motum. Etenim duobus modis motus potest alicui conuenire, videlicet, vel tamquam subiecto, vel tamquam termino. Passionibus ergo non conuenit motus primo modo, & ideo dicuntur immobiles; id autem ab Aristotele loco citato probatur

Primo quia terminus ad quem neque mouet, neque mouetur. Motus autem est actus mobilis, prout est mobile, vt dictum est in 3. physicorum textu 6. Quare motus non potest conuenire passionibus, tamquam subiectis; cum passiones sint termini, ad quos fit motus.

Secundo quia in eo, quod non est, non potest esse motus, vt in subiecto. Sed quando est motus, non est terminus ad quem, imo hoc acquisito, cessat motus, ergo motus non est in termino ad quem, vt in subiecto.

Altero autem modo in passionibus potest esse motus. Quia sunt termini, ad quos fit ipse motus. Quapropter Aristoteles prædictas assertiones proferens, non errauit, proinde nec á Gassendo redarguendus erat.

Accusatio Nonagesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia eodem capite disputat de motu per accidens, & illum tamen tollendum ex Physica docet. Rationem reddit, quod sit communius; quasi vero dicere non debeat, rarius esse ente per se.

Maffeus dissentit, &

Quo ad primam partem, respondet dicendo, quod, vt docet Burlæus in expositione 6. cont., quinti libri physicorum, de eo, quod est per accidens, in scientia demonstratiua sermo haberi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

potest in generali; non autem in speciali. Aristoteles ergo de motu per accidens loquitur in communi; quem tamen docet, ex Physica tollendum esse, quia considerari non debet in particulari, vt fusius explicat Burlæus, loco citato.

Quo ad alterā partem, respondet dicendo, Aristotelem rectius fuisse locutū dicendo, motū per accidens esse cōmuniorē ipso motu per se, quàm si dixisset, eum esse rariorem. Quia dicens, esse magis communem, amplectitur ea omnia, respectu quorum considerari potest, nempe terminum, mouens, & mobile; hoc autem assecutus non fuisset dicendo, esse rariorem ipso motu per se; sic enim illum retulisset solummodo ad motum per se; non vero ad terminum, ad mouens, & ad mobile. Volens ergo Aristoteles reddere rationem, cur dimitti debeat motus per accidens, recte dicit. Quia est quid communius motu per se; quippe iuxta expositionem Simplicij, & Alberti, receptam à Tol., motus per accidens est in omnibus prædicamentis. Cum enim in vno possint inueniri omnia prædicamenta, propterea dici possunt per accidens moueri, vt si homo currit, quantum currit, coloratum currit, filius currit, agens currit &c.

Dicitur etiam, inquit Tol., motus per accidens esse omnium, quo ad terminum, quia omnia prædicamenta possunt esse termini motus per accidens, idemque suo modo dicatur de mobili, & de mouente. Motus autem per se non est huiusmodi; fit enim inter statutos terminos, vt à calido in frigidum. Cum ergo Aristoteles dicens, motum per accidens esse communiorem, comprehendere potuerit omnia prædicamenta, quæ non comprehendisset, si dixisset, ipsum esse rariorem, ideo manifestum est, congrue fuisse locutum.

Accusatio Nonagesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia dicit, esse quatuor mutationum genera. Ex subiecto in subiectum, ex non subiecto in non subiectum &c., & statim nihilominus asserit, vnam ex illis mutationem minime esse, illam nimirum, quæ est ex non subiecto in non subiectum.

Maffeus dissentit, & respondet, Aristotelem ijs verbis. *Mutabitur quod mutatur, quatrifariam*, significare, ac nobis ob oculos pone-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

nere omnes illos modos, quibus potest aliquis putare, fieri aliquam mutationem, vt postea doceret, qui modi sint vtiles; qui vero sint inutiles, quemadmodum etiam se gessit in 2. libro de generatione, & corruptione textu 16. vbi volens ex combinationibus primarum qualitatum colligere quaternarium numerum elementorum, adducit sex combinationes, ex quibus postea sumit quatuor tantum possibiles, nempe calidi cum sicco, calidi cum humido, frigidi cum humido, & frigidi cum sicco, relictis duabus impossibilibus, puta calidi cum frigido, & humidi cum sicco.

Sic ergo Aristoteles prædictis verbis comprehendit simul omnes modos, tam vtiles, quàm inutiles, quibus potest aliquid mutari, & ita verè dicit, esse quatuor, scilicet. Ex subiecto in subiectum. Ex non subiecto in subiectum. Ex subiecto in non subiectum. Ex non subiecto in non subiectum. Deinde volens eligere modos vtiles, docet, esse solum tres, vnde non est redarguendus. Nam quando proponit modos, eos non eligit, & ne accusaretur, vt diminutus, debebat afferre omnes, quibus censeri poterat, fieri mutationem, quamvis inter eos esset aliquis ineptus mutationi, & ita posuit quatuor modos. At quando asserit, esse solum tres, respicit modos vtiles, & idoneos mutationi, quibus reuera potest quidpiam permutari, & ideo recte procedit.

Accusatio Nonagesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia dicit, generationem, & corruptionem non esse motum; & libro tamen 3. fecerat vnam ex quatuor speciebus motus, confirmaueratque enumeratione illa in definitione motus.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo cum D. Th., & cùm Zabarella dicendo, quod Aristoteles loco citato accipit motum cralsa Minerua, & in quadam lata significatione, provt denotat mutationem; non autem stricte, vt diuiditur contra generationem, & corruptionem; sic enim accipiet motum in 5. libro physicorum, in quo distinguet motum proprie dictum à mutatione, ideoque à generatione, & corruptione.

Secundo dicendo, sine vlla contradictione simul vere posse affirmari

mari, & negari, generationem, & corruptionem esse speciem motus proprie dicti. Nam possunt bifariam sumi.

Primo pro sola introductione, vel expulsione formæ substantialis, & sic non sunt proprie motus, quia motus proprie acceptus est successiuus, & fit in tempore; generatio autem, & corruptio non sunt successiuæ, sed fiunt in instanti.

Secundo pro præuijs dispositionibus, & alterationibus, qua ratione inter species motus proprie dicti enumerari possunt, sicut enumeratæ fuerunt ab Aristotele, qui propterea non est reprehensione dignus.

Accusatio Nonagesima octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 3. dicit, esse simul, quæ sunt in eodem loco primo, & libro 4. locum primum eumdem fecerat cum proprio, quem non dicet naturaliter capere duo corpora diuersa.

Masseus dissentit, & respondet, Aristotelem ab huiusmodi accusatione facile absolui posse, si solum hic afferatur solutio cuiusdam dubitationis, quę legi potest apud Didacum Masium, qui in Cōmentario super 3. caput libri 5. physicorum ita loquitur. Oritur tamen dubitatio. Quia si illa essent simul, quæ sunt in eodem loco proprio, cum nequeant esse duo corpora in eodem loco proprio, nisi se penetrent, profecto nullum corpus cum alio simul esse poterit.

Magister Soto, & Tol. admittunt, per naturam non posse duo corpora esse simul, sed supra naturam, vnde inquit Tol., hæc simultas loci non ad corpora, sed ad partes totius, vel ad subiectum, & ad accidentia, quæ illi inhærent referenda est. Nam partes sunt in vno loco proprio, vt in homine corpus, & anima: & subiectū cum accidentibus, vt idem homo cum candore, & calore.

Melius tamen cum Vicomercato, quem sequitur Villalpandus, dicitur, illa esse simul, quæ occupant locum aliquem, nec aliquid in eodem loco inter illa est medium, qua ratione multi lapides quadrati inter se omnino cohærentes, vt nihil, nec aer quidem, sit medium inter ipsos, in eodem loco sunt, & simul. Quæ autē ita in vno loco, & primo non erunt, separata dicentur. Non igitur necesse est, vt detur penetratio corporum ad hoc, vt aliqua si-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſimul loco eſse dicantur, ſed ſatis eſt, vt ipſa ita occupent locum, vt inter illa in tali loco nullum ſit medium.

Accuſatio Nonageſima nona.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 3. docet, quinque eſse modos contrarietatis motus, & poſtea tamen duos illorũ nihil prorſus habere oppoſitionis aſſerit.

Maffeus diſsentit, & reſpondet negando, Ariſtotelem docere, vt ait Gaſſendus, quinque eſſe modos contrarietatis motus, ita vt reuera ſentiat, contrarietatem eſſe poſſe in motu quinque modis; nam ſic non poſſet poſtea vllum excludere, ſed ſolum in principio tractationis de contrarietate motuum, & quietum proponit modos, quibus aliquis poſſet imaginari, eſſe contrarietatem in motu, & deinde ſtatuit, quinam ex illis modis recipi debeat, & quinam debeat reijci; hoc autem verum eſſe, colligitur

Primo ex ipſis verbis textus. Nam Ariſtoteles in textu 46. illius quinti libri ait. *Amplius autem determinandum eſt, qualis motus eſt contrarius motui, & de quiete quoque eodem modo. Diuidendum eſt autem primo, vtrum contrarius motus ſit, qui eſt ex eodem ei, qui eſt in idem &c.* Sic autem clarum eſt, quod Ariſtoteles non aſſerit determinate, modos, quibus eſt contrarietas in motu, eſſe quinque, ſed tantum dicit, diuidendos, vel diſtinguendos eſſe modos huiuſmodi contrarietatis, eosque dubitando; non autem ſtatuendo proponere incipit, dum ait. Utrum &c.

Secundo ex D.Th., qui in expoſitione prædicti contextus, inquit. *Circa primum tria facit.*

Primo diſtinguit diuerſos modos, ſecundum quos videri poſſet, quod acciperetur contrarietas in motu.

Secundo remouet quoſdam illorum.

Tertio aſſignat verum modum contrarietatis in motu, & in mutatione.

Tertio ex Tol., qui & ipſe in explicatione eiuſdem textus ait. Poſtquam de vnitate motus diſſeruit, nunc de eius contrarietate tractat, ac docet, qui motus, cui motui, & quæ mutatio, cui mutationi, & quæ quies, cui quieti, & quæ quies, cui motui opponantur, & contraria ſint. A' motus tamen contrarietate incipit, quam diuiſiuo argumento colligendam dicit. Facit ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

argumentum quinque partibus constans. videlicet.

Si motus contrariatur motui, tunc aut illi motus erunt contrarij, cuius terminus á quo vnius, est terminus ad quem alterius, vt motus à sanitate est motus in sanitatem, aut secundo, quorum termini à quibus sunt contrarij, vt motus à sanitate, & motus ab ægritudine, aut tertio, quorum termini ad quos sunt contrarij, vt motus in sanitatem, & motus in ægritudinem, aut quarto, quorũ terminus à quo vnius est cõtrarius terminus ad quem alterius, vt motus à sanitate, & motus in ægritudinem, aut tandem quinto, quorum termini à quibus, & ad quos inuicem sunt contrarij, vt motus a sanitate in ægritudinem, & motus ab ægritudine in sanitatem.

Postea in expositione textu 47. Tol. dixit, quod Aristoteles incipit excludere aliquos modos ex dictis, in quibus non est motuum contrarietas. Quare sequitur contra Gassendum, quod si Aristoteles ibi excludere incipit aliquos ex prædictis modis, certe signum euidens est, quod Aristoteles in textu 46. non adduxit illos quinque modos, vt omnes reciperet, tamquam idoneos ad ponendam in motu contrarietatem, sed vt idoneos à non idoneis segregaret, ideoque licet nominauerit quinque; aliquos tamen excludere potuit, vnde non est dignus accusatione.

Accusatio Centesima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia eodem capite agnoscit contrarietatem inter generationem, & corruptionem, & antea tamen negauerat, generationem esse motum, defectu contrarietatis.

Maffeus dissentit, & respondet, se valde mirari, quod Gassendus non considerauerit vulgatam, ac tritam illam distinctionem contrarietatis, secundum quam potest accipi pro repugnantia, quæ reperitur inter duos terminos positiuos, vel pro illa oppositione, quæ est inter habitum, & priuationem; hac enim posita, & inspecta distinctione contrarietatis, facillimum est Aristotelem tueri ab hac Gassendi accusatione, dicendo nimirum, quod in 3. capite, vt citat Gassendus, Aristoteles ponit contrarietatem inter generationem, & corruptionem, sumendo contrarietatem largo modo pro priuatiua oppositione. Prius vero negauit, generationem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tionem esse motum ob defectum contrarietatis acceptæ stricto modo, quo pacto requirit duos terminos positiuos.

Accusatio Centesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 6. capite 10. infinitatem penitus abiurat: & in præcedentibus tamen illam tam multis statuerat.

Maffeus dissentit, & respondet negando, infinitatem, quam in præcedentibus Aristoteles concessit, esse illam, quam omnino deinde abiurat. Nam sicut Aristoteles semper negauit infinitatem in actu, ita semper concessit infinitatem in potentia, vt clare constat ex dictis ab ipso in 3. physicorum, vbi ex professo locutus est de infinito secundum se.

Quod autem hoc verum sit, colligitur ex ijs, quæ Tol. docet in suo Commentario in tertium physicorum. Nam in expositione textus 56. libri tertij physicorum ait. Soluit propositam difficultatem, distinctione præposita. Duplex est infinitum. Actu,& potentia. Actu quidem, quod habet actu magnitudinem, vel multitudinem interminabilem, nec limite vllo circumscriptam: potentia vero, quod licet actu finitum sit, ipsius potentia est inexhausta, vt non sit tantum, quin adhuc maius fieri possit, siue sit appositione, sicut numerus dicitur infinitus potentia: quia nõ ei tanta fiet additio, quin maior fieri possit, siue diuisione, quomodo continui diuisio est infinita, quia non fit in tot partes, quin in plures fieri possit.

Supposita igitur distinctione, respondet, actu infinitum non esse,& hoc probant rationes priores: potentia vero infinitum est, & hoc conuincunt rationes posteriores, vnde quodammodo infinitum est, quodammodo non: potentia infinitum est, actu non. Patet ergo, Aristotelem non errasse, ac proinde non debuisse redargui.

Accusatio Centesima secunda.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 7. capite primo nititur probare, quidquid mouetur, ab alio moueri, & nihilominus capite 2. sumit, aliquid moueri à seipso.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Quia etiam dum motus, qui ab alio sunt, facit tractionem, pulsionem, vectionem, volutionem, nonne cum progressus animalium nullus sit istorum, sequitur, vt motus ille per se, non ab alio sit?

Sed manifestius libro 8. capite 2. præter cætera, hæc habet. *Animal ipsum dicimus seipsum mouere. Quare si quiescit aliquando penitus in immobili, motus vtique fiet à se ipso, & non ab externo.* Et in capite 4. ait. *Mouetur animal à seipso &c.*

Item primo Cœli capite 7. probat, Cœlum infinitum non esse, *Quia*, inquit, *si ipsum seipsum moueat, animatum erit.* Annuens scilicet, quod est animatum, non ab alio, sed à se moueri.

Maffeus dissentit, & paucis respondet ad omnia fundamenta Gassendi, animaduertendo, non esse absurdum dicere, id, quod mouetur à seipso, moueri ab alio. Dicitur enim à seipso moueri, vt distinguatur ab ijs, quæ mouentur ab extrinseco principio, siue moueantur violenter, vt patet de proiectis, quæ mouentur ab externo proijciente, siue secundum naturam, vt grauia, & leuia, quæ mouentur per se à generante, per accidens vero à remouente prohibens, & ita significatur, id, quod mouetur á seipso, moueri ab intrinseco principio. Dicitur autem ab alio moueri, quatenus duas habet partes, quarum vna mouet, vt anima, & altera mouetur, vt corpus; cumque oporteat, dari distinctionem inter motiuum, & mobile, propterea necesse est, partem motam in eo, quod dicitur moueri à seipso, diuersam esse à mouente, vnde licebit asserere, id, quod à seipso mouetur, moueri ab alio.

Accusatio Centesima tertia.

Assendus accusat Aristotelem. Quia libro 8. capite 5. statuit particulam diuiduam quidem potentia, indiuiduam tamen actu: & libris tamen 3., ac 6. statuerat, actum extremum in diuisione continui nullum esse.

Maffeus dissentit, & respondet, nullo labore tolli posse omnem illam apparentem contradictionem, quam Gassendus putat, se tuto reperisse in dictis Aristotelis. Nam animaduertendus est modus, quo diuisio continui dicitur procedere in infinitum.

Scien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Sciendum eſt ergo, quod continuum poteſt conſiderari duobus modis. Primo ſecundum ſe, quatenus eſt continuum, & quantum: Secundo ratione ſubiecti, in quo reperitur, nempe prout ineſt ſubſtantiæ, ſiue corpori naturali.

Deinde non eſt ignorandum, quod continuum diuidi poteſt duobus modis, nimirum in partes æquales, vt cum linea decem palmorum diuiditur in decem palmos: vel in partes proportionales, vt cum linea diuiditur per medietatem, & illa medietas per aliam medietatem, & ita deinceps. His præacceptis

Dicitur primo, quod ſi continuum ſumatur primo modo, & diuidatur in partes æquales, eius diuiſio non procedit in infinitum.

Quia huiuſmodi partes æquales finitæ ſunt, vt in linea decem cubitorum, decem cubiti, qui ſunt decem partes illius æquales, finiti ſunt, ergo hæ partes per continuam diuiſionem tandem aliquando abſoluentur, ſicque non licebit, illis diuiſis, vltra progredi, quandoquidem omne finitum per continuam diuiſionem, & detractionem partium, tandem finitur.

Dicitur ſecundo, quod ſi continuum ſumatur primo modo, & diuidatur in partes proportionales, eius diuiſio procedit in infinitum. Quia ſi continuum diuidi non poſſet in ſemper diuiſibilia ſecundum partes proportionales, deueniendum eſſet per diuiſionem ad aliquam partem omnino indiuiſibilem, ſicque continuum, ſeu diuiſibile componeretur ex indiuiſibilibus, quod eſt abſurdũ.

Si dicatur, hoc non videri verum

Primo quia ſequeretur, in magnitudine finita, quæ plane continua eſt, eſſe potentiam infinitam, cuius oppoſitum docet Ariſtoteles 8. Phyſicorum capite vltimo.

Secundo quia ſequeretur, continuum eſſe actu infinitum; cum tamen Ariſtoteles in 3. phyſicorum oſtendat, non poſſe dari actu infinitum, neque ſecundum multitudinem, neque ſecundum magnitudinem. Sequela patet. Nam ſi continuum diuidi poſſet in ſemper diuiſibilia, certe diuidi poſſet in partes infinitas. Atqui hæ partes actu ſunt in illo, quare ſi continuum diuidi poſſet in ſemper diuiſibilia, eſſet actu infinitum.

Ad primum reſpondetur dicendo, quod quamuis in magnitudine finita non poſſit eſſe potentia infinita actiua, de qua ibi loquitur Ariſtoteles; poteſt tamen eſſe potentia infinita paſſiua, vt eſt poſſe diuidi vſque in infinitum.

Ad ſecundum reſpondetur dicendo, quod licet ex vi huius argumenti concedendum ſit, partes in continuo eſſe actu infinitas in ra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ratione partium; non tamen ob id sequitur, dari actu infinitum, quia deberent esse actu infinitæ in ratione entium; cum tamen hoc falsum sit, quippe non habent propriam, & peculiarem existentiam, sed communem, illam videlicet, quæ totius est propria.

Dicitur tertio, quod si continuum sumatur secundo modo, eius diuisio, quomodocumque fiat, non procedit in infinitum, quia forma subiecti, in quo est, requirit certos, & statutos terminos quantitatis, adeo vt vbi per diuisionem peruentum fuerit ad tantam magnitudinem, sub minori consistere nequeat, sed facta vlterius diuisione, totum intereat, recedente forma à materia.

Ex his autem perspicuum est, quomodo conciliari possint Aristotelis loca, quæ citat Gassendus dicens, quod Aristoteles 8. physicorum capite 5. statuit particulam diuiduam in potentia; indiuiduam tamen actu; cum libris 3., & 6. physicorum decreuerit, in diuisione continui non perueniri ad minimum.

Dicitur enim, quod licet in continuo non deueniatur per diuisionem ad minimum, si sumatur, vt continuum, ac diuidatur secundum partes proportionales, quo pacto verum est quod Aristoteles affirmauit in 3., & 6. physicorum; attamen si continuum consideretur, vt est in substantia, vel corpore naturali, aut etiã provt diuiditur in partes æquales, peruenitur ad aliquam partem ita minimam, vt quamvis mathematice loquendo sit potentia diuisibilis, nihilominus physice loquendo, & secundum diuisionem in partes æquales actu est indiuidua, vnde manifestum est, nullã esse contradictionem in prædictis assertionibus Aristotelis, qui propterea non erat accusandus.

Accusatio Centesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia eodem capite quinquies statuit, non licere in infinitum progredi: & nihilominus libro 6., vt superius visum est, tam multis stabiliuerat suam illam infinitatem.

Maffeus dissentit, & respondet, Aristotelem negare loco citato, qui iuxta nostram partitionem est contextus 34. libri 8. physicorum, processum in infinitum in mouentibus, & mobilibus. Nam ait. *Impossibile enim est in infinitum abire mouens, & ipsum, quod mouetur ab alio; infinitorum enim nihil est primum.* Quando autem

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

constituit infinitatem, loquitur de iis, quæ propter continuitatem, & quantitatem diuidi possunt in infinitum, vnde sibi non aduersatur. Etenim vtrumque simul verum est, nempe non dari processum in infinitum in mouentibus, & mobilibus; cum necesse sit peruenire ad aliquod primum, quod ita moueat, vt vel sit penitus immobile, vel saltem sit immobile ab alio extrinseco mouente. Et dari processum in infinitum in diuisione continui; cum numquam sit deuenire ad aliquam partem ita minimam, vt saltem mathematice, ac secundum partes proportionales diuidi nequeat.

Accusatio Centesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 7., Deum, seu primum mouens moueri facit. *Tria enim*, inquit, *sunt*, *& quod mouetur*, *vt homo*, *& Deus &c.* & antea tamen primum mouens immobile fecerat.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem, dum ait in textu 64. libri 8. physicorum. *Tria enim sunt*, *& quod mouetur*, *vt homo*, *aut Deus*: *& quando*, *vt tempus*: *& tertium*, *id, in quo*; *hoc autem est aut passio*, *aut forma*, *aut locus*, *aut magnitudo &c.* nomine Dei significare primum mouens immobile; sic enim sibi esset contrarius, & merito à Gassendo accusaretur, sed designare Cœlum, iuxta sententiam eorum, qui corpora cœlestia Deos dicebant, vnde 2. Cœli textu 2. refert hanc positionem, eamque commendat dicens. *Quare bene se habet*, *quemque sibi ipsi persuadere*, *Antiquos*, *& maxime Patrum nostrorum veros esse sermones*, *quod est immortale aliquid*, *atque diuinum*. Quod autem ibi Aristoteles loquatur de Cœlo, patet ex verbis ab eo prolatis non solum in primo textu, dum ait. *Quod igitur neque factum sit Vniuersum Cœlum*, *neq; contingat*, *ipsum corrumpi*, *quemadmodum quidam dicunt*, *sed sit vnum*, *& sempiternum &c.* Verum etiam ex verbis ab ipso pronunctatis in calce secundi textus, dum inquit. *Cœlum autem*, *& qui sursum est*, *locum Antiqui quidem Dijs attribuerunt*, *vtpote quod solum est immortale*. Ita sentit etiam D. Thomas in expositione illius textus 64.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Cum ergo Gassendus non acceperit Deum in eo sensu, in quo ab Aristotele nominatus fuit, profecto apparet, inhumaniter se gessisse, dum ausus est redarguere Aristotelem, quasi sibi contradixerit.

FINIS
Accusationum pertinentium ad primam partem.



SE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

SECVNDÆ PARTIS

Accusatio Prima.



GASSENDVS accusat Aristotelem. Quia primo Cœli capite primo ineptam, & insufficientem adhibet demonstrationem ad ostendendam perfectionem Vniuersi; ratiocinatur enim sic. Mundus perfectus est, quia continet corpora. Corpus autem est perfectum, quia trinam continet dimensionem. Trina dimensio perfecta est, quia tria sunt omnia; Tria vero sunt omnia, quia si sint vnum, vel duo adhuc non dicimus omnia, sed cum primum tria sunt &c.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo, quod sicuti Gassendus, quasi deridens, & ironicè admirans ait, O quam egregia, o quam sufficiens demonstratio! Ita Maffeus obstupescens, quod Gassendus nullo vtens argumento contra prædictam probationem, cui possit occurrere, ausus fuerit Aristotelem redarguere, ait. O quam inanis, o quam irrationabilis accusatio!

Secundo respondet Aristotelem apta, & sufficienti demonstratione manifestare perfectionem Vniuersi. Hoc autem ipse quoque Gassendus compertum habere potuisset si diligentius considerasset, quomodo Aristoteles prædictam faciat probationem.

In primis enim proponit sibi patefaciendam huiusmodi conclusionem, scilicet. Vniuersum est perfectum, non solum secundum communem rationem corporis, sed etiam secundum propriam conditionem Vniuersi, & ita conclusionem affert sufficientissimam, cum ipse Mundus hisce dumtaxat duobus modis expendi valeat, nempe, vel quatenus est corpus, seu potius congeries corporum, vel quatenus est Vniuersum.

Deinde accedit ad manifestandam veritatem vtriusque partis, & quo ad primam arguit sic. Vniuersum quatenus est corpus est omniquaque diuisibile, igitur Vniuersum quatenus est corpus est perfectum. Consequentia colligitur ex eo, quia corpus definiri solet, vt sit illud, quod est omniquaque, ideoque perfecto modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

do diuisibile. Antecedens ita probatur. Vniuersum quatenus corpus diuiditur secundum tres dimensiones, ergo diuiditur omniquaue, seu secundum omnes dimensiones. Consequentia patet ex eo, quia tribus dumtaxat modis aliquid est diuisibile, nimirum secundum longitudinem tantum, vt linea, secundum longitudinem, & latitudinem, vt superficies, & secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vt corpus. Antecedens constat ex eo, quod inter magnitudines mathematicas soli corpori conuenit esse diuisibile secundum tres dimensiones, vt prædiximus, cumque ista trina dimensio insit corpori quatenus est corpus debet competere omni corpori, cum valida sit illatio à conditione quatenus ipsum, ad conditionem de omni; vnde Vniuersum, quatenus est corpus debet habere trinam dimensionem, secundum quam dici poterit omniquaque diuisibile, atque ideo perfectum in ratione corporis.

Quod autem corpus recte dicatur diuisibile secũdum omnes dimensiones ex eo, quia est diuisibile secundum tres, Aristoteles inde colligit, quoniam tria sunt omnia, & numerus ternarius habet rationem cuiusdam totius, idque ostendit

Primo secundum rationem Pytagoricorum asserentium, id quod appellatur totum, & omne, determinari numero ternario, videlicet principio, medio, & fine, vt apparet in rebus diuisibilibus, atque compositis, in quibus prima pars non sufficit ad perfectionem totius, quod constituitur per aliquod vltimum principium, vnde oportet incipere à prima parte, transire per mediam, & peruenire ad vltimam, vt perficiatur totum, ideoque numerus ternarius habet rationem totius perfecti.

Secundo per ea, quæ ab Antiquis obseruabantur in cultu, & sacrificio Deorum. Nam quasi præceptum hoc accepissent à Natura, quæ numero ternario perficit omnia, semper consueuerunt vti numero ternario in sacrificijs Deorum, quasi volentes illis tribuere, quod perfectum est.

Tertio secundum communem loquendi vsum, nam de duobus dicimus ambos, non omnes, vt duos homines dicimus ambos, omnes autẽ dicimus de tribus, ergo signum est numerum ternarium esse quid perfectum, & veluti totum.

Quoad secundam partem desumit argumẽtum ex ipsa nominis ethymologia. Vniuersum enim dicitur illud, quod habet omnia, quæ ad ipsum pertinent, adeo vt nihil illi desit, quare oportet Vniuersum esse perfectum omnibus modis, & vt corpus, & vt Vniuersum.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Cum ergo ex natura corporis, & ex natura Vniuersi Aristoteles deduxerit rationem ad probandam perfectionem ipsius, & singulas propositiones, quas in huiusmodi probatione adhibuit, satis manifestauerit, certe apparet, demonstrationi Aristotelis nihil deesse, quo minus apta, optima, & sufficiens censenda sit.

Accusatio Secunda.

GAssendus accusat Aristotelem, quia ibidem capite secundo probat tres esse simplices motus, quia datur simplex dimensio. Hanc vero consequutionem Gassendus, nec solertem, nec legitimam esse iudicat.

Maffeus dissentit, & respondet Gassendum proferre duas assertiones falsas; Primo enim dicit, quod Arist. loco cit. probat tres esse simplices motus, cum tamen Arist. primo Cœli, tex. 5. aperte fateatur duos tantum esse simplices motus, nempe rectum, & circularem, nam ita loquitur. *Omnis autem motus, qui secundũ locum fit, quem vocamus lationem, aut rectus, aut circularis, a ut ex his mixtus est. Simplices enim hic duo soli.* Non obstat, quod Arist. in tex. 6. clare docet, simplices motus esse tres, videlicet à medio, ad medium, & circa medium. Ait enim. *Quare necesse est omnem esse simplicem lationem, hanc quidem à medio, hanc vero ad medium, hanc autem circa medium.*

Nam respondetur primo, quod iste numerus ternarius oritur ex quadam subdiuisione motus recti, qui fit, vel à medio, siue sursum, vel ad medium, siue deorsum, non vero ex diuisione simplicis motus, quam fecit Arist. in tex. 5., & de qua loquitur Gassendus.

Respondetur secundo Aristotelem desumere prædictum numerum ternarium motuum simplicium ex perfectione corporis, non autem ex numero dimensionum, vt fecit in tex. 5., vnde quamuis ex perfectione corporis, quod perficitur tribus dimensionibus, lõgitudine, latitudine, & profũditate, colligatur tres esse simplices motus, vt sic numerus motuũ respondeat numero perfectionum corporis, non tamen ob id ex numero dimensionum deducitur tres esse simplices motus, sed solum duos, quemadmodum duæ tantum sunt dimensiones.

Secundo dicit, quod Arist. ad statuendum numerum simplicium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

motuum argumentatur tali pacto. Datur ſimplex dimenſio, ergo tres tantum ſunt ſimplices motus. Hoc autem falſum eſt, ſiquidem Ariſt. arguit hunc in modum. Duæ tantum ſunt ſimplices magnitudines, recta, & circularis, ergo duo tantum ſunt. ſimplices motus, rectus, & circularis; idque patet ex verbis prædicti textus, nam poſtquam Ariſt. dixit. *Simplices enim hi duo ſoli*, ſtatim ſubdit. *Cauſa autem eſt, quoniam, & magnitudines hæ ſimplices ſolum ſunt recta, & circularis*. Cum ergo Gaſſendus in duabus prædictis aſſertionibus aberrauit, ipſe potius accuſãdus eſt.

Accuſatio Tertia.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem, quia definit corpora ſimplicia dicens, eſſe illa, quæ habent motus principium ſecundum naturam, quaſi mixta, inquit Gaſſendus, contra habeant, careantque principio motus ſecundum naturam.

Maſſeus diſsentit, & reſpondet

Primò, quòd ſicuti ſi quis ab aliquo interrogetur, quid eſt Socrates? & ipſe reſpondeat dicendo, eſt homo, non propterea ſequitur, Calliam non eſſe hominem, vel non poſſe ipſum quoque prędicto modo definiri, cum eſſe hominem ſit attributum eſſentiale competens omnibus hominibus, ita ex eo, quod Ariſt. deſcribit corpora ſimplicia per habere in ſe ipſis principium motus ſecundũ naturam, non ſequitur huiuſmodi attributum, ſcilicet habere principium motus ſecundum naturam non poſſe competere corporibus mixtis, vel hæc non poſſe per illud definiri, cum habere in ſe principium motus ſecundum naturam ſit attributum eſſentiale competens cunctis corporibus natura conſtantibus.

Secundo, quod iuxta ſententiam Auerrois illa deſcriptio poteſt ita intelligi, vt per eam explicentur tantummodo corpora ſimplicia conſiderando ſimplicem naturam, quam obtinent; ſic autem vere dici poteſt, quod ſola corpora ſimplicia in ſe habent principium motus ſecundum naturam ſimplicem, quod non cõuenit mixtis, quatenus mixta ſunt. Ex vtraque autem reſponſione patet accuſationem Gaſſendi aduerſus Ariſtotelem non eſſe rationabilem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quarta.

GAssendus accusat Aristotelem, quia capite 3. graue, & leue definit, postquam de illis, tam multa dixit superiori capite, quasi Gassendus Aristoteli obijcere velit, quod prius debebat ea definire, postea de ijsdem verba facere.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo negando quod à Gassendo gratis asseritur, nempe Aristotelem, antequam definiat graue, ac leue multa dixisse in superiori capite; nam Aristoteles assignat definitionem grauis, & leuis in summa 5. primi de Cœlo, quam præcedit Summa quarta, in qua ne verbum quidem facit de graui, & leui, vt legentibus prædictam Summam satis constare potest.

Non obstat, quod Arist. pluries nominat ignem, ac terram, quorum vnum est leue, alterum graue, ideoque videtur, aliquam facere mentionem de graui, & leui: nam respondetur negando Aristotelem considerare ignem, ac terram in ordine ad contemplationem grauitatis, & leuitatis, cum ex ijs, quæ ibi docet, perspicuum sit, ab ipso expendi prædicta corpora propter alios fines.

Primo quidem in ordine ad partitionem ipsius motus, vnde in contex. 7. prædictæ Summæ quartæ ait. *Quoniam autem corporum illa quidem sunt simplicia, hæc autem composita ex his (dico autem simplicia quidem, quæcumque motus principium habent secundum naturam, puta ignem, & terram, & horum species, & cognata his) necesse est, & motus esse illos quidem simplices, hos autem mixtos quodammodo: Simplicium quidem simplices, mixtos autem compositorum; moueri autem secundum prædominans.*

Secundo autem in ordine ad probationem huius conclusionis videlicet. Datur corpus naturale simplex, distinctum ab elementis, cuius demonstrationis occasione ostendit nullum elementum posse circulo ferri secundum naturam, sed motum circularem inesse naturaliter alicui corpori, præter elementa, & propterea nominat ignem, ac terram, vnde in calce illius quartæ Summæ concludit dicens. *Quapropter ex omnibus his aliquis ratiocinando crediderit, quod est aliquod præter corpora, quæ hic, & circa nos sunt, alterum separatum tanto honorabiliorem habens naturam, quanto quidem plus distat ab ijs, quæ hic sunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Respondet secundo animaduertendo cum D. Th., quod Arist. in tex. 17., in quo incipit agere de graui, & leui, quorum etiam definitiones assignat dicens, quod oportet supponere, quid dicamus graue, & quid leue, ideo dicit supponere, quia hic non perfecte inuestigat definitiones ipsorum, sed potius vtitur eis, tamquam suppositionibus, quantum sufficit ad necessitatem præsentis demonstrationis; diligentius autem de ijsdem tractabitur in 4. lib. de Cœlo, vbi exponetur substantia, & natura ipsorum; idque verum esse clare constat, ex verbis eiusdem tex. 17., vbi Arist. ait. *Oportet autem supponere, quid dicimus graue, & leue, nunc quidem sufficienter, quo ad in præsentia est opus, diligentius autem rursus, cum considerabimus de substantia ipsorum.*

Hinc vero deducitur altera responsio ad accusationem Gassendi aduersus Aristotelem; dicendo nimirum, quod si Arist., vt probatum est, ne dum testimonio D. Th., sed etiam verbis eiusdem Aristotelis, hic non loquitur de graui, & leui perfecte, nec secundum se ipsa, sed propter aliud, nempe ad cognoscendam propriam naturam quinti corporis, dum ostendit ipsum non esse graue, neque leue, profecto Arist. non debebat reprehendi, etiamsi multa prius contemplatus fuisset circa graue, ac leue, quam eorum definitiones tradidisset, quia hic tractationis ordo seruandus est, quando de re aliqua perfecte, & exacte agitur, adeo vt proponatur consideranda secundum se ipsam, siue secundum suam propriam naturam. Hæc itaque accusatio nulla est.

Accusatio Quinta.

Gassendus accusat Aristotelem. Quia confirmans inalterabilitatem Cœli, probat solum de duabus speciebus qualitatis, nempe de prima, & de tertia. Promitti autem Gassendus, velle se magis exponere in sufficientiam rationum, quibus Aristoteles vsus est, quando sermo erit de alterabilitate materiæ cœlestis.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem, quando confirmat inalterabilitatem Cœli, probare de duabus speciebus qualitatis, nempe de prima, & de tertia, imo iuxta interpretationem Suessani, & D. Th. Aristoteles probat de vna tantum specie qualitatis, nimirum de tertia. Nam alteratio est motus in qualitate, & nō in quauis qualitate, sed in qualitate tertię speciei, quæ est passio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In habitibus autem, vel dispositionibus, quæ pertinent ad primã speciem qualitatis, non fit proprie alteratio per se, vt patet ex libro 7. physicorum, sed per accidens, & quatenus alteratio fit in passionibus, quas consequuntur habitus, & dispositiones. Sanitas enim, & morbus non sunt proprie termini alterationis, sed consequuntur terminos eius, prout proueniunt ex transmutatione frigidi, & calidi, humidi, & sicci. Hanc vero esse mentem Aristotelis, colligitur ex verbis ab eo prolatis in textu 20., vbi ait. *Est enim alteratio motus secundum qualitatem: qualitatis autem habitus quidem, & dispositiones non sine mutationibus fiunt, quæ secundum passiones fiunt, vt sanitas, & morbus.* Cum ergo Aristoteles dicat, quod habitus, & dispositiones, quæ sunt in prima specie qualitatis, non fiunt sine mutationibus, quæ fiunt secundum passiones pertinentes ad tertiam speciem qualitatis, proculdubio significat, alterationem, primo, & per se fieri solum ad qualitates tertiæ speciei, atque ideo non probat de duabus speciebus qualitatis, vt censuit Gassendus, sed solum de vna.

Ad id vero, quod subdit, ac pollicetur Gassendus, velle se magis exponere insufficientiam rationum, quibus Aristoteles vsus est, quando sermo erit de alterabilitate materiæ cœlestis, tunc respondebitur, quando Gassendus in medium attulerit suam expositionem. Interea satis erit dicere, quod rationes ab Aristotele adhibitæ, sunt adeo sufficientes, vt minime dubitandum sit, quin Gassendus frustra sit laboraturus.

Accusatio Sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 8. probat admodum insufficienter vnitatem ipsius Mundi, vt suo etiam loco demonstrabitur.

Maffeus dissentit, & respondet, Gassendum potius redarguendum esse, tamquam diminutum, quàm Aristotelem; Gassendus enim nullam adduxit sufficientem rationem pro suæ sententiæ confirmatione, sed solum dixit, Aristotelem valde insufficienter probare vnitatem ipsius Mundi. Nam sic posset etiam aliquis instare contra Euclidem, post quam demonstrauit, omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, asserendo, ipsum incertam, & insufficientem confecisse demonstrationem; cum tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

men disciplinæ mathematicæ sint in primo gradu certitudinis. Debebat ergo Gassendus hic afferre argumenta, quibus ad id asserendum inductus fuit; cumque hoc non præstiterit, dicendum est, ipsum defecisse.

Quod si quis pro ipso dicat, quod promittit, se huiusmodi demonstrationem suo loco facturum.

Respondetur, quod tunc satisfiet omnibus rationibus, quas poterit excogitare, idque facillimum erit, quoniam Aristoteles, physice loquendo, admodum sufficienter egit de vnitate Mundi, quippe non solum conclusit, Mundum esse vnum, sed etiam ostendit, ipsum esse ita vnum, vt non possint esse plures Mundi. Nam hic Mundus constat ex tota sua materia; cum contineat omnia corpora naturalia (secus enim non esset Vniuersum, cuius proprium est continere omnia, nisi secundum nomen) physice autem loquendo, ex nihilo nihil fit, sed quidquid fit, fieri debet ex aliqua præexistente materia, vnde sicuti Mundus iste comprehendit materiam vniuersam, ita nulla remanet materia, ex qua fieri possit alter Mundus, & sic naturaliter loquendo Aristoteles probauit Mundi vnitatem adeo sufficienter, vt non possit vllo pacto reprehendi.

Accusatio Septima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 9. declarat quot modis dicatur Cœlum, post quam tam multa de Mundo sub nomine Cœli edisseruit.

Maffeus dissentit, & respondet animaduertendo, quod vocabulum Cœli non est pure æquiuocum, sed analogum, vt optime docet D. Th. in commentario textus 96. libri primi de Cœlo dicens. *Est autem considerandum, quod Cœlum his tribus modis dicitur non æquiuoce, sed analogice, scilicet per respectum ad vnum primum.* Quamuis autem æquiuoca prius distinguenda sint, & postea explicanda, hoc tamen non videtur esse necessario seruandum in analogis, & ratio disparitatis est, quia æquiuoca, vt sic, non cadunt sub scientiam, ideoque oportet, prius quàm tractentur, varias eorum significationes aperire, vt pateat, in quo sensu de illis agendum sit. Cæterum de analogis habetur scientia, quandoquidem in Metaphysica sermo fit de ente, quod esse analogum,

non

non solum constat ex doctrina Porphyrij in tractatu prædicabilium, capite de specie, verum etiam ex eo, quod ens per prius dicitur de substantia, & per posterius de accidentibus, vnde fieri potest, vt in scientia terminus analogus aliquando sumatur pro vno analogato, & aliquando pro alio, sicut in Medicina sanum, quod analogice dicitur de arte Medica, de vrina, de dieta, & de animali, potest vsurpari modo pro vno, & modo pro alio ex prędictis analogatis. Ita ergo potuit Aristoteles vti vocabulo Cœli, quod est analogum, ad significandum Vniuersum, vel ad insinuandam supremam sphæram, vel ad designandas alias sphæras cœlestes contiguas ipsi supremæ sphæræ, quamuis á principio non fuerit necessarium, vt præmitteret distinctionem Cœli in tres prædictas significationes. Quia cum vox ista Cœlum non sit pure æquiuoca, sed analoga, ob id potest ab Aristotele adhiberi secundum omnes prædictas significationes. Licet autem id non fuerit simpliciter necessarium; attamen fuit necessarium secundum quid, & ad bene esse, vt magis nobis innotesceret, propter quid Mundus est vnus, & ita vnus, vt non possint esse plures; hoc enim præcipue fit notum ex eo, quod Mundus constat ex tota sua materia, seu ex omni corpore naturali, vt innuit Aristoteles in textu 97. pr. de Cœlo dicens. *Tripliciter igitur cum dicatur Cœlum, totum ab extrema contentum circumlatione, necesse est ex omni constare naturali, & sensibili corpore, propterea quod neque vllum est extra Cœlum corpus, neque contingit esse.* Accusatio igitur Gassendi nullatenus nocet Aristoteli.

Accusatio Octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 10. demonstrandū sumit, Mundum esse ingenerabilem, & incorruptibilem; quod tamen deinde non præstat, nisi quia videtur aliorum opiniones soluere.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem non demonstrare secundum propriam sententiam, quod Vniuersum sit ingenerabile, atque incorruptibile. Nam ex D.Th. in suo Commentario in primum librum de Cœlo habetur oppositum. Etenim in expositione primi capitis, Summæ 10. textu 101. ait. *Postquam Philosophus ostendit, quod corpus totius Mundi non est infinitum, &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

quod non est multiplex numero, hic inquirit, vtrum sit infinitum durationis æternitate, & primo ponit opiniones aliorum: secundo determinat propositum secundum propriam opinionem. ibi. Primum autem diuidendum &c. Antequam autem suam de Mundi æternitate sententiam proferat, postquam confutauit aliorum assertiones, distinguit hos terminos, videlicet Genitum, Ingenitum, Corruptibile, Incorruptibile, Possibile, & Impossibile, quibus vti debet, ne multiplicitas vocum confundat intellectum audientis.

Postea explicatis prædictis terminis, manifestat veritatem quarumdam propositionum, ex quarum probatione relinquit nobis onus erigendi syllogismum, quo facile concluditur, Mundum esse perpetuum.

Prima igitur assertio, quam probát, est huiusmodi. Nullum æternum, seu existens tempore infinito, est corruptibile.

Secunda talis est. Nullum æternum est genitum.

Tertia talis est. Nullum corruptibile, aut genitum potest esse perpetuum.

Quarta talis est. Omne ingenitum, & incorruptibile est sempiternum.

Quinta talis est. Omne corruptibile est genitum, & contra.

Ex his ergo desumitur argumentum, quo iuxta mentem Aristotelis, validè comprobatur, Mundum esse æternum, & arguitur sic.

Omne ingenerabile, atque incorruptibile est æternum.

Mundus est ingenerabilis, atque incorruptibilis, ergo.

Mundus est æternus.

Maior propositio patet ex quarta probatione. Minor satis pespicua est ex rationibus adductis ab Aristotele contra sententias illorum, qui ponebant, Mundum esse genitum, & aliquando esse interiturum. Constat ergo, Aristotelem circa quæstionem de Mundi æternitate non solum soluisse aliorum opiniones, verum etiam ita ex propria mente fuisse locutum, vt nobis insinuauerit argumentum idoneum ad concludendam æternitatem Vniuersi.

Accusatio Nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 11. definit, quid sit, & quàm varijs modis dicatur ingenerabile, generabile, incorruptibile, corruptibile, postquã superiori capite, & etiã capite 3. toties est vsus hisce terminis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus dissentit, & respondet, non esse inconueniens, ab Aristotele in 2. capite Summæ 10. definiri, quid sit, & quàm varijs modis dicatur ingenerabile, generabile, incorruptibile, corruptibile, licet his terminis pluries in superiori capite usus fuerit, quoniam in primo capite dictæ Summæ adhibuit prædictos terminos in ordine ad positiones aliorum. Cæterum in secundo capite illos considerat in ordine ad suam sententiam, & ibi minus; hic vero magis distincte ipsos expendit, quemadmodum legentibus, & intelligentibus prædicta capita, potest esse per se manifestum. Cum ergo non sit absurdum considerare multoties vnam, & eamdem rem sub diuersis rationibus, ob id Gassendus non debebat Aristotelem accusare.

Accusatio Decima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia 2. Cœli capite 3. confundit priuantia cum contrarijs, dum scilicet frigidum facit priuationem calidi.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo, Aristotelem ibi locutum esse per modum exempli; cum in textu 18. libri secundi de Cœlo dicat. *Et priuatione prior affirmatio: dico autem veluti calidum frigido.* In exemplis autem iuxta sententiam Auerrois non est exquirenda veritas, quoniam exẽpla traduntur solum ad manifestationem, non ad verificationẽ. Secundo, quod, vt docet D. Th. in Commentario prædicti textus 18., & legitur in primo physicorum, contraria semper se habent ad inuicem secundum peius, & melius, adeo vt vnum respectu alterius sit veluti priuatio, & sic licet frigidum secundum se sumptum, sit ens positiuum; attamen consideratum respectu calidi, se habet ad instar entis priuatiui; cum frigidum sit imperfectius calido, vtpote minus actiuum, sicut etiam se habet nigrum ad album. Aristoteles ergo non confundit priuatiua cum contrarijs, dum ait, frigidum esse priuationem calidi, quia non accipit frigidum secundum seipsum (sic enim est contrarium positiuum) sed comparatiue, vel quatenus caret illa perfectione, quam habet calidum, ideoque accedere videtur ad naturam entis priuatiui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Vndecima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 5. reddit rationem, cur Cœlum in hanc potius, quàm in illam partem moueatur, dicens, id fieri, quia motus est ad honorabiliora; ipsum autem ante honorabilius est, quàm post. Obijcit autem, quod non apparet, cur in Cœlo illud potius dicendum sit ante, quàm retrò. Nam si contigisset, moueri Cœlum in partes contrarias, posteriora fuissent, quæ iam anteriora sunt, & contra.

Maffeus dissentit, & respondet cum D. Th. in Commentario textus 33., quod in sempiternis nihil accidit contingenter, aut casualiter, quia ea, quæ sunt à casu, non sunt semper, neque etiam vt frequenter. Dictum est autem supra, quod Cœlum est sempiternum, & etiam circularis motus eius, vnde rationabiliter quæritur, propter quam causam Cœlum mouetur versus vnam partem, & non versus aliam, puta ab Oriente versus superius hemisphærium, & non versus inferius; quandoquidem hoc in Cœlo, vtpote sempiterno, non potest fieri contingenter.

Cum ergo Gassendus dicat. Si contigisset, moueri Cœlum in partes contrarias, posteriora fuissent, quæ iam anteriora sunt, & contra, ponit in Cœlo contingentiam, quod est maximum inconueniens, vnde non mirum, si ex hoc inconuenienti sequatur aliud, nempe fieri posteriora, quæ prius anteriora erant, ideoque non posse reddi causam, cur in Cœlo illud potius dicendum sit ante, quàm retro; nam vno inconuenienti dato, multa contingũt.

Accusatio Duodecima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 6. probans motus regularitatem, nec memorat, nec saluat apparentem motus irregularitatem velocitatis, retrogradationis, stationis, & similium.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod Aristoteles ostensurus, motum Cœli æquabilem esse, ac sibi similem, ita vt Cœlum pari semper velocitate feratur, profitetur, se velle agere de suprema

prema ſphæra, & de motu diurno, quo omnes globi cœleſtes ab Ortu verſus Occaſum 24. horis voluuntur, quia in hoc neque eſt, neque videtur eſſe vlla inæquabilitas; quæ tamen in motibus Planetarum primo aſpectu apparet, tum ob eorum diuerſitatem, tum quia interdum videntur ſtare, nec vlterius progredi, vnde & ſtationarij ab Aſtrologis vocantur.

Dicit enim in textu 35. *De motu autem ipſius, quod regularis ſit, & non irregularis, deinceps poſt ea, quæ dicta ſunt, erit percurrendum. Dico autem hoc de primo Cœlo, & de prima latione.*

Cum itaque Ariſtoteles ſeipſum declaret, ac ſignificet, intentionem ſuam in eo poſitam eſſe, vt velit inquirere ſolum de prima latione, an ſit regularis, certe non tenetur memorare, neque ſaluare apparentem motus irregularitatem, quæ reperitur in alijs lationibus, de quibus loqui non vult, quia omnes conueniunt in motum vnum, quatenus omnes Orbes motu raptus, vt explicat Sueſſanus, mouentur hoc motu diurno, & ita quidquid de illo dicitur, etiam per accidens videtur eſſe dictum de alijs, vnde Ariſtoteles ibidem ait. *In ijs enim quæ ſubter ſunt, plures iam lationes conuenerunt in vnam.*

Accuſatio Decimatertia.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, dicens, inanes eſſe rationes, quibus capite 8. probat, aſtra vnà cum Orbibus moueri, & ſphærica eſſe.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, hanc Gaſſendi accuſationem eſſe reuera inanem, dum aſſerit ſolum, & nullatenus probat (quod tamen ab eo probandum erat) rationes Ariſtotelis, quibus capite 8. probat, aſtra vnà cum Orbibus moueri, & ſphærica eſſe, cenſeri debere inanes.

Accuſatio Decimaquarta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 10. proponit, velle ſe explicare ſecundum Aſtrologiam, ordinem, & ſpacia ipſorum aſtrorum, quod iuxta illam habentur ſufficienter. Attamen, inquit Gaſſendus, id inſufficienter molitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus diſſentit, & reſpondet, adhuc à Gaſſendo minime demonſtratum eſſe, quod Ariſtoteles inſufficienter moliatur, & proponat, velle ſe explicare ſecundum Aſtrologiam, ordinem, & ſpacia ipſorum aſtrorum, quod iuxta illam habeantur ſufficienter. Quãdo itaque Gaſſendus oſtendet, hoc ab Ariſtotele actum eſſe inſufficienter, Maffeus demonſtrabit, id ab Ariſtotele ſufficienter factum fuiſſe.

Accuſatio Decimaquinta,

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 12. explicat cauſam, cur Mobile primum vno moueatur motu, cæteri Cœli, pluribus; ſed tamen abſque ordine. Nec enim propinquiores primo paucioribus, remotiores vero ſemper pluribus mouentur.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, Gaſſendum eſſe redarguendum, quod affirmauerit quidem; non tamen aliqua ratione confirmauerit, Cœlos propinquiores primo Mobili non ſemper moueri paucioribus motibus; remotiores vero pluribus, vt Ariſtoteles cenſuit, dum aſſignauit cauſam, cur Mobile primum vno moueatur motu; cæteri vero Cœli, pluribus.

Accuſatio Decimaſexta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 14. affert rationes contra motum terræ, ſed illarum inſufficientiam, cum de hac materia, oſtendemus commodius.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, ſe interim inducias facere cum Gaſſendo, donec ea, quam ſibi dari poſtulat, commoditate, oſtendat inſufficientiam illarum rationum, quibus vtitur Ariſtoteles contra motum terræ; tunc enim Maffeus promptus erit ad reſpondendum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Decimaseptima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia libro 3. capite primo, ratio, qua probat, nullam paſſionem conuenire puncto, non concludit, quoniam quis reſpondere poteſt, illam eſſe indiuiduam, vel per accidens diuiduam. Præterea, ſi verum ſit, continuum phyſicum non eſſe infinite diuiduum, dici poterit, punctum habere grauitatem minimam.

Maffeus diſſentit, & reſpondet animaduertendo, quod in hac accuſatione Gaſſendus duo dicit.

Primo, quod ratio, qua probat Ariſtoteles, nullam paſſionem conuenire puncto, non concludit, quoniam quis reſpondere poteſt, illam eſſe indiuiduam, vel per accidens diuiduam.

Secundo, quod ſi verum ſit, continuum phyſicum non eſſe infinite diuiduum, dici poterit, punctum habere grauitatem minimam.

Quoad primum reſpondetur dicendo, quod nemo poſſet reſpondere, paſſionem illam eſſe indiuiduam, quippe omnis paſſio, ſiue omne accidens, quodcumque illud ſit, ſubiecto inhærens, eſt diuiſibile, ſaltem per accidens ad diuiſionem ſubiecti. Quare ſolum ſupereſt, vt quiſpiam reſpondeat, paſſionem puncti eſſe diuiduam per accidens ad diuiſionem puncti, ſicque, velit, nolit, cogetur admittere, punctum eſſe per ſe diuiſibilem; cum oporteat, illud, ad cuius diuiſionem aliquid aliud per accidens diuiditur, eſſe diuiſibile per ſe. Cum vero punctus omnino ſit indiuiſibilis, vt patet ex eius definitione à Mathematicis aſſignata, dum dicunt, punctum eſſe id, cuius nulla pars eſt, ſequitur, nullam paſſionem poſſe dici per accidens diuiſibilem ad diuiſionem puncti. Quare ob hanc inſtantiam à Gaſsendo propoſitam, non fit, vt ratio Ariſtotelis non concludat.

Quoad ſecundum reſpondetur dicendo, quod etiamſi concedatur, verum eſſe, quod continuum phyſicum non ſit infinite diuiduum; adhuc tamen non ſequitur, dici poſſe, quod punctum habeat minimam grauitatem, quia nullam poteſt ſortiri grauitatem, neque minimam, neque maximam, vt optime, ac valide Ariſtoteles demonſtrat in tertio libro de Cœlo, Summa 3. parte 2. capite primo, vnde Gaſſendus debebat probare, quod punctus poſſit aliquam habere grauitatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Decima octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 3. imperfectam tradit elementi definitionem. Tum, quia danda erat per ordinẽ ad compositionem potius, quàm in ordine ad resolutionem. Tum quia elementum dicitur inesse, vel actu, vel potentia; debet enim definitio esse clara, non anceps, & ambigua.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo ad primam rationem Gassendi dicendo, quod cum resolutio præsupponat compositionem, ideo dum Aristoteles dat definitionem elementi per ordinem ad resolutionem, implicite quoque illam assignat per ordinem ad compositionem. Cur autem illam tradere maluerit per ordinem ad resolutionem, ratio esse potest.

Tum quia definitio datur causa innotescendi. Resolutio autem est nobis notior, quám compositio, vnde Aristoteles in libris de ortu, & interitu pluribus egit de modo, quo corpora mixta componuntur ex elementis; de modo autem, quo in illa resoluuntur, non ita sollicitus fuit.

Tum quia licet ex eo, quod aliquid actu resoluitur, inferri possit, ipsum esse actu compositum (nec enim potest actu resolui totum in partes, nisi actu constet ex partibus) non tamen ex eo, quod aliquid est actu compositum, sequitur, ipsum aliquando actu resolui. Etenim quatuor vocata elementa sunt actu composita ex materia, & forma secundum se tota; numquam tamen secũdum se tota resoluentur actu in materiam, & formam; sic enim corrumperentur, & ita periret Vniuersum, cuius illa sunt partes essentiales; vnde sicuti per Aristotelem Vniuersum est perpetuum, ita oportet, elementa secundum se tota seruari æterna. Cum igitur ex eo, quod aliquid actu resoluitur, necessario inferatur, ipsum esse actu compositum, non contra, idcirco Aristoteles in definitione ipsius elementi exprimere maluit resolutionem, quàm compositionem.

Secundo ad alteram rationem Gassendi, negando, in elementi definitione tantam reperiri ambiguitatem, vel obscuritatem, vt illi debitam adimat claritatem. Licet enim dubium sit, an hoc, vel illo modo determinato elementum insit mixto; nimirum, an

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

actu solum, an solummodo potestate; nihilominus clarum est, elementum debere inesse mixto, altero ex his duobus modis, nempe vel actu, vel potestate, idque satis constat ex conditionibus expressis in definitione ipsius elementi, quæ iuxta explicationem Suessani, & D. Th., tres continet partes, quarum

Prima est, vt elementum aliorum corporum sit illud, in quod alia corpora diuiduntur, seu resoluuntur. Non enim quælibet causa potest dici elementum, sed solum quæ ingreditur compositionem rei, vnde vniuersalia elementa sunt materia, & forma, vt patet in primo physicorum textu *66*., quæ tamen non sunt corpora; hic autem Aristoteles intendit agere de elementis, quæ sunt corpora.

Secunda est, vt elementum existat in eo, cuius est elementum, potentia, aut actu.

Tertia est, vt elementum non diuidatur in alia.

Cum igitur iuxta primam definitionis partem oporteat, corpora in elementum resolui, certe patet ex ipsa definitione, elementum debere inesse illi corpori, cuius est elementum, aliquo modo, videlicet aut potestate, aut actu, ideoque ista elementi definitio tantam continet claritatem, quanta sufficere possit, vt perfecta censeatur.

Accusatio Decima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 4. sumit impugnandam infinitatem elementorum, Leucippi, & Democriti; cum tamen impugnet indiuisibilitatem.

Maffeus dissentit, & respondet negando, quod Aristoteles impugnandam susceperit opinionem Leucippi, & Democriti quo ad solam infinitatem elementorum; eam enim refutandam aggressus est, etiam quo ad indiuisibilitatem, idque non obscure deducitur ex verbis textus 37., vbi Aristoteles ait. *At vero neque vt alij quidam dicunt, vt & Leucippus, & Democritus Abderites, rationabilia sunt quæ accidunt; primas enim magnitudines, multitudine quidem infinitas; magnitudine autem indiuisibiles esse dicunt*, quibus verbis Aristoteles aperte profitetur, se velle redarguere Democritum, & Leucippum quo ad vtrumque, id est quo ad infinitatem, & quo ad indiuisibilitatem elementorum, vnde male Gassendus Aristotelem accusat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Vigesima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 5. retorqueri posset obiectio, qua reijcit, generationem fieri densitate, ac raritate, quod omnia hoc modo dicerentur esse ad aliquid.

Maffeus dissentit, & respondet, dicendo, quod cum Gassendus tantummodo affirmauerit, retorqueri posse obiectionem, qua vtitur Aristoteles ad reijciendam generationem per densitatem, & raritatem, eo quod omnia hoc modo dicerentur ad aliquid, & neque ipse retorserit, neque indicauerit modum, quo retorqueri valeat, propterea Maffeus asserit huiusmodi accusationem nullius roboris esse aduersus Aristotelem.

Accusatio Vigesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 6. proponit determinandum elementorum numerum, vbi soluerit quæstionem, sint ne sempiterna, an non? Id tamen deinde non præstat, neque hoc libro, neque toto opere.

Maffeus dissentit, & respondet negando, quod Aristoteles non soluerit quæstionem à se propositam, in qua dubitatur. An elementa sint sempiterna, nec ne? Nam oppositum colligitur

Primo ex verbis ab Aristotele pronunciatis in ipso initio Summæ sextæ contextu 51., vbi ait. *Cum autem neque infinita sint, neque vnum, necesse est, plura esse, atque finita. Considerandum autem est primum, vtrum sempiterna sint, an generata corrumpantur; hoc enim ostenso, manifestum erit, & quot, & qualia sint. Sempiterna igitur esse, est impossibile. Videmus enim, & ignem, & aquam, & vnumquodque simplicium corporum dissolui.*

Secundo ex verbis ab Aristotele prolatis in calce eiusdem Summæ, vbi ait. *Quare necesse est corruptibilia, & generabilia esse elementa corporum.*

Tertio ex verbis ab Aristotele adductis in principio textus 53. eiusdem libri tertij de Cœlo, vbi ait. *Quoniam autem generabilia sunt, aut ex non corpore, aut ex corpore erit generatio, & si ex*

cor-

corpore, aut ex alio, aut ex se inuicem, quibus verbis non solum significat Aristoteles, à se solutam esse quæstionem de elementis excitatam, inquirendo, an sint sempiterna, nec ne; constat enim decreuisse, ipsa esse generabilia, & corruptibilia, ideoque non esse sempiterna, verum etiam, se velle considerare modum, quo generantur, & corrumpuntur.

Quomodo auté ex eo, quod ostẽditur, eleméta non esse sempiterna, sed generabilia, & corruptibilia, innotescat, quot, & qualia sint, optime declarat D.Th. in suo Cõmentario illius Sũmę dicés, quod hoc declarato, manifestum erit, qualia sunt elementa, quoniam calida, frigida, humida, & sicca; per hoc enim mouentur ad generationem. Et etiam quot sunt secundum numerum, quia numerus ipsorum est secundum numerum coniugationum prædictarum passibilium qualitatum. Quapropter ista quoque accusatio est nulla.

Accusatio Vigesima secunda.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 7., & 8. impugnat Antiquos tribuentes elementis figuras, quasi illi ad litteram accepissent figurarum nomina, & non potius locuti fuissent figurate, ac symbolice, quod vel ipsemet sub finem fatetur, ac reijcit.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem fateri, Antiquos asserentes, elementa determinari figuris, figurate, ac symbolice locutos fuisse; nihil enim tale habetur in postremo capite libri tertij de Cœlo, in quo Aristoteles ex professo confutat hanc Veterum sententiam, & pluribus ostendit, fieri non posse, vt elementa determinentur figuris. Quare Gassendus probare debebat, quod Antiqui symbolice; non autem proprie acceperint nomina figurarum; cum eos de proprie sumptis egisse, satis constet ex eo, quod igni tribuebant figuram sphæricam, vel pyramidalem. Terræ vero figuram cubicam; hoc autem non est loqui figurate, sed proprie, nisi velimus dicere, ipsos figurate locutos, quatenus de figuris agebant. Gassendus ergo immerito redarguit Aristotelem.

Ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Vigesima tertia.

GAsſendus accuſat Ariſtotelem. Quia libro 4. capite 5. immerito Democritum taxat, quod molliter ſoluerit quæſtionem illam de motu ferramentorum; cum & ipſe non reſpondeat virilius, & ille tam paucis ad omnia capita reſponderit.

Maffeus diſsentit, & reſpondet conſiderando, quod Gaſsendus debebat aliqua ratione probare, quod Ariſtoteles non reſpondeat virilius ad prædictam quæſtionem; cumque id non fuerit executus, ſed abſque vlla probatione pronunciauerit, nullum reſponſioni locum reliquit.

Accuſatio Vigeſima quarta.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia primo Cœli capite primo non videtur debuiſse generaliter probare, quænam ſint illa, quę Phyſica contemplatur (hoc enim initio potius phyſicę Acroaſeos explicandum fuerat) neque item repetere definitionem continui, & ſpecierum eius.

Maffeus diſsentit, & pro reſponſione, ſupponit

Primo quod, vt docet Zabarella in ſuo tractatu de naturalis ſcientiæ conſtitutione, corpus naturale, quod eſt proprium, & adæquatum ſubiectum totius naturalis philoſophiæ, poteſt accipi tribus modis.

Primo pro ſolo communi genere abſque vlla conſideratione ſpecierum.

Secundo pro ſola collectione ſpecierum, quæ ſimul ſumptæ correſpondent, ſeu æquipollent generi, ſi non ratione formæ, vel naturæ, ſaltem ratione ambitus, & amplitudinis.

Tertio pro vtriſque ſimul.

Secundo quod vniuerſale dicitur aliquid, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid, & in genere ſuo, vt patet de genere generaliſſimo, quod eſt vniuerſale ſimpliciter, & de ſpecie ſubalterna, quæ dicitur ſecundum quid vniuerſalis; cum reſpectu diuerſorum poſſit appellari vniuerſalis, & particularis.

Maf-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus ergo his præacceptis reſpondet dicendo, quod duo ſunt Proemia vniuerſalia in genere ſuo. Vnum in primo phyſicorum propter conſiderationem corporis naturalis primo modo accepti. Alterum in primo libro de Cęlo propter conſiderationem corporis naturalis ſecundo modo ſumpti. Ex his autem fit Proemium vniuerſale ſimpliciter, quod conuenit toti ſcientiæ de natura propter corpus naturale tertio modo dictum. Quare accuſatio Gaſſendi vana eſt. Quia cum in primo libro phyſicorum ab Ariſtotele poſitum ſit Proemium vniuerſale in genere ſuo propter corpus naturale vſurpatum pro ſolo communi genere ſine conſideratione ſpecierum, certe in primo libro de Cœlo potuit conſtituere aliud Proemiũ vniuerſale in genere ſuo propter corpus naturale acceptum pro ſola collectione ſpecierum, quarum cognitio neceſſaria erat ad hoc, vt poſſit haberi perfecta, & numeris omnibus abſoluta notitia corporis naturalis.

Quod autem ſpectat ad definitionem continui, & ſpecierum eius, puta corporis, lineæ, ſuperficiei &c. reſpondet, Ariſtotelem non eſse hac de cauſa redarguendum. Quia id fecit ſumma ratione ductus. Etenim quod attinet ad continuum, Ariſtoteles debuit ipſum definire.

Primo quia, vt habetur in ſecundo poſteriorum, eius, de quo traditur definitio, genus notum eſse oportet. Cum ergo Ariſtoteles aſſignaturus eſset definitionem corporis, propterea tradere debuit definitionem continui, quod Auerroes dicit eſse quaſi genus corporis, nec immerito aſserit, eſse quaſi genus, quia non eſt verum, & legittimum, ſiue vniuocum genus; cum corpus, de quo agitur, ſit ſubſtantia; continuum vero ſit quantum, & accidens; potius autem dicitur poni, & accipi loco generis.

Secundo quia continuum poteſt habere plures definitiones; cum poſſit pluribus modis conſiderari.

Primo quidem ſecundum materiam, & ita definitur hic, vt ſit diuiſibile in ſemper diuiſibilia. Cenſetur autem hæc definitio materialis, quoniam omne diuiduum dicitur tale propter materiam; cum diuiſio fiat in partes, de quibus Ariſtoteles in 2. phyſicorum textu 31. dixit, quod ſe tenent ex parte materiæ.

Secundo ſecundum attributum extrinſecum, & ſic definitum fuit ab Ariſtotele in quinto Metaphyſicorum textu 8., vt ſit illud, cuius motus eſt vnus. Motus enim eſt quid extra continuum. Nam accidit illi; cum poſſit eſse continuum ſine motu, ſicut patet de linea, & de ſuperficie.

Ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Tertio ſecundum formam, & ita definitum fuit ab Ariſtotele in prędicamentis, capite de Quantitate, vt ſit illud, cuius partes aliquo communi termino copulantur. Nam ex tali copulatione, vel compoſitione partium conſurgit forma continui, vt apparet etiam in alijs compoſitionibus rerum. Similem quoque definitionem ſcripſit Ariſtoteles in 6. phyſicorum textu 36. dicens, continuũ eſse id, cuius partes ſe inuicem contangunt; hæc enim aſſignata fuit etiam ſecundum compoſitionem, & contactum partium. Cum ergo variæ ſint definitiones continui, Ariſtoteles maxima reprehenſione ſe dignum præbuiſset, ſi eam omiſiſset; ſic enim ignoraremus, quomodo hic debeat conſiderari continuum, quod eſt veluti genus corporis.

Quod vero ſpectat ad ſpecies continui, operæ precium fuit illas quoque definire, quia notitia ſpecierum requiritur ad habendam perfectam cognitionem generis. Ariſtoteles ergo bene ſe geſſit, atque ideo non debebat à Gaſsendo redargui.

Accuſatio Vigeſima quinta.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 2. ait. Simplicis corporis ſimplex eſt motus, & ſimplex eſt motus ſimplicis corporis, quaſi hæc duo multum diſtent.

Maffeus diſsentit, & reſpondet, illa duo differre, ſi ſenſum, et vim eorum conſideremus. Nam dum Ariſtoteles ait. Simplicis corporis ſimplex eſt motus, indicat, poſito corpore ſimplici, poni motum ſimplicem. Et quia dubitari poterat, an è conuerſo verum ſit dicere, quod poſito motu ſimplici, ponatur ſimplex corpus, ob id addere voluit hanc aſsertionem, videlicet. Et ſimplex motus eſt ſimplicis corporis, vt oſtenderet, iſta duo ſe mutuo conſequi, nempe motum ſimplicem, & ſimplex corpus.

Accuſatio Vigeſima ſexta.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia bis, vel ter probat, motum circularem alicui corpori ſecundum naturam conuenire.

Maffeus diſsentit, & reſpondet, Ariſtotelem ab huiuſmodi culpa

faci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

facile absolui dicendo, non esse inconueniens, ad idem ostendendum vti pluribus argumentis; hoc enim fit, ad abundantiam doctrinæ, atque ad maiorem, & solidiorem veritatis confirmationem.

Accusatio Vigesima septima,

GAssendus accusat Aristotelem. Quia primo Cœli Summa 7. probat, nullum dari corpus infinitum; quod tamen iam probatum fuerat in tertio physicorum, vnde videtur esse redarguendus, quod superflue proponat sibi tractationem habendam de infinito.

Quin etiam videtur sui oblitus, dum in posteriori parte 6. capitis volens agere de Mundo, proponit tractandum de infinito, inquiens.

Primum autem dicamus vniuersaliter de infinito, vnde rursus de illo agit in reliqua parte 6. capitis, vel Summæ 7., & in toto capite 7, licet sine vlla necessitate, atque ideo superflue.

Maffeus dissentit, & quia hæc accusatio duas continet partes, ideo Ad primam respondet negando, Aristotelem ob id esse reprehendendum. Quoniam Auerroes, quem sequitur Suessanus in Commentario textus 33. docet, Aristotelem hic, & in tertio physicorum non eodem modo loqui de infinito.

Primo quia illa tractatio erat vniuersalior, hæc est particularior. In hac enim quæritur, an Vniuersum sit infinitum, & ita huiusmodi consideratio est particularis, & præcipua de infinitate Vniuersi. Verum in illa vniuersaliter quæritur, an sit aliquod corpus infinitum?

Non obstat, quod Aristoteles probat, nullum dari corpus infinitũ, & ita videtur etiam hæc tractatio de infinito esse vniuersalis.

Nam respondetur dicendo, quod habita ratione principalis intentionis Aristotelis, negandum est ex eo, quod Aristoteles probat prædictam propositionem vniuersalem, posse inferri, tractationem de infinito hic factam, esse vniuersalem. Quod enim Aristoteles præcipue intendit, non est velle ostendere vniuersaliter, nullum dari corpus infinitum, sed peculiariter demonstrare de Vniuerso, siue de Mundo, quod non possit esse infinitus, & in gratiam huius peculiaris demonstrationis, ideoque obiter tetigit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

etiam illam assertionem vniuersalem.

Secundo quia illic soluendo difficultatem, distinguit de infinito per actum, & potentiam, quæ sane distinctio videtur metaphysica, & vniuersalis.

Hic autem; cum non ita vniuersaliter loquatur, illius distinctionis non meminit.

Tertio quia hæc tractatio est firmior, & non ex suppositione, vt illa; supponit enim, esse quatuor elementa, & vnum quintum corpus. At hæc demonstratio illud suppositum probat, & propterea est firmior; cum sit propinquior certitudini, vnde patet, hanc tractationem non esse vanã, vt non bene putauit Gassendus.

Ad secundam respondet dicendo, quod oppositum constabit ex diligenti consideratione eorum, quæ habentur in hac Summa 7., siue, iuxta citationem Gassendi, in 6. & 7. capite.

In primis ergo sciendum est, quod, vt docet D. Th., Aristoteles à contextu 33. vsque ad 54. inclusiue, de singulis corporibus naturalibus per proprias rationes ostendit, nullum eorum posse esse infinitum, postea in textu 56. aggreditur probandum ratione communi, quod nullum corpus naturale potest esse infinitum, idque facit, quia ex eodem D. Th. probatio facta per medium vniuersale, perfectiorem scientiam affert, ob id expendenda sunt ea verba Philosophi dicentis. *Primum autem dicamus vniuersaliter de infinito &c.* quæ non sic accipienda sunt, quasi nunc agatur de infinito vniuersaliter; nam hæc tractatio iam habita est in tertio physicorũ, sed quia vult afferre rationes cõmunes, & vniuersales. Nam primo desumet argumentũ ex diuisione corporis in homogeneũ, & heterogeneum, quæ communior est diuisione corporis in simplex, & mixtum; cum esse homogeneum possit competere tam simplici, quàm mixto. Esse autem simplex non competit homogeneo, & heterogeneo, quippe nullum simplex est heterogeneum.

Secundo, ex eo, quod omne corpus naturale habet virtutem actiuam, aut passiuam, aut vtramque.

Tertio, ex motu, quem constat esse communem omnibus corporibus naturalibus.

Quod autem Aristoteles in contextibus citatis illud probauerit per argumenta propria, significauit, dum in tex. 54. dixit. *Quod igitur non est infinitum corpus, palam est, & per ea, quæ particularia sunt speculantibus hoc modo &c.* Hinc vero patet, huiusmodi probationem ab Aristotele repetitam, non esse superfluam, vt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

male putauit Gaſſendus. Nam Sueſſanus docet, eam eſſe valde vtilem, quia id, quod pluribus modis oſtenditur, ac demonſtratur, certius cognoſcitur, & quia hic particulariter, & vniuerſaliter probatur eadem veritas, ideo iterum de illo pertractat.

Cur autem Ariſtoteles non continuauerit hanc vniuerſalem, & communem demonſtrationem eiuſdem veritatis cum præcedenti oſtenſione propria, & particulari, ſed poſt hanc à ſe abſolutam, ſtatim ſubiunxerit, conſiderandum eſſe, An Vniuerſum ſit vnum, nec ne, ratio eſſe poteſt, quia ſic voluit vnam ab altera ſeparare atque innuere, quod ſi præter adductas rationes particulares, non ſupereſſent aliæ communes, poſt illas agendum ſtatim eſſet de vnitate Vniuerſi, vnde colligitur, Ariſtotelem non eſſe ſui oblitum, vt dixit Gaſſendus, ſed ob dictam cauſam prædicto modo locutum fuiſſe.

Deinde non eſt ignorandum, quod Ariſtoteles ipſe in contex. 33. aſſignat rationem ſuæ intentionis, circa tractationem de infinito inſtituendam, vnde apparebit eius vtilitas, atque neceſſitas. Rationem vero deſumit ex diuerſitate, quæ accidit propter prædictam poſitionem, & circa hoc duo facit. Primo proponit hanc diuerſitatem conſequentem, ſecundo aſſignat cauſam, quare tãta diuerſitas ex hoc ſequatur.

Quo ad primum dicit, quod in ordine ad ſpeculationem veritatis in philoſophia naturali, plurimum differt, vtrum hoc, aut illo modo ſe res habeat, nempe quod ſit, aut non ſit corpus aliquod infinitum ſecundum magnitudinem, ſiquidem hoc inducit differentiam circa totum Vniuerſum, & circa omnem conſiderationem naturalem, quippe id, quod paulo ante dictum eſt, fere fuit in præterito, & erit in futuro, principium omnium contradictionum inter eos, qui aliquid enunciauerunt de tota rerum natura, nam illi, qui poſuerunt vnum principium infinitum, dixerunt alia fieri, quaſi per ſeparationem ab illo principio, ideoque putauerunt, propter infinitatem illius principij generationem rerum continuari, nec vmquam deficere, quemadmodum ſi quis diceret, quod ex infinita maſſa poſſent fieri panes in infinitum. Illi vero, qui poſuerunt principia finita, dixerunt, res fieri in infinitum, ob reciprocam congregationem, & ſegregationem elementorum.

Quoad ſecundum docet, cauſam tantæ diuerſitatis eſſe, quia ſi quis modicum tranſgrediatur á veritate, circa principium, quanto vlterius procedit, tanto longius recedit à veritate, cum omnia ſubſequentia dependeant â ſuis principijs, idque maxime apparet in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

errore viarum, qui enim parum elongatur à via recta, postmodum procedens fit multum longe. Aristoteles autem in tex. affert exemplum eius, quod dictum est, desumptum ab ijs, qui posuerunt aliquam minimam magnitudinem, sicut Democritus posuit corpora indiuisibilia, sic enim introducens aliquod minimum in quantitate, destruxit maximas propositiones Mathematicorũ, puta, quod lineam datam liceat secare in duo media. Causa vero huius absurditatis est, quia principium etsi sit modicum in quantitate, seu magnitudine, virtute tamen est magnum, sicut ex modico semine producitur arbor magna. Hinc vero fit, vt illud, quod est paruum in principio, in fine multiplicetur, quia pertingit ad totum id, ad quod se extendit virtus principij, siue huiusmodi principium sit verum, siue sit falsum. Infinitum autem habet rationem principij (omnes enim quicumque locuti sunt de infinito, posuerunt, ipsum esse principium, vt constat ex dictis in 3. phys. text. 3.) & maximam etiam habet virtutem, quo ad quantitatem, cum excedat omnem datam quantitatem, vtpote infinitum. Si ergo principium, quod est minimum in quantitate, facit magnam differentiam in sequentibus, multo magis infinitum, quod non solum excedit in virtute principij, sed etiam in quantitate, id efficere poterit, & propterea, neque irrationabile, neque inconueniens est, si mirabilis differentia sequatur in scientia naturali ex eo, quod sumitur, aliquod corpus esse infinitum, & idcirco Aristoteles profitetur, se de hoc esse dicturum, resumendo considerationem propositam à principio de differentia corporum simplicium, & compositorum.

Vt autem ego meam sententiam proferam, responderem dicendo, quod dato, nec tamen concesso, prædictis verbis, videlicet. *Primum autem dicamus vniuersaliter de infinito &c.* significari tractationem vniuersalem de infinito hic ab Aristotele instituendam, adhuc tamen, non sequitur eam esse superfluam, quia debebat Aristoteles eam facere, vt seruaret sua præcepta, inter quæ hoc vnum reperitur ab ipso traditum de ordine seruando in tractationibus rerum, vt à magis communibus ad minus communia procedatur, quemadmodum aperte docuit primo phys. tex. 4. dicens. *Quapropter ab vniuersalibus ad singularia procedere oportet.* Volens ergo, & intendens Aristoteles agere in particulari definitudine molis Vniuersi, & ostendere, Mundum non esse mole infinitum, vt seruaret prædictum ordinem, tenebatur prius demonstrare hanc vniuersalem, atque communem veritatem, nimirum quod nullũ

cor-

corpus naturale poteſt eſſe magnitudine infinitum, ideoque ſumma cum ratione tractat de infinito vniuerſaliter, non quidem ita, vt conquieſcat in hac vniuerſali conſideratione, ſicut fecit in 3. phyſ., ſed vt ab hac gradum faciat ad particularem infiniti conſiderationem applicatam ſcilicet ipſi Vniuerſo, vnde ſemper dignoſcitur diuerſitas inter tractationem vniuerſalem de infinito habitam ab Ariſt. in primo Cœl., & eam, quam fecit in 3. lib. phyſ. vt propterea hæc non debeat cenſeri ſuperuacanea.

Accuſatio Vigeſima octaua.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem dicens, quod pr. Cœli Summa 8. cap. primo nihil aliud facere videtur, niſi petere, ac repetere rationem illam inſufficientem ſimul, & abſurdam, qua oſtendi putat, non eſſe alium Mundum, quod terra illius tenderet ad centrum iſtius, & contra.

Maffeus diſſentit, & pro defenſione Ariſtotelis animaduertit, Gaſſendum aduerſus Ariſtotelem obijcere duo.

Primo, quod nihil aliud loc. cit. facere videtur, niſi petere, ac repetere illam rationem, qua oſtendere nititur, Mundum eſſe vnũ.

Secundo, quod illa ratio ſit abſurda, & inſufficiens.

Maffeus ergo ad vtrumque ſimul reſpondet dicendo, Gaſſendum nihil concludere, cum vtrumque gratis accipiat, & ſine vlla probatione proferat.

Ad primum vero ſpecialiter dicit, Gaſſendum non bene, neque attente conſideraſſe, ſed perſunctorie, ac nimis oſcitanter percurriſſe illud caput, & ob id Ariſtoteles ei viſus eſt petere, ac repetere prædictam rationem. Ab hac autem inutili, & ſuperflua eiuſdem rationis repetitione Ariſtoteles facile vindicabitur, ſi cum D. Thoma totum illud caput paulo diligentius, quàm fecerit Gaſſendus, expendamus. Continet huiuſmodi caput quatuor contextus, in quorum

Primo, qui eſt 77., iuxta expoſitionẽ D. Th. Ariſtoteles factis quibuſdam ſuppoſitionibus, arguit ad propoſitum oſtendendum, primo ex parte motus, poſtea ex parte quietis.

In ſecundo, qui eſt 78., ponit ſecundam rationem, per quam excluditur defectus quidam, quem aliquis poſſet imponere primæ rationi dicendo, quod terra, quæ eſt in illo Mundo, eſt alterius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

naturæ, quàm terra, quæ eſt in hoc Mundo, vnde Ariſtoteles demonſtrat, duabus rationibus, vna ex parte Mundi, quæ habetur in eodem tex. 78., altera

In tertio, qui eſt 79. ex parte motus, terram vtriuſque Mundi eiuſdem eſſe naturæ.

In quarto denique, qui eſt 80. ex præmiſſis, in quibus attenditur non eadem, ſed noua ratio penes identitatem, vel differentiam ſpecificam corporum exiſtentium in vtroque Mundo, ſi alius daretur, Ariſtoteles arguit ad propoſitum. Conſtat ergo Gaſſendum erraſſe, dum dixit Ariſtotelem petere, ac repetere illam rationẽ, qua vult concludere vnitatem Vniuerſi.

Ad ſecundum ſeorſim acceptum dicit, quod ratio Ariſtotelis non poteſt cenſeri abſurda, cum ſit ratio propria, & accõmodata philoſophiæ naturali, quoniam deſumpta eſt ex conſideratione motus, & quietis, nec non etiam ipſorum corporum naturalium, de quibus omnibus agere munus eſt ita proprium Phyſici, vt ad alium artificem pertinere non poſſit.

Nec etiam putari poteſt inſufficiens, cum, vt aſſeruimus, Ariſtoteles non ſatis habuerit eam in medium afferre, ſed etiam occurrere ſtuduerit inſtantiæ, quæ ab aduerſario contra illam poterat adduci, hoc autem ſufficientiſſimæ rationis indicium eſt. Potius ergo firmiter tenendum eſt, has Gaſſendi obiectiones aduerſus Ariſtotelem tamquam inanes deſpiciendas eſſe.

Accuſatio Vigeſima nona

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, eo quod repetat rationem illam, qua de infinito ſuperius agens arguebat, nihil eſſe extra Cœlũ, quod illud, neque ſimplex, neque mixtum ſit, vel eſſe poſſit.

Maffeus diſſentit, & pro Ariſtotele dicit cum D. Thoma in commentario tex. 69., quod ibi non probatur, ſed potius ſupponitur, extra Cœlum non eſſe corpus ſenſibile finitum, niſi forte dicere velimus, probari per hoc, quod omne ſenſibile corpus eſt in loco, & omnia loca continentur infra Cœlum. Hinc vero numquã ſequitur, Ariſtotelem oſtendere per diuiſionem corporis in ſimplex, & mixtum, extra Cœlum nihil eſſe. Cum autem in Summa 8. cap. 8. id probet per diuiſionem corporis in ſimplex, & mixtum, non apparet, quomodo Gaſſendus affirmare auſus fuerit, Ariſtotelem vti eadem ratione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Trigesima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia in vltimo capite primi de Cœlo, eoque admodum prolixo, nihil aliud præstat, quàm digredi circa quæstionem, an aliquid generabile sit incorruptibile, vel ingenerabile corruptibile?

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, Aristotelem non digredi circa prædictam quæstionem, sed facere id, quod ad eam summopere conducit, ac necessarium est. Postquam enim, vt ait D. Th. in expositione text. 100., Aristoteles prosecutus fuit opiniones aliorum circa quæstionem propositam de Mundo, an sit genitus, & corruptibilis, postea prosequitur prædictam quæstionem secundum suã opinionem, & primo præmittit quædam, quæ necessaria sunt ad inuestigationem propositi, deinde prosequitur quæstionem propositam. Quare non digreditur, sed miro vtens ordine aggreditur explicandam dubitationem de Mundi æternitate, declarando terminos, ne in æquiuoco laboremus. Ordo autem ab Aristotele seruatus consistit in eo, quod circa Mundum proposuit inquirendum

Primo an sit magnitudine infinitus?
Secundo an sit multitudine infinitus?
Tertio an sit duratione infinitus?

Duabus ergo prioribus difficultatibus absolutis, reliquum erat, vt tertiam dilueret; hoc autem præstat, diligenter considerando, quot, & quibus modis aliquid possit dici generabile, vel corruptibile, ingenerabile, & incorruptibile, nec non vtrum aliquid generabile sit incorruptibile, aut ingenerabile sit corruptibile?

Accusatio Trigesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia videtur superflue loqui, dum 2. Cœli capite primo repetit quæ docuerat libro superiori de æternitate Cœli, & ratione desumpta ex Antiquorum opinione circa sedem Dei.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod si Gassendus memi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

nisset illius distinctionis, quam Aristoteles posuit in 8. capite Summæ 8., numquam asseruisset, Aristotelem esse redarguendum, propterea quod repetat quę docuerat in primo libro de Cęli æternitate, ac de ratione Antiquorum circa locum Dei. Etenim Aristoteles loco citato tradidit, vocabulum Cœli esse omonimum, vel æquiuocum, ita vt possit accipi tribus modis, videlicet

Primo pro suprema Sphęra.

Secundo pro aggregato cœlestium Orbium.

Tertio pro vniuersitate corporum, quæ continentur à supremo Orbe.

Ex hoc vero distinctione satis constat, Aristotelem non esse dignum reprehensione. Quia non semper adhibuit nomen Cœli secundũ eamdem significationem, sed quando in primo libro, Summa 10. capite primo, egit de æternitate Cœli, accepit Cœlum tertio modo; quando autem nunc in secundo libro loquitur de æternitate Cœli, sumit Cœlum primo modo; id autem non est inconueniens; cum idem attributum possit esse commune pluribus, in quibus propterea sine vlla prorsus absurditate considerari poterit, quemadmodum licet expendere risibilitatem in Socrate, Platone &c., idemque dicendum est de ratione Antiquorum circa sedem Dei.

Si quis vero instet dicendo, quod quamuis Aristoteles in Summa 10. vsus fuerit vocabulo Cœli pro Vniuerso; attamen in Summa 4., & pluribus alijs sequentibus certum est, Cœlum ab Aristotele sumi pro suprema sphæra; cum Aristoteles nitatur per plures Summas ostendere, præter quatuor vocata elementa ponendum esse quintum corpus ab eis distinctum, & cum de hoc demonstret, quod est æternum, sequitur, æternitatem ab Aristotele probari de Cœlo, sumpto pro suprema sphæra; non autem pro Vniuerso.

Maffeus respondet, duplicem esse considerationem Cœli accepti pro quinto corpore, vnam respectiuam, & alteram absolutam. Prima conuenit Cœlo, quatenus est pars Vniuersi (pars autem dicit respectum ad totum) altera competit Cœlo sumpto secundum seipsum. Verum quidem est, quod Aristoteles in Summa quarta, & pluribus alijs sequentibus accipit Cœlum pro quinto corpore, sed secundum primam considerationem, & de ipso, tamquam de parte præcipua Vniuersi probat æternitatem, & docet, illi congruere hoc attributum, quod est esse locum, & sedem ipsius Dei, non tamen ob id ista expendit in Cœlo sumpto secundum seipsũ, vnde ne putaremus, illa attributa competere Cœlo solum respe-

ctiue

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ctiue conſiderato, & vt eſt pars Vniuerſi, Ariſtoteles debuit aliquando monſtrare, Cœlo, etiam ſecundum ſe ſumpto conuenire huiuſmodi attributa, quod quidem facit in 2. libro, in quo licet eadem de eodem repetere videatur; non tamen eſt dignus reprehenſione, quia non repetit eadem de eodem ſecundum eumdem modum, ſed alium, & valde diuerſum, ac proinde variata eiuſdem rei conſideratione, fieri poteſt, vt ſit vtile in ea contemplari eadem prædicata, vt accidit in hac Cœli meditatione; nam ex ipſa intelligimus, attributa prædicta ineſſe Cœlo, vtcumque ſumatur, ſiue nimirum cum reſpectu ad Vniuerſum, cuius eſt pars, ſiue ſecundum ſe, ſimpliciter, & abſolute.

Quod autem Ariſtoteles in Summa quarta, & ſequentibus accipiat Cœlum reſpectiue, vt partem Vniuerſi, aperte deducitur ex textu 5. eiuſdem Summæ quartæ, vbi ait. *De ijs autem, quæ ſecundum ſpeciem ipſius partes ſunt, nunc dicamus.*

Tantum autem abeſt, vt Ariſtoteles, probando æternitatem de Cęlo, tamquam de parte Vniuerſi, reprehenſione ſe dignum prębeat, vt potius maximopere ſit commendandus, eo quia miro vtitur artificio, dum opportunum nobis locum relinquit argumentandi à partibus ad totum; cum ex eo, quod partes Vniuerſi eſſentiales, nempe Cœlum, & elementa, ſunt æternæ, quiſque noſtrum colligere poſſit, Vniuerſum eſſe perpetuum, circa quod demonſtrandum verſabatur intentio Ariſtotelis.

Accuſatio Trigeſima ſecunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia 2. Cœli capite tertio, vt ipſe citat, inepte intermiſcet (quantumcumque ſæpè proteſtetur) tractationem de numero elementorum, de exiſtentia generationis &c.

Maffeus diſſentit, & pro Ariſtotele reſpondet dicendo, quod verum quidem eſt, Ariſtotelem intermiſcere tractationem de numero elementorum, & de exiſtentia generationis; falſum tamen eſt, hoc inepte ab eo fieri. Nam in hoc ſecundo quæſito ſecundę Summæ, conſilium, & mens Ariſtotelis eſt, velle manifeſtare cauſam, cur motus circulares ſint plures. Ad hunc autem finem conſequendum, opus fuit mentionem facere, tum de numero elementorum, tum etiam de exiſtentia generationis; idque manife-

ſtum

stum euadet, si diligenter consideremus cum Suessano processum ab Aristotele factum in toto prædicto quæsito. Integer autem progressus Aristotelis continet plures illationes, quarum

Prima est. Cœlum perpetuò mouetur, ergo aliquid in medio Mundi perpetuò quiescit.

Secunda est. Aliquid in medio Mundi perpetuò quiescit, ergo Terra est.

Tertia est. Terra est, ergo Ignis est.

Quarta est. Ignis, & Terra sunt, ergo Aer, & Aqua sunt.

Quinta est. Aer, Aqua, Ignis, ac Terra sunt, ergo generatio, & corruptio sunt.

Sexta est. Generatio, & Corruptio sunt, ergo sunt plures motus cœlestes.

Quare si Cœlum perpetuò mouetur, necesse est, Cœlum pluribus motibus moueri. Cum ergo ad hanc vltimam illationem, Aristoteles peruenire non posset, nisi transeundo per alias præcedentes, in quibus agitur de numero elementorum, & de existentia generationis, propterea non inepte, sed summa cum ratione Aristoteles de illis fecit mentionem.

Accusatio Trigesima tertia.

Gassendus accusat Aristotelem. Quia capite 4. libri 2. de Cœlo, iuxta citationem Gassendi, probans, Cœlum esse sphæricæ figuræ, agit quod egit lib. 1. capite 2., & sequentibus, vnde vt superfluus videtur esse redarguendus.

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem primo Cœli ex professo monstrare, Cœlum esse sphæricæ figuræ, idque manifestum fiet ex consideratione illorum, quæ ab Aristotele traduntur in toto illo primo libro, qui continet 10. Summas.

In prima explicantur ea, circa quæ versatur scientia de natura.

In secunda traditur definitio corporis naturalis, & manifestatur perfectio eiusdem.

In tertia tractatur de perfectione Vniuersi.

In quarta demonstratur, dari corpus circulare, ac simplex, diuersæ naturæ à naturis illorum corporum simplicium, quæ sunt apta nata moueri motu recto.

In quinta ostenditur, corpus circulare, ac simplex nec esse graue, nec leue.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

In ſexta primo probatur, corpus circulare, ac ſimplex nec eſſe generabile, neque corruptibile, nec ſuſceptiuum alterius mutationis, præter quàm ipſius motus localis. Deinde manifeſtatur, corpora ſimplicia eſſe numero quatuor.

In ſeptima concluditur, Mundum eſſe finitæ quantitatis.

In octaua proponitur inquirendum, an Mundus ſit vnus numero. Et pro indagine veritatis, in ea ponuntur octo capita.

In primo enumerātur propoſitiones, quibus hæc queſtio abſoluitur

In ſecūdo aſſignatur demōſtratio, qua oſtenditur Mundū eſſe vnū.

In tertio ſoluuntur dubitationes, quibus exiſtimari poteſt, plures eſſe Mundos.

In quarto explicantur quædam propoſitiones, quibus concludebatur vnitas Mundi.

In quinto ad eamdem concludendam affertur demonſtratio deſumpta ex prima Philoſophia.

In ſexto continetur tertia demonſtratio.

In ſeptimo commemoratur dubitatio, qua dubitari poteſt, plures eſſe Cœlos, eaque ſoluitur.

In octauo declaratur cauſa, quare Mundus ſit vnus, & non ſint plures Mundi.

In Summa nona demonſtratur, extra Mundum nec eſſe plenum, nec dari vacuum.

In decima Summa ſunt duo capita.

In primo enumerantur, & refelluntur ſententiæ Antiquorum de generatione, deque corruptione Mundi.

In ſecundo plura fiunt.

Primo exponuntur modi, quibus aliquid poteſt dici generabile, & corruptibile, vel ingenerabile, & incorruptibile.

Secundo ſignificatur, quo pacto dicatur aliquid habere, aut non habere potentiā, & qua lege definiantur potentię, vel impotentiæ?

Tertio oſtenditur, fieri non poſſe, vt aliquid ſit perpetuum, & inſit ei potentia ad priuationem.

Quarto probatur, nihil dari æternum corruptibile, nec generabile æternum.

Quinto explicatur, in quibus rebus inueniatur generatio, & corruptio, ſimulque manifeſtatur, quod generabile, aut corruptibile non poteſt eſſe æternum.

Sexto patefit, ingenerabile, & incorruptibile conuertibiliter competere ipſi æterno.

Septimo inſinuatur, generationem, & corruptionē conuerſim dici.

Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Ex his planè liquet, Aristotelem in primo libro ne verbum quidem facere, saltem ex professo de sphærica figura Cœli, tantum abest, vt quemadmodum aiebat Gassendus, hic repetat consideratione sphæricæ figuræ Cœli, de qua egit in 2. libro, vnde non potest reprehendi de superfluitate.

Si dicas. Declaratum est, Cœlum circulo ferri; hoc autem non conuenit, nisi corpori rotundo. Igitur ex eo, quod Cœlum circulariter mouetur, patet, ipsum esse rotundum, vnde hoc non debebat ab Aristotele hic iterari.

Respondetur cum Auerroë, ac Suessano, illud esse determinatũ, vt cõsequens, & quasi per accidens nunc vero tractatur per se, & quasi quæsitum principale.

Accusatio Trigesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem, Quia in eodem 2. libro de Cęlo capite 11., vt citat Gassendus, dum probat, quod Astra sint sphærica, agit etiam, quod egerat capite 8.

Masseus dissentit, & respondet negando, Aristotelem in capite 11. agere, quod egit in capite 8., habito respectu modi, quo vtrobique demonstrat, Stellas esse rotundas. Nam in capite 8., iuxta citationem Gassendi, siue, iuxta nostram, in Summa 2., quæsito 3. textu 26. ostendit, Astra esse sphærica, secundario, & vt quid consequens ex dictis. Etenim præcipua intentio Aristotelis ibi est probare, Cœlum esse sphæricæ figuræ, vt satis patet ex illis verbis. *Figuram autem sphæricam necesse est habere Cœlum*, ab eo prolatis in principio illius quæsiti. Consequenter vero in textu 26. innuit, idem sentiendum esse de Astris, ob eorum continuitatem cum Cœlo, vnde ait. *Et quod igitur continuum illi est. Sphærico enim continuum est sphæricum.* Et cum Aristoteles propter eamdem rationem id tribuat etiam elementis, dicens. *Similiter autem & quæ ad medium horum sunt*, signum est, quod non demonstrat de Stellis prædictum attributum, vt proprium ipsarum, & vt de illis à se primariò intentum, sed vt commune ipsis cum elementis, & vt quid consequens ex dictis.

Cæterum in capite 11., iuxta citationem Gassendi, vel iuxta nostram, in textu 59., Aristoteles ex professo, & secundum suam primariam intentionem de Stellis ostendit, eas esse rotundas, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

hanc affectionem in ipsis tantummodo considerat, ita vt hoc attributum (saltem quoad considerationem) censeri possit propriũ Astrorum, vnde loco citato, ait.

Figuram autem vniuscuiusque Astrorum sphæricam esse, maxime vtiq; quis rationabiliter existimabit.

Neque vero putandum est, Aristotelem absque ratione voluisse ostendere primariò de solis Astris, quod sint sphærica. Nam Suessanus in Commentario primi capitis tertiæ Summæ putat, id ab Aristotele factum esse, quia Stellæ definiri solent, vt sint partes densiores Cœli. Cum ergo videamus, non semper partem sequi naturam totius (in animali enim partes & inter se, & à toto differunt specie) propterea posset idem censeri de partibus Cœli, scilicet de Stellis, & in ordine ad totum Cœlum, & in ordine ad seipsas, ob id rationi consonum fuit, vt Aristoteles de his seorsim ostenderet, eas esse rotundas, ne forte quis crederet, eas esse partes Cœli dissimilares, atque ideo, quamvis Cœlum sit sphæricũ, ipsas tamen non esse tales.

Cœterum hæc Suessani opinio mihi non probatur. Nam patitur validam instantiam desumptam ex ordine seruato ab Aristotele in explicandis ijs, quæ in Summa tertia capite primo exponenda proposuit, quem quidem ordinem cognouit, & retulit etiam Suessanus in Commentario illius loci, dicens. *Tria nunc de his Cœli partibus, quæ græcè Astra dicuntur, latinè, Stellæ, proponit dicere, videlicet. Cuius naturæ sint, quas habeant figuras, & qui ipsarum motus sint; hæc enim tria de toto Cœlo sunt determinata, propterea restat nunc eadem de partibus determinari.* Sic totidem verbis exprimit Suessanus ordinem ab Aristotele seruatum in consideratione prædictorum, vnde patet, Aristotelem prius explicare naturam Stellarum, quàm figuram earumdem. Loquens autem de natura, ponit illam conclusionem, videlicet. Stella est de natura illius Cœli, ad cuius motum ipsa circumfertur. Iam ergo ex probatione huius conclusionis ita constat, Astra eiusdem esse naturæ cum toto Cœlo, vt minime dubitari possit, quin illis conueniat sphærica figura, quæ toti competit Cœlo; nec enim in hoc viget illa ratio dubitandi, quæ afferebatur á Suessano de partibus animalium; nam ideo de his dubitare contingit, an habeant id, quod toti conuenit animali, quia differunt specie à toto, & se inuicem; hæc autem ratio non habet locum in partibus Cœli à siue in Stellis, de quibus iam ostensum est, quod sunt eiusdem naturæ cum toto Cœlo, ac propterea non possunt ab eo differre

spe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſpecie . Cum itaque Ariſtoteles, prius quàm demonſtret, Aſtra eſſe ſphæricæ figuræ, probet, eorum naturam non eſſe diuerſam á natura totius Cœli, profectò apparet, vanam eſſe rationem Sueſsani, qua putat, Ariſtotelem inductum eſse ad iterum oſtendendum, Stellas eſse rotundas, quia videlicet poterat quis opinari, huiuſmodi figuram illis non conuenire, quoniam ſunt partes Cœli, & partes non ſemper ſequuntur naturam totius. Etenim iſta dubitatio e medio ſublata fuit ab Ariſtotele, dum docuit, eamdem eſse naturam Aſtrorum, & Cœli; ſic enim oportet, has partes ſequi naturam totius.

Quare mihi potius dicendum videtur, hoc ab Ariſtotele factum eſſe. Quia cum in tex. 26. ad monſtrandum, Stellas eſse ſphæricas, vſus fuerit ratione communi, quæ non ſolum accõmodata erat Aſtris, verum etiam elementis, voluit adhibere rationes proprias, quæ conueniant ſolis Stellis, vt ſunt illæ, quas adducit in textu 59., quarum

Prima talis eſt. Omne, quod nec per ſe mouetur, nec aptum eſt moueri motu recto, eſt rotundum. Sed Stellæ nec per ſe mouentur, nec per ſe ſunt aptæ moueri motu recto, ergo Stellæ ſunt rotundæ.

Manifeſtum eſt autem, quod iſta ratio non poteſt attribui elementis; quæ ſicuti ſunt leuia, vel grauia, ita ſunt apta nata moueri motu recto, vel ſurſum, vel deorſum.

Secunda talis eſt. Luna eſt rotunda, ergo & aliæ Stellæ ſunt rotundæ. Conſequentia valet. Quia in ijs, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, quidquid per ſe competit vni Indiuiduo illius ſpeciei, competit omnibus Indiuiduis eiuſdem, & cum omnes Stellę ſint eiuſdem ſpeciei, propterea ex eo, quod Luna eſt rotunda, optime infertur, omnes alias eſse rotundas. Antecedens ab Ariſtotele manifeſtarur duobus modis.

Primo per ea, quæ communiter ab omnibus conſiderantur, ideſt ex figuris, quas Luna mutat ex augmento, & decremento.

Secundo per aſtrologicas obſeruationes, ex quibus patet, quod Solis eclypſes ſunt Lunares, ideſt arcuales. Incipit enim Sol obſcurari ſecundum arcualem figuram per interpoſitionem Lunę inter nos, & Solem, quod non contingeret, niſi Luna eſset ſphęricę figurę.

Hęc etiam ratio eſt propria Stellarum, nec tribui poteſt elementis, cum ſumpta ſit ex ſimilitudine, quę reperitur inter corpora cœleſtia, quę diuerſam habere naturam à naturis elementorum, Ariſto-

ſtoteles fusè monſtrauit in primo libro de Cœlo. Quapropter hęc accuſatio euaneſcit.

Accuſatio Trigeſima quinta.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia in capite decimotertio eiuſdem ſecundi libri de Cœlo, iuxta citationem Gaſsendi, ſępius repetit eaſdem Philoſophorũ opiniones circa cauſam quietis terrę. Igitur eſt reprehendendus, vt ſuperfluus.

Maffeus diſsentit, & reſpondet negando antecedens. Ratio autem negationis manifeſta fiet, ſi attente conſideremus ea, quę facit Ariſtoteles à contextu 78. vſque ad 89. incluſiue, in quibus textibus loquitur de ſententijs Veterum circà cauſam quietis terrę.

In textu 78. refert duas opiniones. Prima fuit Xenophanis Colophonij dicentis, cauſam quietis terrę eſse infinitam eius profunditatem, quatenus in parte inferiori radices habet in immenſum diffuſas. Secunda fuit Thaletis Mileſij aſserentis, terram ſuſtineri ab aqua, ſicut ab ea ſuſtinetur lignum.

In textu 79. improbat hanc ſententiam tribus rationibus.

In textu 80. aſſignat cauſam, ob quam inuentores prędictarum opinionum defecerunt.

In textu 81. affert aliam ſententiam ordine tertiam, quę fuit Anaximenis, Democriti, & Anaxagorę dicentium, hoc eſse tribuendum latitudini terrę. Huiuſmodi vero aſsertionem Ariſtoteles improbat tribus rationibus, quarum prima legitur in eodem textu 81.

In textu 82. habetur ſecunda ratio.

In textu 83., 84., & 85. continetur tertia, ita tamen, vt

In textu 85. prope finem ponatur quarta opinio, quę fuit Empedoclis aſserentis, ideo terram quieſcere, quia Cœlum ſua rapidiſſima conuerſione anteuertit eius motum, nec eam labi permittit, quemadmodum in vaſis aqua plenis accidere videmus, quę, ſi celerrime torqueantur in orbem, aquam effluere non ſinunt.

In 87. reprobat pręcipue ſolutionem Empedoclis, & incipiens in eodem textu refutare rationem, quam communiter aſſignant de motu terrę, tribus rationibus, adducit primam rationem.

In textu 88. affert ſecundam.

In textu 89. adducit tertiam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Ex quibus patet, Aristotelem non repetere sepe sepius easdem Veterum opiniones de causa quietis terræ, sed afferre diuersas.

Accusatio Trigesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia in capite 14., vt citat Gassendus, ratio illa tertia, qua suadet immobilitatem terræ, videtur eadem esse cum primo libro.

Masseus dissentit, & respondet negando, Aristotelem ob id esse dignum reprehensione. Quia fieri potest, vt ab eadem causa oriantur plures effectus, vnde sine absurditate huiusmodi causa poterit adhiberi ad illos demonstrandos, quemadmodum verbi gratia rationalitas in homine efficit capacitatem disciplinæ, admirationem, & risibilitatem. Similiter in igne à forma ipsius proueniũt summa caliditas, summa raritas, & summa leuitas. Sic igitur ex eo, quod totius, & partium eadem est latio ad eumdem locum, potest inferri vnitas Vniuersi, vt fecit Aristoteles in primo libro, & immobilitas terræ, vt facit in secundo, ideoque non est absurdum concedere, quod Aristoteles eadem ratione vsus fuerit in primo, & in secundo libro de Cœlo; cum illam adhibuerit in ordine ad manifestandos diuersos effectus.

Accusatio Trigesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem pluribus de causis.

Primo quia tertio Cœli capite primo, de generatione, & corruptione, vel intempestiue differit, vel ad hoc non fuerunt speciales libri destinandi.

Secundo quia ibidem disputat, continuum non componi ex indiuisibilibus, quod iam tamen præstitum fuerat in physicis, vnde superflue loquitur de eodem.

Tertio quia ibidem toties repetit illud argumentum, quo probat, punctum non posse esse graue, vt stomachum moueat.

Masseus dissentit, &

Quod primam causam accusationis respondet, Aristotelem nec intempestiue loco citato agere de generatione, & corruptione, nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

verum esse dicere, quod ad hoc non fuerint destinandi libri speciales. Namlicet Aristoteles non solum de generatione, & corruptione, sed etiam de quatuor vocatis elementis egerit in tertio Cœli, & in duobus libris de ortu, & interitu; non tamen ob id culpandus est; cum non sit absurdum pluries pertractare de eadem re; sub diuersis tamen rationibus, vnde cum Auerroe dicitur, tractationem de elementis, deque generatione, & corruptione habitam in tertio Cœli diuersam esse ab illa, quam Aristoteles fecit de ijsdem in duobus libris de ortu, & interitu.

Primo quia elementa in tertio Cœli expenduntur, vt partes Vniuersi. Verùm in libris de ortu, & interitu considerantur, vt partes, vel vt principia mixtorum.

Secundo quia in tertio Cœli expenditur generatio, & corruptio elementorum, quatenus sunt accidentia eorum essentialia, siquidem eiusdem scientiæ munus est contemplari subiectum, & accidentia propria subiecti, vndè Zabarella in suo tractatu de naturalis scientiæ constitutione capite 23. dicit, quod Aristoteles in libris de Cœlo considerat generabilitatem, & corruptibilitatem, vt proprietatem elementorum; non vero actualem eorum generationem, & corruptionem. Ibi vero, nempe in libris de ortu, & interitu loquitur de generatione, & corruptione, prout sunt effectus causati ab elementis.

Tertio quia in tertio Cœli considerantur elementa quo ad qualitates motrices, videlicet grauitatem, & leuitatem. In libris autem de ortu, & interitu, secundum alteratrices, caliditatem, & frigiditatem: humiditatem, & siccitatem. Cum ergo inter has duas considerationes elementorum, nec non ipsius generationis, & corruptionis tanta sit distinctio, & diuersitas, idcirco Aristoteles potuit absque vlla nota bis agere de his omnibus, ac proinde patet, ipsum non intempestiue, sed opportune fuisse locutum, & speciales quoque libros edidisse, in quibus agere potuit de elementis, deque generatione, & corruptione.

Quo ad secundam respondet dicendo, quod Aristoteles, non superflue, sed rationabiliter, & vtiliter eamdem repetit quęstionem de compositione continui ex indiuisibilibus. Etenim Suessanus in Commentario 5. contextus tertij libri de Cœlo eamdem excitat dubitationem dicens, quod si de his in 6. physicorum libro dictum est, superfluit hic eadem repetere. Ad hanc vero dubitationē respondet cum Auerroe dicens, hic non superfluere loqui de his, quoniam Aristoteles loquetur per rationes particulares, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

magis materiæ propinquas, quàm locutus fuerit in physicis. Quo ad tertiam respondet dicendo, mirum non esse, quod argumentum Aristotelis apud Gassendum stomachum moueat; cum stomachum habeat praue affectum. Apud illos autem, qui stomacho gaudent inculpate sano, non mouet stomachum, sed potius gustui mentis, & intellectus est suauissimum, quippe quod summopere confert ad tollendos errores, & ad veritatem percipiendam, quod vt perspicuum fiat, debemus expendere illos textus, in quibus ab Aristotele ponitur huiusmodi argumentum. Continetur autem in toto primo capite secundæ partis Sūmæ tertiæ, in quo sunt 10. textus considerandi.

In textu 8., à quo incipit prædictum caput, probat contra Platonem, corpora sensibilia non posse componi ex indiuisibilibus, seu ex punctis, & arguit sic.

Si corpora sensibilia componerentur ex indiuisibilibus, vel ex punctis, non possent habere grauitatem, aut leuitatem. Consequens est falsum, ergo & antecedens. Falsitas constat ex doctrina Democriti, & Platonicorum. Nam ille putabat, omnia corpora sensibilia grauitatem habere; hi vero aliqua, puta terram, & aquā. Consequentia deducitur ex eo, quod fieri non potest, vt ipsum totum sit graue, quando nulla pars illarum rerum, ex quibus componitur, grauitatem obtinet. Sed puncta grauitate carent, ergo si corpora sensibilia fiunt ex his, non poterunt habere grauitatē, vnde ad manifestandam vim huius argumenti, Aristoteles debebat ostendere

Primo quod puncta non habeant grauitatem.

Secundo quod nullum corpus graue potest confici ex non grauibus.

Primum probat tribus rationibus, quarum prima ponitur

In textu 9., & est huiusmodi.

Omne graue est diuisibile
Nullum punctum est diuisibile. Igitur
Nullum punctum est graue.

Maior ita suadetur.

Omne maius est diuisibile
Omne graue est maius, ergo
Omne graue est diuisibile,

Minorem ex eo dicit esse manifestam, quia omne graue est aliquo grauius, & omne leue est aliquo leuius, ideoque maius.

In textu 10. affertur secunda ratio, quæ talis est.

Puncta non possunt esse densa, neque rara, ergo non possunt esse gra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

grauia, neque leuia. Conſequentia colligitur ex eo, quia grauitas, & leuitas ſunt affectiones conſequentes denſitatem, & raritatem, quandoquidem corpora non ſunt grauia, aut leuia, niſi pro ratione denſitatis, & raritatis, vnde ad ſenſum patet, corpora denſiora eſſe grauiora, ſicuti magis rara ſunt magis leuia. Antecedens conſtat ex eo, quia denſum differt à raro, quatenus denſū plus habet materiæ; rarum vero minus, quo fit, vt denſum, & rarum ſint diuiſibilia in partes, quoniam id, quod plus, aut minus cohibet, neceſſariò conſtat pluribus, vel paucioribus partibus, in quas diuidi poſſit. Cum ergo punctum nullam diuiſionē admittat, non poterit eſſe denſum, neque rarum, atque ideo neque graue, neque leue.

In textu 11. ponitur tertia ratio, quę talis eſt. Omne graue, aut eſt durū, aut molle. Nam grauitas comitatur naturā terræ, vel aquæ. Illa eſt dura: hæc vero mollis; cum illa tangenti non cedat; hæc autem cedat. Atqui omne durum, aut molle eſt diuiſibile, quia non reſiſteret, neque cederet ipſi tangenti, niſi conſtaret ex partibus, quibus id præſtaret. Cum ergo punctum ſit indiuiſibile, debet eſſe deſtitutum duritie, ac mollitie, ideoque grauitate, ac leuitate.

In textu 12. probat ſecundum, nempe quod nullum graue poteſt componi ex duobus, vel pluribus, quorum nullum eſt graue; arguit autem ſic.

Si ex non grauibus poſſet fieri aliquod corpus graue, ſequeretur, aliquid ſimul, & ſemel eſſe, & non eſſe graue. Conſequens eſt falſum, quia implicat contradictionem, ergo & antecedens. Conſequentia deducitur tali pacto. Omne corpus, quod eſt aliquo grauius, ideo dicitur grauius, quia grauitate ſuperat id, quod eſt minus graue, ſiue quod eſt leuius, quemadmodum candidius appellatur, quod candore vincit illud, quod eſt minus candidum. Ponamus ergo, aliquod graue conſtare ex quatuor punctis (hoc enim admittit etiam doctrina Platonica) certe quod ex pluribus conſtabit, id grauius erit. Quare ſi conſtet ex quinque punctis, excedet grauitate molem illam, quæ coaleſcit ſolum ex quatuor punctis. Eam vero exuperantiam attulit illud punctum vnum, quod additum fuit, ergo ſi rurſus punctum illud auferatur, æque grauia manebunt, & quod grauius erat, ſublato vno puncto, reddetur minus graue, quàm prius fuerat. Igitur punctum vnū & affert, & aufert grauitatem, quo fit, vt neceſſario ſit graue. Sed, vt probatum eſt, punctum non poteſt eſſe graue. Igitur ſi ex non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

grauibus, qualia sunt puncta, componitur graue, idem erit graue, & non graue, quod fieri nullo modo potest.

In textu decimotertio affert secundam rationem aduersus positioné Platonis, contra quam primum protulit argumentum in textu 8., & argumentatur sic.

Si corpora sensibilia constarent ex superficiebus, apud nos extaret aliquod corpus naturale compositum quidem, sed non ex elementis (superficies enim non sunt elementa) quod tamen est inconueniés.

In textu 14. tertiam ponit rationem, quæ talis est. Vel corpora sensibilia differunt ab inuicem grauitate, ac leuitate, aut non; dicere, quod non differant, est aduersari rebus sensui manifestis; experimur enim, inter corpora naturalia vnum esse altero grauius, aut leuius. Si sic; cum constent superficiebus, lineis, & punctis, ab his debebunt accipere maiorem, vel minorem grauitatem, aut leuitatem, siue quia fiant ex pluribus, vel paucioribus superficiebus, siue quia fiant ex superficiebus grauioribus, aut leuioribus; hoc autem fieri non posse, patet ex prædictis. Iam enim ostensum est, superficies expertes esse grauitatis, & leuitatis.

In eodem textu 14. Aristoteles contra Platonem vtitur quarto argumento dicens quod, admissa doctrina Platonis, fieret, vt corpora sensibilia tandem resoluerentur in puncta, sicuti mediantibus lineis, & superficiebus, fiunt ex punctis, vnde post huiusmodi resolutioné, nulla superesset magnitudo diuisibilis in partes, quod tamen est contra rationem magnitudinis, quam dicunt Mathematici esse diuisibilem in semper diuisibilia.

In textu 15. affert quintam rationem, animaduertens, quod cum tempus eodem pacto se habeat ad instantia, quo corpora se habent ad superficies, & lineæ ad puncta, vt constat ex ijs, quæ 6. physicorum tradita sunt, sicut corpora secundum Platonem fiunt ex superficiebus, superficies ex lineis; lineæ vero ex punctis, ita quoque tempus componetur ex instantibus, vnde Aristoteles asserit, pari ratione posse colligi, auferendum esse tempus è rerum natura, si resoluatur in instantia, sicut paulo ante dicebatur de resolutione magnitudinum.

In textu 16., & 17. Aristoteles docet, sententiam Platonis de compositione corporum ex superficiebus esse similem positioni Pythagoræorum, ex qua eadem absurda sequi affirmat. Aiebant enim Pythagoræi, corpora, imo & naturam totam ex numeris constare. Hoc igitur ex eo refellit, quia elementa, & corpora mixta grauitatem, leuitatemque habent; quam tamen habere nullatenus pos-

ſunt, ſi conflantur ex numeris; cum numeri omnis grauitatis, & leuitatis expertes ſint, imo cum neque corpora continua ex ijs effici queant, ſi quidem ex vnitatibus non continuum, ſed diſcretum conſurgit.

Cum igitur ex omnibus prædictis liqueat, Ariſtotelem ſemper protuliſſe diuerſa, & non vno, eodemque argumento, vt falsò putauit Gaſſendus, ſed pluribus, varijſque rationibus vſum fuiſſe ad has duas concluſiones demonſtrandas, nempe. Corpora ſenſibilia ex punctis conſtare non poſſunt, & Puncta non poſſunt vllam habere grauitatem, aut leuitatem, non apparet, quomodo Gaſſendus potuerit Ariſtotelem accuſare, quod idem argumentum vſque ad nauſeam adhibuerit.

Accuſatio Trigeſima octaua.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem dicens, ipſum peccare, quod eodem tertio Cœli Summa 3. capite 2. repetat quæ toties iam dicta ſunt de motu naturali, & violento, ſeu præter naturam, itéque de graui, & leui.

Maſſeus diſſentit, & reſpondet negando, Ariſtotelem ob dictam cauſam peccare; potius autem errat Gaſſendus, qui numquam diſtinguit modum conſiderandi á re conſiderata, nec ſcit aliquando intelligere, non eſſe inconueniens, vnam, eamdemque rem ſub diuerſis modis, vel formalibus rationibus acceptam poſſe multoties expendi, vt fecit Ariſtoteles, iterum loquens loco citato de motu naturali, & violento, nec non de graui, & leui.

Defecit etiam Gaſſendus in eo, quod non oſtendit, cur Ariſtoteles deliquerit, prædicta repetendo, ſed id omnino gratis accepit. Quare ne nos etiam deficiamus, debemus probare contra Gaſſendum, quod Ariſtoteles iure optimo de prædictis hic verba faciat, quod quidem, perſpicuum fiet, ſi cum Sueſſano in ſuo Commentario capitis antea citati adducamus rationes, ob quas Ariſtoteles inductus fuit ad inquirendum nunc, an corpora naturalia motus habeant naturales, quorum gratia non potuit non expendere grauitatem. Huius itaque neceſſariæ tractationis Sueſſanus tres affert cauſas, quarum

Prima eſt. Quia, vt ait Auerroes, præſens intentio neceſſaria eſt ad demonſtrationem paulo ante factam contra Platonem, quoniá

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Aristoteles in ea accepit, omne corpus, quod recta mouetur, esse graue, aut leue. Modo hæc propositio non potest demonstrari, nisi declaretur, omne corpus naturale habere motum naturalem, & hac necessitate coactus Aristoteles transit ad hanc tractationem de motu naturali, & violento, nec non de grauitate, ac leuitate.

Secunda est. Quia, vt alij voluerunt, quidam circa istam intentionẽ Aristotelis errauerunt, & ideo vt veritas quæsiti appareat, oportet Aristotelem transire ad hanc intentionem.

Tertia est. Quia, vt putat Suessanus, Aristoteles demonstraturus est, quod grauitas, & leuitas sunt principia motuum naturalium; hoc autem declarare non potest, nisi præaccipiat, & explicet id, quod modo proposuit.

Addit autem Suessanus, quod sicuti iuxta secundã causam dictũ est, hac in re quidam errauerunt, ob id Aristoteles, quasi obiter eorum errorem remouere conatur.

Nec tollitur vis prædictarum rationum, si cum Gassendo dicatur, quod Aristoteles poterat se abstinere à repetendis ijs, quæ alibi tradidit de motu naturali, & violento, deque grauitate, ac leuitate, remittendo nos ad illas tractationes iam habitas.

Nam pro Aristotele respondetur, id non sufficere, quoniam aliquis obijcere potuisset, ea, quæ in alijs præcedentibus tractationibus in ordine ad aliam intentionem dicta sunt de motu naturali, & violento, nec non de grauitate, ac leuitate, fortasse accõmodari non posse ijs, quæ nunc ab Aristotele docenda sunt in ordine ad hoc, vt ostendat, grauitatem, & leuitatem esse principia motuum naturalium. Quare, vt pateat, illa eadem facere ad præsens institutum, repetenda fuerunt, ideoque Aristoteles non est reprehendendus.

Accusatio Trigesima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia tertio Cœli, vt citat Gassendus, vel iuxta nostram citationem, à textu 37. vsque ad textum 41. inclusiue, agit iam acta primo physicorum capite 4. contra infinitatem elementorum, seu principiorum; siquidem Anaxagoram, Democritum, & alios hic confutat sub nomine elementi, illic sub nomine principij, & ob id videtur esse accusãdus.

Maffeus dissentit, & respondet, ex modo, quo Gassendus accusat

Ari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Aristotelem, facile colligi modum, quo cuique integrum erit Aristotelem ab huiusmodi accusatione vindicare. Gassendus enim dicit, quod Aristoteles Anaxagoram, Democritum, & alios hic confutat sub nomine elementi, illic, nempe in primo physicorum sub nomine principij, sicque significat diuersitatem, quæ reperitur inter has duas tractationes de elementis. Reuera enim in primo physicorum expenduntur sub ratione principij (vt ait etiam Gassendus) quod significat respectum, & habitudinem ad principiatum. Hic autem sumuntur elementa quatenus habent locum subiecti (vt docet Zabarella in quæstionibus naturalibus de naturalis scientiæ constitutione capite 23.) quod denotat quid absolutum, vnde patet, Aristotelem non agere hic, quod egit in primo physicorum. Nam ibi considerauit infinitatem elementorum, tamquam principiorum: hìc vero tamquam subiecti.

Non obstat, quod Aristoteles tertio Cœli textu 30. proponat inquirendas causas generationis corporum mixtorum, & has dicat esse ipsa elementa, vnde videtur innuere, se agere de elementis cum respectu; non autem absolute.

Nam ad hoc respondetur cum Zabarella loco citato, animaduertendo, quod aliud est considerare hanc proprietatem quatuor simplicium corporum, scilicet esse aliorum elementa, & aliud est considerare simplicia corpora, vt aliorum elementa. Illud pertinet ad libros de Cœlo, vbi simplicia corpora locum habent subiecti, & propterea considerantur absolute. Hoc autem spectat ad libros de generatione, & corruptione, in quibus considerantur, vt principia mixtorum, vel etiam ad primum physicorum, vbi expenduntur, vt principia generationis in communi. Sic ergo infinitas in elementis potest considerari duobus prædictis modis, videlicet, vel in elementis, vt in subiectis, vel vt in principijs, vnde Aristoteles non semper agit idem, saltem quo ad modum considerandi.

Accusatio Quadragesima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia in eodem 3. Cœli caput 5., iuxta citationem Gassendi, & iuxta nostram, caput tertium quintę Summę rursus est tautologicum primi physici contra principij vnitatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus diſsentit, & reſpondet negando, prædictum caput eſſe tautologicum, quia primo phyſicorum Ariſtoteles hac tantum ratione vſus eſt ad reprobandam vnitatem principij, vt patet ex textu 50. illius libri videlicet.

Principia ſunt contraria, ergo ſunt plura vno. Nunc autem aliis vtitur argumentis ad oſtendendum, principia generationis non poſſe eſſe vnum.

Etenim aduerſus opinionem quorumdam aſſerentium, corpus medium inter aquam, & aerem; illa quidem rarius; hoc autem craſſius, eſſe principium generationis rerum, & exiſtimantium, res ipſas fieri ex illo corpore medio per denſitatem, & raritatem, illud obijcit, quod ex ea ſequeretur, omnia conſiſtere in reſpectu ad alterum, & quæcumque ſunt, eſſe relata; cum denſum, & rarum, ſicut magnum, & paruum dicant reſpectum. Contra ſententiam illorum, qui pro principio acceperunt ſolum ignem. Vel quia ignis pyramidalem habet figuram, vnde ſicut hæc acutiſſime ſecat, ita & ille inter omnia corpora facillime penetrat, ac diuidit. Vel quia ex ſubtiliſſimis, atque indiuiduis partibus conſtat, ex quibus in vnum coeuntibus, res fiunt, inſurgit Ariſtoteles.

Primo quia ſicut pars pyramidis non eſt pyramis, ita pars ignis non eſſet ignis, ſi quidditas ignis poſita eſſet in figura pyramidali.

Secundo quia cum elementa corporum compoſitorum ſint corpora (corpus enim non fit ex non corpore, ſicuti non fit ſubſtantia ex non ſubſtantia) idcirco neceſſarium eſt, vt ſicuti corpora compoſita ſunt diuiſibilia ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ita etiam ignis debeat eſſe diuiſibilis.

Tandem argumento communi vtramque ſententiam inficiatur ſic. Si omnium corporum eſſet idem eſſentiale principium, nempe vnum elementum, quodcumque illud ſit, ſane omnium corporum eſſet vna, & eadem natura, vnde oporteret, vnum, & eumdem eſſe motum, qui conſequitur naturam; cum tamen ad ſenſum pateat, corpora grauia, & leuia diſtingui motibus. Plura ergo debent eſſe elementa, non vnum.

Cum itaque Ariſtoteles primo phyſicorum vnam dumtaxat rationē attulerit ad remouendam vnitatem principij, eamque in tertio Cœli non adduxerit, ſed alijs, ijſque valde à prædicta ratione diuerſis vſus fuerit argumentis, ad ipſam refellendam, plane conſtat, nullam ab eo tautologiam fuiſſe commiſſam, vt ſomniauit Gaſſendus.

Ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quadragesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem, Quia quarto Cœli per totum in eo tantum laborat, vt repetat doctrinam de grauitate, ac leuitate, vnde plura superfluere videntur. Capite primo definiuerat, quid esset graue, ac leue simpliciter, capite 4. rursus definit, & quidem pluribus modis.

Maffeus dissentit, & respondet, Aristotelem in quarto libro de Cęlo agere solum de graui, & leui, quia hic vult elementa considerare, quatenus mobilia sunt motu recto, qui conuenit illis propter grauitatem, & leuitatem, saltem tamquam propter principia proxima, & instrumentalia. In hac vero tractatione de graui, & leui nihil ab Aristotele dictum esse, quod superfluum sit, facile innotescet, si assertionem Gassendi sedulo perpendamus.

Itaque Gassendus ait, Aristotelem in primo, & in quarto capite, vt ipse citat, vel iuxta nostram citationem in secundo capite primæ Summæ, nec non in primo capite Summæ tertiæ definit graue, ac leue pluribus modis, vnde videtur superflue ista definire.

Ad hanc respondetur dicendo, quod Aristoteles defecisset, siue mancus, ac diminutus fuisset, si graue, ac leue non definiuisset pluribus modis, tantum abest, vt accusari debeat, quod hoc pręstiterit. Etenim, vt videre est apud Auerroem, Suessanum, & D. Th., graue, ac leue possunt definiri duobus modis, videlicet. Vel per motum. Vel per quietem.

Primo modo accepta definita fuerunt in textu 6., ita vt graue simpliciter sit illud, quod fertur deorsum, siue ad medium. Leue autem simpliciter sit illud, quod fertur sursum, siue ad extremum, siue à medio.

Secundo modo sumpta definita fuerunt in textu 26. ita, vt graue simpliciter sit illud, quod subsidet omnibus; leue autem, quod omnibus supereminet.

Si quæratur. Propter quid Aristoteles non satis habuerit definire graue, ac leue primo modo tantum? Respondetur. Quia vidit, primam definitionem non esse ita perfectam, & aptam ad explicandam naturam grauis, & leuis, vt est altera definitio; hanc enim esse meliorem prima iuxta Interpretes Aristotelis antea citatos, ostenditur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Primo quia graue, ac leue magis comparantur secundum suam essentiam ad esse, ideoque ad quiescere in suis locis, quàm ad moueri ad illa. Nam esse graue, aut leue nihil aliud est, quàm esse deorsum, aut esse sursum. Moueri autem ad sua loca, quodammodo accidit eis, quia grauia, & leuia in actu non mouentur, nisi prout sunt in potentia ad locum sursum, vel deorsum, quod accidit eis per prohibens.

Secundo quia vnumquodque secundum essentiam comparatur magis ad proprium finem, quam ad viam ad ipsum. Sed grauia, & leuia per se habent pro suo proprio fine quietem in suis locis, ad quam refertur motus eo modo, quo via refertur ad terminum, ergo graue, ac leue magis essentialiter, & verius comparabuntur ad quietem in suis locis, quàm ad motum ad illa, ideoque verior, & perfectior erit eorum definitio data per quietem, vt est secunda, quàm data per motum, vt est prima, proinde Aristoteles non est superfluus in assignandis huiusmodi definitionibus.

Accusatio Quadragesima secunda.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia ibidem est ingens, & permolesta tautologia de eo, quod est sursum, quod supereminet, quod fertur ad extremum. Item quod terra sit solummodo grauis. Ignis tantummodo leuis. Aqua, & Aer, vtrumque. Demum quod terra, aqua, & aer grauitatem habeant in suis regionibus. Vno verbo, in hoc toto libro agitur solum de graui, & leui.

Maffeus dissentit, & respondet negando, in prædictis verbis esse aliquam tautologiam. Quia in illis non est repetitio eiusdem sententiæ per alia, & alia verba, quæ, vt sæpe diximus, designatur per tautologiam. Nam prædicta verba referuntur ad diuersa, & vnumquodque illorum habet proprium sensum. Etenim per ferri sursum significatur moueri à medio, quod est commune omni leui, tam simpliciter, quàm secundum quid, siue cum respectu. Per ferri ad extremum denotatur, illud moueri à medio, quod conuenit soli leui simpliciter dicto, vt optime docet Suessanus in suo Commentario, idque ab Aristotele additum fuit ad differentiam leuis secundum quid, siue in respectu, quod mouetur quidem sursum; non tamen ad extremum. Per illud verbum. *Quod*

super-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

supereminet, designatur secunda definitio leuis tradita per quietem, quæ, vt prediximus, differt à priori definitione assignata per motum. Idemque dicatur de hac definitione grauis, nempe. Est illud, quod subsidet omnibus. Cum ergo prædictis verbis non repetatur idem, sed repræsentetur quidpiam diuersum, nulla in eis potest esse tautologia.

Ad id vero, quod subdit Gassendus, dicens, Aristotelem repetere multoties, quod terra sit solummodo grauis. Ignis tantummodo leuis. Aqua, & Aer, vtrumque.

Maffeus respondet dicendo, id minime absurdum esse, si adsit aliqua ratio, propter quam ita fieri debeat, quemadmodum Aristotelem illud non sine causa fecisse patebit, si breuiter percurramus illos textus, in quibus talia protulit.

In textu 9. reprehendere volens opinionem Platonis, qui nullam de corpore simpliciter graui, & leui mentionem fecit; cum tamen hæc cæteris priora sint secundum naturam, debuit insinuare, prę- ter grauius, & leuius, dari quoque grauissimum, & leuissimum, & ob id asseruit, ignem esse leuissimũ; terram vero esse grauissimã.

In textu 26., & 27., vt ex propria sententia explicet graue, ac leue simpliciter, nec non secundum quid, vel in respectu, adhibet pro exemplis terram, & ignem, aquam, & aerem.

In textu 29. terram docet vbique grauitatem habere, aquam autẽ vbique, præter terram; aerem vero, præterquam in aqua, & in terra, quia ibi loquebatur de grauitate, ac leuitate mixtorum corporum, quam a simplicibus corporibus mutuantur, vnde fit, vt quædam corpora non vbique paria pondera habere videantur, nimirum ob diuersitatem simplicium, vnde Aristoteles patefacere volens hanc diuersitatem simplicium, prædictam protulit assertionem.

In textu 31., vt placet Suessano, Aristoteles volens excusare seipsũ, quod non prætulerit quæstionem, an sit graue, ac leue simpliciter quæstioni quid sit, ait, manifestum esse, quod est aliquid simpliciter graue, ac simpliciter leue, sicque in textu 32., & 33. prosequens huius rei explicationem, declarat, quæ sint simpliciter grauia, quæ simpliciter leuia, & quæ in respectu, idque in ordine ad quæstionem, an sit.

In textu 34. 35. & 36. meminit de ijsdem, sed in ordine ad causam, ob quam in rerum natura dari debent huiusmodi corpora, nempe graue, ac leue simpliciter, & etiam in comparatione.

Am-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Amplius autem ad id, quod dicit, nimirum Aristotelem docere, quod terra, aqua, & aer grauitatem habent in suis regionibus, quasi vel hoc tradere sit superfluum, vel sit à veritate alienum.

Maffeus respondet, hoc non esse superfluum, & esse veritati consentaneum.

Ratio primi est. Quia cum superius loquens de medijs elementis, affirmauerit, ea esse partim grauia, & partim leuia; cumque graue, ac leue non solum fuerint definita per motum, sed etiam per quietem in suis locis, propterea par erat, vt Aristoteles declararet, quomodo se habeant elementa media quo ad grauitatem, & leuitatem, quando sunt, & quiescunt in suis locis, ob id Aristoteles non sine ratione docet, elementa intermedia in suis regionibus habere potius grauitatem, quàm leuitatem.

Ratio secundi est. Quoniam Aristoteles hoc probat à signo, siue indicio quodam desumpto ex eo, quod si subtrahantur ipsis illa elementa, quæ sunt eis subiecta, descendunt, vt si subtrahatur terra substans aquę, aqua deorsum venit, & similiter ablata aqua quæ subsidet aeri, aer descendit, vnde patet, illa grauitatem habere; cum sit proprium grauis moueri deorsum. Cum itaque Aristoteles id non solum pronunciauerit, sed etiam confirmauerit, idcirco de veritate prædictæ assertionis minime dubitandũ est.

Denique ad id, quod postremo loco adducit Gassendus dicens, in eo toto libro agi solum de graui, & leui, responsio satis constat ex dictis in responsione ad accusationem 41.

Accusatio Quadragesima tertia.

Gassendus accusat Aristotelem. Quia primo Cœli capite secundo dicit, omnem motum simplicem, aut rectum esse, aut circularem, ob duplicem magnitudinem. At vero tamen nonne linea elix simplex etiam est, vel ex Archimede, & alijs?

Maffeus dissentit, & respondet animaduertendo, quod cum hæc accusatio contineat illam eamdem dubitationem, quam excitat D. Th. in Commentario sexti contextus primi libri de Cœlo, propterea, vt respondeatur, sat erit vti proprijs verbis D. Th., quæ comprehendunt dubitationem, eiusque solutionem. Itaque D. Th. loco citato ita loquitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Item videtur esse falsum, quod solæ sint duæ magnitudines simplices, scilicet recta, & circularis. Elix enim videtur esse vna linea simplex, quia omnis pars eius est vniformis, & tamen linea elica nec est recta, nec est circularis.

Sed dicendum, quod elix, si quis eius originem consideret, non est linea simplex, sed mixta ex recta, & circulari; causatur enim elix ex duobus motibus imaginatis, quorum vnus est lineæ circumeuntis columnam, alius est puncti moti per lineam; si enim vterque motus simul, & regulariter perficiatur, constituetur linea elica per motum puncti in linea mota. Quare cum linea elix non sit simplex, sed mixta, vt ait D. Th., Aristoteles recte dixit, duas esse simplices magnitudines, ac proinde duos simplices motus.

Accusatio Quadragesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia videtur falsum, quod definit motum circularem, qui est circa medium: rectum, qui à medio, aut ad medium. Quasi vero per circini circulum describens, aut globus etiam circa proprium, & immobilem axem non moueatur circulariter. Et quia id forte intelligi voles de motibus naturalibus. Nonne Planetarum motus in epyciclis naturales sunt? Non sunt tamen circa terram, seu Aristotelicum medium. Vt taceam, inquit Gassendus, posse dari motum, qui rectus sit, in transuersum.

Maffeus dissentit, & animaduertit, huiusmodi accusationem diuidi posse in duas partes.

In prima Gassendus aduersus Aristotelem conatur ostendere, motum circularem non esse ab eo bene definitum dicendo, ipsum fieri circa medium.

Primo quia qui describit per circulum circini mouetur circulariter; non tamen circa medium.

Secundo quia globus circulariter mouetur circa proprium axem immobilem, ideoque non circa medium.

Tertio quia motus naturales Planetarum in epyciclis non sunt circa terram, vel circa medium Aristoteleum.

In secunda nititur demonstrare, non recte definitum esse motum rectum dicendo, esse illum, qui fit à medio, aut ad medium. Instat enim, obijciendo, posse dari motum rectum in transuersum.

Maf-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus ergo quoad instantias à Gassendo adductas in prima parte circa motum circularem, respondet

Primo, quod Aristoteles iuxta suam primariam intentionem respicit illos simplices motus, qui competunt simplicibus corporibus, tamquam partibus essentialibus Vniuersi, vel Mundi, de quibus agere intendit, vt satis patet ex verbis ab eo prolatis in principio Summæ quartę primi de Cœlo. Cum enim in calce Summæ secundæ, ac tertiæ manifestasset perfectionem Vniuersi dicens. *Ipsum autem omne, cuius hæ partes sunt, perfectum necesse est esse, & quemadmodum nomen ipsum significat, omniquaque, & non hac quidem, hac autem non &c.*; postea in initio Summæ 4. profitetur, & pollicetur, se acturum esse de partibus eiusdem Vniuersi, dum ait. *De ijs autem quæ secundum speciem ipsius partes sunt, nũc dicamus, hoc facto principio &c.* Oportet ergo definitionem motus circularis, præcipue iuxta mentem Aristotelis referre ad corpora cœlestia, quæ sunt partes Mundi, & quæ propterea mouentur circa medium ipsius Mundi, adeo vt moueri circa medium Vniuersi tribui debeat cœlestibus corporibus, provt sunt partes ipsius, vnde non solum excluditur describens per circini circulum, de quo falsum est dicere, quod sit pars Vniuersi, sed etiam globus, qui mouetur circulariter circa proprium axem immobilem; hoc enim non conuenit illi, vt est pars Vniuersi, sed in particulari, & secundùm seipsum considerato.

Secundo quod ex Commentario D. Th. super 6. contextum primi de Cœlo satis superque colligi potest, quid respondendum sit ad id, quod tertio loco afferebatur á Gassendo de motibus naturalibus Planetarum in epyciclis. Quare sufficiet propria eius verba referre, quæ sunt ista.

Sed videtur secundum hoc, quod non omnia corpora cœlestia circulariter moueantur. Nam secundum Ptolæmeum motus Planetarum est in eccentricis, & epyciclis, qui quidem motus non sunt circa medium Mundi, quod est centrum terræ, sed circa quædam alia centra.

Dicendum, quod Aristoteles non fuit huius opinionis, sed existimauit, quod omnes motus cœlestium corporum sunt circa centrum terræ, vt ponebant Astrologi sui temporis: postmodum autem Hyparcus, & Ptolæmeus adinuenerunt motus eccentricorum, & epyciclorum ad saluandum ea, quæ apparent sensibus in corporibus cœlestibus. Vnde hoc non est demonstratum, sed suppositio quædam (si tamen hoc verum sit) nihilominus omnia corpora cœlestia mouentur circa centrum Mundi secundum motum diurnum, qui est motus supremæ sphæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ræ reuoluentis totum Cælum. Ex his autem verbis D. Th. deducuntur duo modi defendendi Aristotelem.

Primus est, secundum quem dicere possumus, quod sicuti Aristoteles egit, & verum nobis tradidit de ordine Planetarum secundum Astrologiam, siue secundum vnanimem consensionem Astrologorum sui temporis, ita nunc de motu Planetarum circa medium Vniuersi loquitur iuxta sententiam, & doctrinam Astrologorum sui temporis hoc idem asserentium, & ideo non est redarguendus; cum docuerit quod veritati consonum est.

Secundus est, secundum quem dicere possumus, Aristotelem respicere motum diurnum, qui revera fit circa medium Vniuersi; motus vero Planetarum in epyciclis est diuersus à motu diurno Cœlorum, unde quamvis concedamus, hunc non fieri circa centrum terræ; satis tamen est pro defensione Aristotelis, si sic fiat motus diurnus.

Maffeus insuper quo ad instantiam à Gassendo allatã in secunda parte contra definitionem ipsius motus recti, respondet dicendo, quod Aristoteles ipse in textu quinto suggerit nobis modum, quo ipsum facile tueamur. Nam quærit ibi, an præter prædictos simplices motus, detur aliquis alius? Respondet autem affirmatiue; datur enim motus ex vtrisque commixtus, qualis, iuxta mentem Alexandri, est motus animalium, qui fit inflexione, ac extensione membrorum animalium. Talis etiam est motus ille, qui fit ab anterius ad posterius, aut a dextro ad sinistrum.

Hinc patet responsio ad accusationem Gassendi aduersus Aristotelem, quæ videtur consistere in hoc argumento.

Datur motus rectus in transuersum, qui non est á medio, neque ad medium, ergo male ab Aristotele definitus est motus rectus, vt sit ille, qui vel fit á medio, vel ad medium.

Ad hoc enthymema respondetur, negando consequentiam. Ratio autem negationis est. Quoniam Aristoteles non definiuit quemcumque motum rectum, sed simplicem tantum. In argumento autem fit mentio de motu composito, vel mixto, qualis est motus factus in transuersum.

Accusatio Quadragesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia falsum est, quod capite 3. 4., & alibi sumit, probareque nititur, motum circularem non ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

habere contrarium. Quid enim, ait Gassendus, si duarum rotarum altera in Orientem, altera in Occidentem agatur, nonne dicentur cieri in partes contrarias, motibusque contrarijs?

Masseus dissentit, & respondet, solutionem huius difficultatis facile haberi posse per ea, quæ docet D. Th. in expositione textus 31., & 32. libri primi de Cœlo, vbi duo facit.

Primo refert, Ioannem Grammaticum contra rationem ibidem ab Aristotele adductam ad probandum, toti motui circulari non posse contrarium esse alium totum motum circularem, quia videlicet se inuicem impedirent, & sic alter eorum esset frustra, illud obijcere, quod eadem ratione in motibus rectis non esset contrarietas, quia contraria mobilia impediunt se inuicem.

Secundo docet posse obijci de motibus Planetarum, qui proprijs motibus mouentur ab Occidente in Orientem, ideoque videntur esse contrarij motui Firmamenti, quod mouetur motu diurno ab Oriente in Occidentem.

Ad primum respondet dicendo, quod non est eadem ratio inter motus rectos, & circulares.

Primo quia duo corpora mouentur contrarijs motibus rectis absq; eo, quod se inuicem impediant, quippe in motibus rectis non attenditur contrarietas, nisi secundum extrema linearum rectarum, puta secundum centrum Mundi, & circumferentiam eius. A centro autem ad circumferentiam duci possunt lineæ infinitæ, ita vt quod mouetur per vnam earum sursum, non impediat id, quod mouetur per aliam deorsum. Cæterum in motu circulari est eadem ratio contrarietatis in omnibus partibus circuli, vnde necessarium est, vt vtrumque mobile transeat per eadem loca circuli, atque ideo necesse est, motus circulares contrarios impedire se inuicem, quod non contingit in motibus rectis.

Secundo quia corpus, quod mouetur naturaliter motu recto, sicut est aptum natum corrumpi naturaliter, sic naturaliter est aptum natum impediri, vnde si impediatur, hoc non est frustra, quemadmodũ non est frustra, si corrumpatur. Corpus autem circulariter motum, est naturaliter incorruptibile, vnde non est aptum natum impediri, proinde si esset aliquid in natura impeditiuum ipsius, esset frustra, quod non est admittendum.

Ad secundum respondet dicendo, quod isti motus habent quidem aliquam diuersitatem ab inuicem, quæ designat aliquo modo diuersam naturam mobilium; non tamen ob id inter eos est aliqua

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

contrarietas, quippe huiusmodi diuersitas non est secundum terminos contrarios, sed secundum contrarias vias perueniendi ad eumdem terminum, quatenus videlicet Firmamentum à puncto Orientis mouetur ad punctum Occidentis per hemisphærium superius, & ad punctum Orientis per hemisphærium inferius. Planeta vero mouetur à puncto Occidentis ad Orientem per aliud hemisphærium. Moueri autem diuersis vijs ad eumdem finem, non facit in motibus contrarietatem, sed solum pertinet ad varium ordinem motuum, & mobilium, quia quod nobiliori via pertingit ad terminum est nobilius, quemadmodum est melior Medicus ille, qui efficaciori via sanitatem inducit. Ex his ergo, quæ loco citato docet D.Th. clara euadit responsio ad præsentem accusationem.

Accusatio Quadragesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia falsum rursus, & impium quod capite 10. aggreditur adstruere ingenerabilitatem, & incorruptibilitatem Mundi: solus præsertim, vt ipse testatur, aduersus omnes Antiquos. Nam genitum, inquit, omnes esse dicũt.

Maffeus dissentit, & respondet, Gassendum, vt sæpè solet, defecisse; cum nullo argumento monstrauerit, falsam, & impiam esse doctrinam Aristotelis ab eo traditam de in generabilitate, atque incorruptibilitate Mundi. Nam ipsam esse veram, clare constat potissimum ex illa ratione, quam indicat Aristoteles primo Cœli textu 95. 96. 97., & 98. Quia nimirum Vniuersum constat ex tota sua materia, vnde infertur, ipsum esse ingenerabile, atque ideo incorruptibile, quandoquidem generatio indiget aliqua præexistente materia, in quo differt à creatione, quæ fit ex nihilo. Sicut ergo ante Mundum nulla potest materia præexistere; cum totam in se includat (secus non diceretur Vniuersum) ita non potest dari generatio Mundi.

Quod autem non sit impia, deducitur ex eo, quia secus Ecclesia non permitteret, vt per tot sæcula permisit, & adhuc permittit, eam publice doceri, ac teneri.

Quod vero subdit Gassendus, Aristotelem solum contra omnes Antiquos id posuisse, non reddit Aristotelem reprehensione dignum, sed potius maiori gloria, & commendatione; cum alio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

rum errores detegere potuerit, & physice loquendo, veritatem adinuenire.

Accusatio Quadragesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem: Quia libro 2. capite 2. repetit errorem, quod motus cœlestis numquam cæperit. Idipsum etiam capite 3. videtur innuere, dum hoc modo loquitur. Nihil præter naturam sempiternum est.

Maffeus dissentit, & respondet, Gassendum potius in eumdem errorem semper incidere, dum sine vlla probatione audet asserere, quod Aristoteles docens, motum cœlestem numquam cæpisse, repetit errorem. Cum itaque Gassendus id nulla ratione confirmet, Maffeus nō tenetur pro Aristotele aliam afferre responsionē.

Accusatio Quadragesima octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 7. vult calorem, & lumen gigni à motu sphærarum, attrito aere. Hoc autem quis capiat?

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod optime capiunt Conimbricenses, Suessanus, Auerroes, & præ cæteris D. Th., qui tam sublimi fuit ingento, vt prima etiam Veritas eum de seipsa bene scripsisse testata sit. Cum igitur omnes Interpretes Aristotelis prædictam assertionem tamquam veritati consentaneam sine vllo labore intellexerint, vt apud eos videre est in explicatione textus 42. libri 2. de Cœlo, nihil profecto est, cur Gassendus exclamet, ac dicat. Hoc autem quis capiat?

Accusatio Quadragesima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 8. refert scintillationem inerrantium, & vertiginem orientis, occidentisque Solis ad longitudinem, seu distantiam, quod & in Analyticis asseruerat. Hoc autem subsistere non posse declarabitur suo loco.

Maf-

Maffeus dissentit, & respondet, tunc se responsurum, quando à Gassendo probatum fuerit, hoc non posse subsistere. Interea non potest alio modo respondere, nisi negando quod gratis accipit Gassendus dicens, hoc non posse subsistere.

Accusatio Quinquagesima.

Gassendus accusat Aristotelem. Quia capite 9. Pythagoræos taxat circa cœlestem harmoniam; cum tamen constet, illos sonoram noluisse intelligere.

Maffeus dissentit, & respondet, se velle magis credere Suessano, & D. Th., qui tenent oppositum eius, quod protulit Gassendus, idque aperte significant propria verba, quibus prædicti Auctores eximij vtuntur in expositione textus 52. lib. 2. de Cœlo.

Suessanus enim ita loquitur. *Quia sonus ex motu proficiscitur, vt in libro de anima est explicatum, post tractatum de Stellarum motu, restat disputare, an Stellæ suis lationibus sonos efficiant. Nam sũt qui dicunt, illas & efficere sonos, & harmonicos, veluti Pythagoræi, atque vulgus putant, qui Angelos citharis, & canticis beari coram Deo autumant. Mouebantur autem Pythagoræi loco à minore, & argumento à causa, ipsius soni. Loco quidem à minore, quia videmus, corpora, quæ hic adsunt, mole parua, celeritate lenta sonos edere, quanto magis illa, quæ & mole, & magnitudine hæc excellunt. Argumento vero à causa ipsius soni. Nam sonus è motu impetuoso proficiscitur, accedente ad illius magnitudinem & corporum mole, & motuum celeritate. Modo Stellæ & multitudine, maxime illæ octaui, & mole, & celeritate nimis valent, quæ res docet, in eis effici sonum, & valde grandem.*

Insuper D.Th. ait. *Postquam Philosophus determinauit de motu Stellarum, hic determinat de sono earum, qui est effectus motus localis, vt dicitur in 2. de anima textu 78. Dicit ergo, manifestum esse ex ijs, quæ dicta sunt, scilicet quod Stellæ non moueantur. Quod si quis dicat, quod ex motu earum accidit harmonia, idest sonus harmonicus, tamquam soni Stellarum sibi inuicem consonent, leuiter loquitur, idest sine ratione sufficienti, & superflue &c.*

Huc accedunt etiam Conimbricenses, quorum verba ibidem sunt ista. *Reprehendit hoc loco dogma Pythagoræorum, existimantium, impulsu, motuque Astrorum sonum modis temperatum, & concentum quemdam effici &c.*

 Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Cum ergo ex his pateat, Pythagoræos fuisse locutos de harmonia causata ex sonis, non est adhibenda fides Gassendo affirmanti, eos non intellexisse sonoram.

Accusatio Quinquagesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 10. concedit, Orbium semper esse velociores motus, quo magis illi distant à Mobili primo. At vero Solis, Veneris, & Mercurij eadem est conuersio, videlicet annua.

Neque recurrendum est tibi ad motus in epicyclis. Nam superiorum Planetarum quo quisque est remotior à Mobili primo, eo tardius absoluit motum in suo epicyclo.

Maffæus dissentit, & respondet, pro solutione huius instantiæ attente considerandam esse doctrinam D. Th. in commentario textus 58. lib. 2. de Cœlo, vbi docet, animaduertendum esse.

Primo quod in Vniuerso reperitur duplex natura, videlicet natura sempiternæ permanentiæ, quæ est maxime in substantijs separatis. Et natura generabilis, & corruptibilis, quæ est in corporibus inferioribus.

Secundo quod, cum corpora cœlestia sint media, participant aliquo modo de vtroque secundum duos motus. Nam primus motus, qui est diurnus, est causa sempiternæ durationis in rebus; secundus vero motus, qui est in circulo obliquo ab Occidente in Orientem, est causa generationis, & corruptionis, aliarumque transmutationum, vt patet per Aristotelem in secundo de generatione textu 56.

Tertio quod primum mobile, tamquam propinquissimæ, ac nobilissimæ naturæ in substantijs separatis, habet solum primum motum, qui pertinet ad naturam vniformitatis. Alia vero corpora cœlestia, prout magis recedunt à substantijs immobilibus, appropinquando substantijs generabilibus, & corruptibilibus, participant aliquid illius motus, qui pertinet ad naturam non vniformitatis, & tanto minus, quanto corpus est superius, & nobilius.

Quarto quod ex dictis sequitur, Planetas hoc ordine dispositos esse, vt superior, qualis est Saturnus, minime habeat de secundo motu, propter nobilitatem suæ naturæ, vnde hic motus in eo est tar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tardior. Luna vero propter propinquitatem suæ naturæ ad corpora generabilia, & corruptibilia, plurimum participat de secundo motu, qui est in ea velocissimus. Medij autem Planetæ medio modo se habent. Nam Iuppiter, qui est immediate sub Saturno, peragit circulum suum proprio motu circa 12. annos. Mars vero, circa duos. Sol, Venus, & Mercurius fere vniformiter, scilicet per annum.

Quinto quod non oportet, proportionem velocitatis esse secundũ proportionem distantiarum. Quia motus cœlestes non sunt naturales, sed etiam voluntarij, & propter finem desideratum, & ideo, quatenus motus illi sunt naturales, hoc habent commune inter se, vt superiores Planetæ sint motus tardioris; quatenus autem sunt voluntarij, variatur proportio velocitatis eorum in speciali, non secundum proportionem distantiæ, sed secundum id, quod melius est, vnde quia motus Veneris, & Mercurij, quasi colligantur motui Solis, vtpote illi deseruientes ad productionem sui effectus, propterea quasi vniformiter cum ipso mouetur.

Sexto quod assertio Aristotelis asserentis, supremam sphæram plus præualere in supremum Planetam, & minus in remotum, non debet intelligi secundum aliquam coarctationem, sed secundum naturalem impressionem, quatenus videlicet, naturam superioris magis participat id, quod est ei propinquius, quàm quod est ab eo remotius.

Septimo quod licet vterque motus, nempe diurnus, & qui est in proprio circulo, sit ipsi Planetæ naturalis; tamen motus diurnus est ei naturalis secundum id, quod est dignius in sua natura, & ideo solum secundum istum motum saluatur principium Aristotelis dicentis, quod corpus maius velocius mouetur, sicut & in homine, in quo est natura sensitiua, & intellectiua dicimus, quod quanto homo est dignior, tanto magis habet de motu dignioris naturæ, scilicet intellectiuæ; minus autem de motu naturæ indignioris, videlicet sensitiuæ.

Accusatio Quinquagesima secunda.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 12. Solem, & Lunam vsurpat, quasi errantium infimos; cum tamen constet, Solem non occurrere immediate supra Lunam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus dissentit, & respondet argumentando sic.

Aristoteles loquens de ordine Planetarum non errauit ponendo Solem immediate supra Lunam, ergo non est accusandus. Consequentia est adeo nota, vt nulla egeat probatione. Antecedens ita probatur.

Aristoteles loquens de ordine Planetarum se remisit ad Astrologiam sui temporis, ergo non errauit, ponendo Solem immediate supra Lunam. Antecedens constat ex verbis ab ipso Aristotele pronunciatis in contextu 57. libri secundi de Cœlo, vbi ait.

De ordine autem ipsorum, quo quidem modo singula disponantur, vt quædam sint priora, quædam vero posteriora, & quomodo spacijs se habent ad se inuicem, ex ijs, quæ circa Astrologiam, considerctur. Dicitur enim sufficienter.

Consequentia deducitur ex eo, quod tempore Platonis, & Aristotelis ab Astrologis communi calculo receptum erat, Planetas esse ita dispositos, vt Sol prope Lunam collocaretur, idque, ne gratis dictum videatur, Maffeus confirmat apertissimo D. Th. testimonio, qui super textum 60. eiusdem secundi de Cœlo ait.

Circa primum tria consideranda sunt ad intellectum huius dubitationis, quorum primum est, quod Aristoteles alium ordinem videtur assignare Planetarum, quàm Astrologi nostri temporis. Nostri enim Astrologi supremum Planetarum dicunt esse Saturnum, post quem posuerunt Iouem, tertio loco Martem, quarto Solem, quinto Venerem, sexto Mercurium, septimo Lunam. Astrologi autem, qui fuerunt tempore Platonis, & Aristotelis, mutauerunt hunc ordinem quantum ad Solem, ponentes eum immediate supra Lunam sub Venere, & Mercurio, quam positionem hic Aristoteles sequitur. Sed Ptolæmeus postea hunc ordinem correxit, ostendens, verius esse, quod Anaxagoras inducit, quem etiam Moderni Astrologi sequuntur. Hæc sunt omnia propria verba D. Th., quæ loco citato adducit.

Cum igitur Aristoteles egerit de ordine Planetarum iuxta sententiam receptam vnanimiter ab Astrologis sui temporis, & cum isti posuerint Solem immediate supra Lunam, certe apparet, Aristotelem non errasse, ideoque non esse dignum reprehensione; cum dixerit verum, siquidem tunc apud omnes Astrologos verum erat affirmare, Solem esse prope Lunam.

Accu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quinquagesima tertia.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite quarto docet, partes terræ ferri per accidens ad centrum terræ: per se ad centrũ Vniuersi. At hoc tamen ex aliàs dicendis conuincetur admodum falsum. Vt taceam, inquit Gassendus, quod suo loco euincere conabimur, moueri terram, esseque extra centrum Vniuersi, contra quam hic adstruitur.

Maffeus dissentit, & respondet, quod, cum in sua Præfatione contraxerit suas responsiones ad hæc tantum tria opera, quæ publicè interpretatur, nempe ad octo libros physicorum, ad quatuor de Cœlo, & ad tres de anima; cumque in nullo ex his à Gassendo probatum sit, falsum esse dictum Aristotelis asserentis, partes terræ ferri per accidens ad centrum terræ, per se vero ad centrũ Vniuersi, propterea non potest manifestare, rationes Gassendi aduersus Aristotelem nullius esse momenti, sed hoc opus relinquit præstandum ab ijs, qui reliquos Aristotelis libros interpretantur, si forte in aliquo eorum Gassendus sua proposuerit argumenta.

Accusatio Quinquagesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 3. capite primo repetit illam impietatem. Aliud ex alio corpus fieri est possibile, vt ex aere ignem: omnino autem ex nulla alia præexistente magnitudine, est impossibile.

Maffeus dissentit, & respondet negando, impium esse dictum Aristotelis repetentis, aliud ex alio corpus fieri posse, vt ex aere ignẽ: omnino autem ex nulla alia præexistente magnitudine fieri non posse. Nam D. Th. in Commentario textus 29. tertij de Cœlo, in quo continetur assertio prædicta, postquam exposuit, & recepit vt veram huiusmodi doctrinam Aristotelis, subiungit hæc verba.

Nec etiam probatio Philosophi est contra sententiam fidei nostræ, qua ponimus, totam vniuersitatem corporum de nouo incæpisse: quia non ponimus præexistere locum, quod hic Philosophus supponit, neque ponimus generationem corporum ex eo, quod est in potentia, sed per creationem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Quinquageſima quinta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia non videtur verum, illud, quod vi mouetur, infinitum facere motum. Peripatetici quippe videntur commune illud dictum probare. Nullum violentum durabile.

Maffeus diſſentit, & reſpõdet, Gaſſendũ nõ accipere infinitũ eo modo qui ſumitur ab Ariſtotele: nã Ariſtoteles accipit infinitũ in ordine ad velocitatẽ, vt patet ex interpretatione Sueſſani ſuper textũ 27. tertij de Cœlo, vbi habetur aſſertio prædicta. Nam Sueſſanus ait. *Hactenus probauit, quod corpus, neque graue, neque leue non poteſt recto motu naturaliter moueri: at nunc probat, quod nec motu violento moueri poteſt, & breuis ratio eſt, quia ſi moueretur vi, infinitum efficeret motum, id eſt moueretur motu infinitæ velocitatis.* Cæterum Gaſſendus intelligit motum infinitum in ordine ad durationem, vt conſtat ex obiectione, quam affert dicens, Peripateticos admittere illud commune dictum. Nullum violentum durabile. Cum ergo Ariſtoteles dicens. Motum infinitum, non ſignificauerit motum infinitæ durationis, vel perpetuum (ſic enim non poſſet eſſe violentus, quippe nullum violentum eſt perpetuum) ſed infinitæ velocitatis, apparet, accuſationem Gaſſendi non facere ad rem.

Accuſatio Quinquageſima ſexta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia libro 4. capite primo videtur immerito Antiquos taxare, quod graue, & leue reſpectiue accepiſſent. Sed hoc fuſius erit oſtendendum, cum de elementis diſputabitur.

Maffeus diſsentit, & reſpondet, accuſationem Gaſſendi nullam reſponſionem admittere; cum ſolum aſſerat, nulla vero ratione confirmet, Antiquos eo loco ab Ariſtotele immerito taxari, quod locuti ſint ſolum de graui, & leui reſpectiue.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quinquagesima septima.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 3. videtur & immerito propter illud reprehendere. Simile fertur ad ſimile, præſertim vero dum hoc, inquit, omnino non accidit. Non enim ſi quis tranſponat terram, vbi nunc eſt Luna, non feretur partium vnaquæque ad ipſam, ſed ad eum locum, vbi nunc exiſtit. Quaſi vero in loco ſit attractiua quædam, & alliciens vis, potius, quàm in ipſa terra. Sed, inquit Gaſſendus, de hac plura aliàs.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, Antiquos non reprehendi ab Ariſtotele, quod aſſeruerint, ſimile ferri ad ſimile, ſed quod huiuſmodi aſſertionem ipſi acceperint in alio ſenſu, ac debeat accipi. Nam vt ſimile feratur ad ſimile, nō ſufficit ſimilitudo naturæ, quemadmodum Ariſtoteles oſtendit exemplo terræ tranſlatæ ad concauū Lunæ, ſed requiritur etiam conuenientia in loco, ad quem vtrūque corpus eſt aptum natum ferri. Locus enim habet vim conſeruandi locatum, & ideo poteſt ad ſe trahere idem locatum; cum vnumquodque appetat ſui conſeruationem. Quoniam vero Gaſſendus non dum probauit oppoſitum, idcirco ad aliam accuſationem proceditur.

Accuſatio Quinquageſima octaua.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia primo Cœli capite 2. dicit, omne corpus naturale eſſe mobile: & tamen capite 3., ac expreſſius 14. libri ſecundi contendit, terram in centro Mundi quieſcere immobilem.

Maffeus diſsentit, & pro reſponſione animaduertit, quod Gaſſendus aduerſus Ariſtotelem videtur arguere tali pacto. Terra eſt corpus naturale. Igitur terra in medio Mundi non quieſcit immobilis.

Maffeus ergo reſpondet diſtinguendo conſequentiam, ita vt eam concedat, ſi agatur de immobilitate, prout ſignificat priuationem motus in actu ſignato; ſic enim terra non eſſet corpus naturale. Eamdem vero conſequentiam negat, ſi ſermo ſit de immobilitate, quatenus denotat carentiā motus in actu exercito; quemadmodum enim terra non habet grauitatem in actu ſecundo,

ſeu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

seu grauitationem, sed solum obtinet grauitatem in actu primo, existens in centro, ita de mobilitate sentiendum est. Quare ab Aristotele vtrumque vere potuit de terra enunciari, nimirum & quod sit corpus naturale, & quod in medio Mundi quiescat immobilis, quatenus non habet mobilitatem in actu secundo; vel exercito, licet eam retineat in actu primo, siue signato.

Dicet forte aliquis. Frustra est illa potentia, quæ non reducitur ad actum. Si ergo terra existens in medio Mundi habet mobilitatem in actu primo; non autem in actu secundo, certe videtur illam habere frustra.

Respondetur dicendo, illam potentiam revera esse frustra, quæ nullo modo reducitur ad actum; at si aliquo modo reuocetur ad actũ, sicuti reducitur mobilitas terræ, non erit frustra; licet enim terra numquam moueatur secundum se totam; attamen mouetur secundum suas partes.

Accusatio Quinquagesima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 7. videtur prorsus supponere, animatum Cœlum non esse: & expresse tamen animatum dicit libro secundo, capite secundo, ac primo etiam de anima, capite tertio, & alibi.

Maffeus dissentit, & respondet, Aristotelem sine vlla contradictione dicere potuisse, Cœlum esse, ac non esse animatum, quia licet sit animatum anima assistente; non tamen est animatum anima informante, vnde apud Conimbricenses leguntur hæc verba in expositione textus 13. *Intelligit autem, Cœlum esse animatum, non anima informante, sed Intelligentia, quæ perpetuò assidet, ipsumque iugi motu circumuoluit.*

Accusatio Sexagesima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 2. cap. 2. vult, Deo inesse motum sempiternum: & 8. tamen physicorum voluit, primum Mouens (quod est Deus) esse prorsus immobile.

Maffeus dissentit, & respondet, Aristotelem non eodem modo vti no-

nomine Dei, quando 2. Cœli textu 17. asserit, inesse illi motum sempiternum, & quando libro 8. physicorum, vult esse prorsus immobilem. Etenim prima vice accipit vocabulum Dei pro cœlesti corpore, quod circulariter, ac perpetuo mouetur, idque patet

Primo ex D. Th., qui in explicatione prædicti contextus ait. *Quia ergo Cœlum, quod secundum Antiquos Deus dicebatur, non quia sit ipse Summus Deus, sed quia corpus eius est quoddam diuinum, propter hoc, quod est ingenitum, & incorruptibile, vt supra ostensum est, inde est, quod habet corpus circulare ad hoc, vt possit semper, & circulariter moueri.*

Secundo ex Conimbricensibus, apud quos habentur hæc verba. *Appellat autem Aristoteles corpus cœleste Deum, more Platonico, vt D.Th. annotauit. Plato enim posuit quosdam minores Deos, in quibus numerauit cœlestes globos, quos diuinis mentibus animatos fecit.*

Verum altera vice adhibuit nomen Dei ad significandum ipsum Summum Deum, vt ipse quoque Gassendus concedit in sua accusatione, vnde Aristoteles non est sibi contrarius.

Accusatio Sexagesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 8. dicit, Cœlum non esse corpus organicum: & tamen, vt iam visum est, anima præditum fecit: anima autem, vt ipse definit, est actus corporis organici. Vt prætercam, ait Gassendus, capite 10. haberi, actionem Astrorum talem esse, qualis est plantarum, & animaliũ.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo, illam animæ definitionem competere corpori animato anima informante (hoc enim vere organicum est) non autem corpori animato anima assistente, quale in responsione ad accusationem 59. dictum est, esse Cœlum.

Secundo, Gassendum laborare in æquiuoco, dum putat, dictum Aristotelis asserentis, actionem Astrorum esse talem, qualis animalium est, & plantarum, esse intelligendum, quasi Aristoteles velit ponere in cœlestibus corporibus actiones vitales, quæ proficiscuntur ab anima, & insunt animalibus, ac plantis; hoc enim esse non potest, quia sic oporteret, in cœlestibus corporibus esse animam vegetatiuam, quæ est propria plantarum, vnde augeren-

tur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tur, nutrirentur, & ſibi ſimile generarent; cum hæc omnia ſint opera, quæ proueniunt ab anima vegetante; ſic autem Ariſtoteles eſſet ſibi contrarius; cum in primo libro demonſtrauerit, Cœlum non eſſe capax augmentationis, nec diminutionis, neque alterationis, neque generationis, aut corruptionis. Inſuper corporibus cœleſtibus ineſſet anima ſenſitiua, quæ propria eſt animalium; hoc autem admitti non poteſt, quia ſequeretur Cœlum eſſe caducum, quippe anima ſenſitiua eſt affixa organo corporeo, quod conſtat ex materia, & ex quatuor primis qualitatibus, nec non anima ipſa educitur de poteſtate materiæ. Cum ergo Cœlum ſit ingenerabile, atque incorruptibile, vt patet ex primo Cœli; non poteſt eſſe præditum huiuſmodi anima.

Quamobrem aſsertio Ariſtotelis accipienda eſt in alio ſenſu, quem optime declarant Conimbricenſes, dicendo, quod Ariſtoteles vult ſignificare ijs verbis, motus cœleſtium corporum quoad multitudinem, & paucitatem ſimiles eſse operationibus animalium, & plantarum, quæ ſuam perfectionē non eodem modo aſsequuntur, ſed alia pluribus functionibus: alia paucioribus. Cum igitur ex dicto Ariſtotelis ita intellecto, vt reuera debet intelligi, non ſequatur, in cœleſtibus corporibus eſse animam, vel operationem animaſticam talem, qualis reperitur in animalibus, & in plantis, nec etiam inferri poteſt, Cœlum eſse organicum, vnde Gaſsendus in hac accuſatione nihil cōcludit aduerſus Ariſtotelē.

Accuſatio Sexageſima ſecunda.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia eodem capite admittit, nō videri motum ſcintillationis Planetarum, ac proinde Iouis, & Saturni, ob propinquitatem: videri autem Solis orientis, & occidentis ob diſtantiam: & Solem nihilominus cæteris illis facit propinquiorem.

Maffeus diſsentit, & reſpondet cum Sueſsano in Commentario textus 48. ſecundi de Cœlo, ad ſcintillationem Solis concurrere diſtantiam, & lucis præſtantiam, vnde Conimbricenſes dicunt, quod Ariſtoteles in prædicto textu docet, Solem, quamuis videatur motu circumgyrationis conuerti; reuera tamen non ſic moueri, licet ita oculorum ſenſui propter eius imbecillitatem appareat, quia cum à Sole longe abſit, ſimulque eius ſplendore debili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

bilitetur porrecta acie, ægre ad ipsum peruenit, lassatusque nutat, ac tremit, ideoque nobis videtur Sol ipse tremere.

Non obstat, quod Aristoteles loco citato accipiat solam distantiam pro causa scintillationis. Nam respondetur cum eodem Suessano dicendo, quod reticuit, nec exprimere voluit præstantiam lucis, quia huiusmodi causa est adeo nota, vt nemo de ipsa valeat dubitare; cum apud omnes inconfesso sit, & ad sensum satis pateat, lucem Solis cum nostro visu comparatam esse obiectum visibile admodum excellens, adeo vt ab ea sensus noster labefactari valeat.

Accusatio Sexagesima tertia.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 12. dicit, optime se habenti ipsum bonum esse sine actione: & 10. tamen libro Ethicorum capite 9. laudem virtutis, quæ est maximum bonorũ, & per quam quis optime se habet, in actione constituit.

Maffeus dissentit, & respondet, instantiam à Gassendo adductam non facere ad rem. Quoniam Aristoteles in textu 62. libri secundi de Cœlo dicens, quod optime se habenti inest ipsum bonum sine actione, loquitur de eo, quod habet bonum independenter ab alio. Gassendus autem affert auctoritatem Aristotelis desumptam ex 10. Ethicorum capite 9., vbi agit de eo, quod habet bonum dependenter ab alio, nempe à virtute, quæ dicitur esse bona qualitas mentis, quæ bonum facit habentem, vnde non mirum, si de primo hic dicat, quod habet bonum sine actione; de altero autem ibi fateatur, habere bonum cum actione.

Accusatio Sexagesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 3. capite primo dicit, entia ingenerabilia, & omnino immobilia esse alterius quàm naturalis considerationis: & ipse tamen tam multis egit de ente huiusmodi 8. physicorum.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod quamuis Aristoteles in 8. libro Physicorum disseruerit de ente ingenerabili, & omnino immobili, qualis est primus Motor, nihilominus tertio Cœli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

textu 2. dicere potuit, quod consideratio huiusmodi entis magis pertinet ad Metaphysicam, quàm ad naturalem Philosophiam, quia duæ possunt haberi considerationes talis entis. Vna præcipua, siue absoluta, & altera secundaria, vel respectiua. Prima spectat ad Metaphysicam, in qua huiusmodi ens consideratum fuit, tamquam subiectum. Altera pertinet ad Physicam, in qua consideratum fuit, vt principium; reuera enim Aristoteles in 8. Physicorum locutus est de primo Motore, non propter seipsum, sed propter motum æternum, cuius est causa. Quare Aristoteles non est accusandus.

Accusatio Sexagesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem Quia capite secundo dicit, quod nec grauitatem, nec leuitatem habet, vi moueri, hoc est, vt ipsemet antea exposuerat, violenter, seu præter naturam: & aliũde tamen vult, Cœlum, quod nec leue, nec graue sit, moueri naturaliter.

Maffeus dissentit, & respondet animaduertendo, quod quando Aristoteles tertio Cœli textu 27. ait. *Præterea, si erit aliquod corpus, quod mouetur, neque leuitatem, neque grauitatem habens, necesse est, vi moueri*, loquitur de illis corporibus, quæ mouentur motu recto, quo moueri naturaliter non posse demonstrat, nisi habeant grauitatem, aut leuitatem, idque verum esse patet ex dictis ab Aristotele in primo textu eiusdem libri, vbi ait.

De primo igitur elementorum dictum est, & quale quid est secundum naturam, & quod incorruptibile, ac ingenerabile. Reliquum est autem de duobus dicere. Simul autem accidet de his dicentibus, & de generatione, & corruptione considerare.

Postea in textu secundo ait. *Generatio enim, aut omnino non est, aut solum in his est elementis, & ijs, quæ ex his sunt.*

Ex quibus patet, dictum Aristotelis asserentis, id, quod nec grauitatem, nec leuitatem habet, vi moueri, debere intelligi de eo, quod est aptum natum moueri naturaliter motu recto; sic enim oportet, ipsum vi moueri, nisi habeat grauitatem, & leuitatem; vult enim Aristoteles concludere, opus esse grauitate, ac leuitate ad hoc, vt corpus mobile motu recto, possit naturaliter moueri. Nam secus mouebitur violenter. Hoc autem non potest accom-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

commodari Cœlo, quod est aptum natum moueri circulariter; non autem motu recto, vnde non bene Gassendus redarguit Aristotelem, quod concesserit, Cœlum non esse præditum grauitate, nec leuitate, & tamen tradiderit, ipsum naturaliter moueri, quia grauitas, & leuitas non sunt necessariæ pro motu circulari, quo Cœlum cietur, sicuti sunt necessariæ pro motu recto, quo naturaliter mouentur elementa.

Accusatio Sexagesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia ibidem dicit, quod vi mouetur, infinitum facere motum: & in sexto tamen physicorum nihil esse in natura infinitum statuerat.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod quamuis Aristoteles negauerit, dari actu infinitum, attamen libenter concessit, dari debere infinitum in potentia, vt patet ex definitione continui ab eo assignata in primo Cœli capite secundo, & ex dictis ab eodem in tertio libro physicorum, non solum in textu 56., vbi ait. *Quod igitur actu non sit corpus infinitum, manifestum est ex his. Quod vero si non sit infinitum simpliciter, multa impossibilia accidunt manifestum est*. Sed etiam in textu 57., vbi ait. *Relinquitur igitur potentia esse ipsum infinitum*.

Cum ergo motus sit quid successiuum, & non sit totus simul in actu, ex eo, quod Aristoteles asseruit, id, quod vi mouetur, infinitum facere motum, non sequitur, dari actu infinitum, sed solum in potentia, quod ipse quoque Aristoteles admittit.

Accusatio Sexagesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite tertio docet, ignem non inesse ligno, neque potentia, neque actu: & illam tamen potentiam adeo decantauerat primo physicorum. Nisi dicas, esse primæ materiæ particulam, quæ potentiam non habeat ad quamcumque formam.

Maffeus dissentit, & respondet negando, quod Gassendus affirmat, vt verum, nempe Aristotelem asserere, ignem non inesse ligno neque

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

que potentia, neque actu, imo ab Aristotele doceri totum oppositum, constat ex textu 32. libri tertij de Cœlo, vbi sic loquitur. *Si itaque quod dictum est, elementum sit necesse est esse aliqua talia corporum. In carne enim, & ligno, & vnoquoque talium inest potentia ignis, ac terra.*

Accusatio Sexagesima octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 6. dicit, & probat, elementa æterna non esse: & tamen facit æternum Mundum, qui subsistere non potest sine partibus integrantibus, cuiusmodi sunt elementa.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod licet elementa considerata secundum se tota sint æterna; cum sint partes Vniuersi, quibus corruptis, Vniuersum periret, nihilominus considerata secundum partes, non sunt æterna, sed generabilia, & corruptibilia, ita vt inuicem generentur, & corrumpantur, secus non possent euadere principia mixtorum.

Accusatio Sexagesima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite septimo docet, sensibilium sensibilia esse principia, æternorum æterna, corruptibilium corruptibilia: & primo tamen physicorum fecerat materiam ingenerabilem, & incorruptibilem, quam generabilium tamen, corruptibiliumque principium constituit.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo, quod Aristoteles tertio Cœli textu 61. dicens. *Oportet enim fortassis sensibilium quidem sensibilia, sempiternorum vero sempiterna, corruptibilium autem corruplibilia esse principia*, loquitur de principijs proximis, non autem de remotis, qualis est materia prima, vnde D. Th. in Commentario predicti contextus ait.

Nunc autem oportet, principia sensibilium esse sensibilia, & sempiternorum sempiterna, & corruptibilium corruptibilia: dico autem propinqua, quia remota oportet esse insensibilia, & incorruptibilia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

& vniuerſaliter oportet, principia propinqua eſſe homogenea principiatis recte ſupponentibus.

Secundo, quod licet materia prima ſit per ſe ingenerabilis, & incorruptibilis; per accidens tamen eſt generabilis, & corruptibilis, quemadmodum docuit Ariſtoteles primo phyſicorum, capite vltimo dicens.

Corrumpitur autem, & fit, eſt quidem vt ſic, eſt autem vt non; quatenus enim eſt id, in quod ſecundum ſe, corrumpitur; quod enim corrumpitur, in hoc eſt priuatio.

Itaque materia prima poteſt aliquo modo dici homogenea rebus generabilibus, & corruptibilibus, prout etiam ipſa, ſaltem per accidens, eſt huiuſmodi, & ideo licet ſit per ſe ingenerabilis, & incorruptibilis; attamen potuit ab Ariſtotele conſtitui principium generabilium, & corruptibilium.

Accuſatio Septuageſima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia libro 4. capite 2. illos coarguit inter cæteros, qui dicunt, corporum alia eſſe grauiora, & leuiora alijs, & magnitudine, & paruitate; & tamen capite 4. *Quod*, inquit, *ſortita ſunt, hoc quidem plus; illud autem minus, erunt corporum alia leuia, alia grauia.*

Maffeus diſſentit, & reſpondet negando, Ariſtotelem fateri, corpora mixta eſſe leuiora, vel grauiora propter multitudinem, vel paucitatem corporum ſimplicium, ſeu elementorum, quemadmodum alij dicunt, corpora compoſita ex triangulis, & ſuperficiebus eſſe leuiora, vel grauiora propter multitudinem, & paucitatem triangulorum, vel ſuperficierum, ex quibus conſtant. Nam Ariſtoteles dicens in contextu 28. quarti de Cœlo. *Secundum enim, quod ſortita ſunt illa, hoc quidem plus, illud autem minus, erunt corpora alia leuia; alia vero grauia*, ſignificat, ſe ponere pro cauſa maioris, vel minoris grauitatis, aut leuitatis maiorem, aut minorem copiam, ſiue prædominium vnius elementi; non vero multitudinem, aut paucitatem ipſorum elementorum. Etenim Ariſtoteles libro ſecundo de generatione textu 49. ait. *Omnia autem mixta corpora, quæcumque circa medij locum ſunt, ex omnibus compoſita ſunt ſimplicibus.* Hoc itaque ſuppoſito, quod omnia mixta conſtant ex omnibus elementis, arguitur ſic.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Dentur duo corpora mixta, quorum vnum ſit grauius, vt aes, alterum leuius, vt lignum, quæritur. Vel hoc euenit propter multitudinem, & paucitatem elementorum, ita vt mixtum grauius conſtet ex pluribus; leuius autem ex paucioribus elementis, vel propter maiorem copiam elementi grauioris in vno, & elementi leuioris in altero. Primum dici non poteſt; cum ſit contra hypotheſim, quam veritati conſentaneam eſſe, ſatis oſtendit Ariſtoteles loco citato. Supereſt ergo, vt illud accidat ob prædominium vnius elementi, ac proinde poſitio Ariſtotelis longe diuerſa eſt à poſitione aliorum; cum Ariſtoteles ponat in mixto elementa numero æqualia, dum alij aſſerunt, ipſos triangulos eſſe numero inæquales, nimirum, vel plures, vel pauciores. Quare Ariſtoteles non dicit id, in quo alios coarguit, ſed aliquid maxime diuerſum, ideoque non debebat à Gaſſendo accuſari.

Accuſatio Septuageſima prima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 5. non admittit, aerem ferri deorſum vi: admittit autem ferri vi in regionem, quæ eſt ignis: & toties tamen ante dixerat, aquam, & aerem mediæ eſſe naturæ inter ſimpliciter graue, & ſimpliciter leue.

Maffeus diſſentit, & reſpondet dicendo, quod quamuis aer ſit mediæ naturæ inter ſimpliciter graue, & ſimpliciter leue, adeo vt videatur debere moueri ex acquo tam ſurſum, quàm deorſum, nempe naturaliter; attamen vere docet Ariſtoteles, aerem, ſi ſubtrahatur aqua, ferri deorſum, ſiue ad locum aquæ ſecundum naturam, ferri autem vi ſurſum, ſi remoueatur ignis, propterea quod aer maiorem habet affinitatem, & conuenientiam cum aqua, quàm cum igne, ſiquidem cum aqua conuenit, tum ratione humiditatis, tum ratione graduum frigiditatis, quos habet coniunctos cum caliditate remiſſa (omnis autem remiſſio fit per admixtionem contrarij) Cæterum cum igne conuenit ſolum ratione aliquorum graduum caloris, quos habet coniunctos cum frigiditate remiſſa, & ideo magis inclinat ad locum aquæ, quàm ad locum ignis. Et Ariſtoteles 4. phyſicorum textu 49. hanc maiorem affinitatem aeris cum aqua, quàm cum igne, inſinuauit dicens. *Sic autem & aer ſe habet ad aquam, vt materia enim, illud autem forma: aqua quidem materia aeris eſt; aer vero veluti actus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

quidam illius. Nam aqua potentia aer est; aer autem potentia aqua alio modo.

Fortassis autem instabit aliquis dicendo, quod ferri sursum, vel deorsum non conuenit aeri propter qualitates alteratrices, vt sunt caliditas, & frigiditas: humiditas, & siccitas, sed propter qualitates motrices, vt sunt grauitas, & levitas. Adhuc ergo viget difficultas Gassendi, quæ desumpta est ex qualitatibus motricibus, vnde responsio non videtur eam tollere; cum deducta sit ex qualitatibus alteratricibus.

Ad hanc instantiam respondetur, per eam potius confirmari allatam responsionem, tantum abest, vt per ipsam confutetur. Nam aer etiam acceptus quoad qualitates motrices magis adhęret aquę, quàm igni, quippe aer est partim leuis, & partim grauis, qualis est etiam aqua. Ignis vero est summe leuis, nullam prorsus obtinens grauitatem, vnde prædicta instantia vires addit responsioni, cum ex ea constet, aerem esse similiorem aquæ, quàm igni, non solum propter qualitates alteratrices, vt dictum est in responsione, sed etiam propter motrices.

FINIS
Accusationum pertinentium ad secundam partem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

TERTIÆ PARTIS

Accuſatio Prima.



ASSENDVS accuſat Ariſtotelem. Quia primo de anima capite primo plurima proponit diſcutienda, quæ vel intacta relinquit, vel ieiune prorſus, & inſufficienter explicat.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, contra Gaſſendum iure merito retorqueri poſſe quod ipſe tribuit Ariſtoteli, dum ait, eum inſufficienter, & ieiune, quæ propoſuit, explicare. Nam ipſe potius inſufficiens, & ieiunus fuit; cum nullam adduxerit probationem eorum, in quibus auſus eſt Ariſtotelem accuſare, proinde nulla alia poteſt reſponſio afferri.

Accuſatio Secunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite ſecundo non videtur recta illa partitio, quam affert dicendo, quod res iudicantur, aliæ intellectu, aliæ ſcientia, aliæ opinione, aliæ vero ſenſu. Si enim, inquit Gaſſendus, in hac diuiſione Ariſtoteles accipit intellectum pro facultate, cur adiungit ſcientiam, quæ ſolum eſt habitus intellectum iuuans. Vel ſi hæc adiungenda fuit, cur nõ ſapientia? Cur non ars?

Si vero accipit intellectum pro habitu, cur non meminit etiam ſapientiæ, prudentiæ, nec non artis, qui habitus quoq; ſunt?

Maffeus diſſentit, & reſpondet, Ariſtotelem ibi non loqui ex propria ſententia, ſed referre opinionem Platonis, qui animam per cognitionem inueſtigauit, dicens, animam etiam componi ex elementis, vt omnia cognoſcat. Citat autem Ariſtoteles tria loca, ſeu teſtimonia Platonis, quibus hoc dicit.

Primum eſt in Timęo, vbi aſſerit, ſimile ſimili cognoſci, & res conſtare ex principijs, & elementis, vnde infertur, quod anima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ex ijſdem rerum elementis compoſita ſit, ſi ſimile ſimili debet cognoſci.

Secundum eſt deſumptum ex libro de Philoſophia, ſeu Metaphyſica, qui liber, iuxta Simplicium, & Philoponum, appellatur de bono, vbi Plato affirmat, animal componi ex idæa vnius, & prima longitudine, primaque latitudine, ac prima altitudine. Similiter alia omnia dicit, ex ijſdem componi, & ſic animal cognoſcet ſimilia ſimilibus.

Tertium eſt, in quo Plato etiam in ipſis operationibus animæ conſtituebat ſimilitudinem cum rebus, vnde ſciendum eſt, quatuor eſſe genera rerum cognoſcibilium.

Quædam ſunt pure intelligibiles, illæ nimirum, quæ ſine aliquo diſcurſu intelliguntur, vt ſunt res immateriales, & principia per ſe nota, & his reſpondet cognitio in anima, quę dicitur intellectus.

Quædam ſemper eodem modo ſe habent, ſed tamen ab alio pendent, & hæ dicuntur ſcibiles, quibus reſpondet cognitio, quæ dicitur ſcientia, & eſt per diſcurſum.

Quædam ſunt inconſtantes in veritate, vel falſitate, nec non ab alio pendentes, & his reſpondet cognitio, quæ dicitur opinio; ipſæ vero res dicuntur opinabiles.

Quædam ſunt ſenſibiles, & ſingulares, quarum eſt ſenſus.

Plato igitur has animæ cognitiones ex numeris eſſe dicebat, vt per eos res ex numeris compoſitas cognoſceret.

Primo intellectum appellabat vnitatem. Quia ſicut vnitas eſt ſimplex, ita & illa cognitio immediata eſt ſimplex, & ſicut vnitas eſt principium numeri, ſic huiuſmodi cognitio eſt principium aliarum cognitionum.

Secundo ſcientiam dicebat dualitatem, quia ſicuti dualitas ab vna vnitate procedit in aliam, ita ſcientia ab vno medio procedit in vnam concluſionem determinatam.

Tertio opinionem vocabat trinitatem, quia ſicut trinitas ab vna vnitate procedit in duas, ita opinio ex vno medio infert concluſionem probabilem, & participem veri, & falſi.

Quarto ſenſum dicebat quaternitatem, quia eſt corporeus, & circa corpora, quibus ineſt quaternitas, præcipue propter quatuor elementa, ex quibus conſtant.

Cum ergo hæc omnia docuerit Plato, eaque nunc referantur ab Ariſtotele, certe nihil eſt, cur Gaſſendus velit Ariſtotelem redarguere, atque ab eo ſciſcitari, quomodo acceperit intellectum, an pro facultate, vt oſtendat, ipſum non bene adiunxiſſe ſcientiam,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

quæ ſolum eſt habitus. An pro habitu, vt appareat diminutus, quod non meminerit etiam aliorum habituum, puta ſapientiæ, prudentiæ, nec non artis; hæc enim non ab Ariſtotele petenda ſunt, ſed à Platone; Ariſtoteles enim vſus eſt vocabulo intellectus eo modo, quo Plato, cuius refert opinionem, nec par erat, vt alio ipſum vſurparet, vnde non eſt dignus accuſatione.

Accuſatio Tertia.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite tertio inepte arguit aſſerentes, animam mouere ſeipſam. Quoniam ipſe affert inſtantiam de motu locali; cum illi præcipue intelligerent motiones intellectus, & voluntatis.

Maffeus diſsentit, & reſpondet, Ariſtotelem optime ſe geſſiſſe contra eos, qui aiebant, animam mouere ſeipſam, dum attulit inſtantiam de motu locali, quia ſermo eſt de motu proprie dicto, vt docet aperte Tol. primo de anima textu 43., cuiuſmodi eſt motus localis, tales vero non ſunt motiones intellectus, & voluntatis, idque colligitur etiam ex auctoritate Ariſtotelis, qui primo de anima textu 19. ait. *Animatum igitur ab inanimato duobus maxime differre videtur, motu, & ſenſu*. Certum eſt autem, quod animatum mouetur motu proprie dicto.

Accuſatio Quarta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 4. arguens, animam non eſſe harmoniam, eo quod nec eſt ratio commixtionis, neque compoſitio, id non probat.

Maffeus reſpondet cum Hieronymo Dandino in ſuo Commentario 89. ſuper textum 55. primi de anima, quod Ariſtoteles probare contempſit, neutrum horum eſſe animam, ideſt neque compoſitionem, neque commixtionem, quod ſuperuacaneum, ac minime neceſſarium iudicauerit. Accipit autem, tamquam manifeſtum: tum quia anima eſt ſubſtantia; illorum vero vtrumque accidens: tum quia, & qualitatum permixtio, & partium compoſitio veluti partis ad partem oppoſitio conſiderantur in corpore,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

atque ad illud ſpectant, & animam antecedunt, quæ, non niſi optime permixto, congruentique ratione ex cunctis partibus ſuis, ac membris compoſito corpori aduenit.

Accuſatio Quinta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia proponit varias difficultates, quas tamen non videtur ſoluere, circa vnitatem animæ.

Maſſeus diſſentit, & reſpondet negando, Ariſtotelem non ſoluere difficultates, quas ibi excitat circa vnitatem animæ. Vt autem id fiat omni ex parte manifeſtum, operæ precium ducit referre, ac diligenter expendere quæcumque in illo quinto capite cõtinētur.

Connectitur huiuſmodi caput cum præcedentibus tali pacto. Sententijs Philoſophorum circa ſubſtantiam animæ refutatis, nunc breuiter duas excitat quæſtiones circa numerum, & diuiſibilitatem ipſius animæ.

Diuiditur autem in duas partes.

In prima ponit dubitationes.

In ſecunda earum ſolutiones adducit.

Quoad primam partem. Prima dubitatio talis eſt. Cum multæ ſint operationes, quæ proueniunt ab anima, ſcilicet cognoſcere, ſentire, opinari, concupiſcere, deliberare, moueri, quieſcere, augeri, decreſcere, quarum aliquæ ſunt operationes intellectus, aliæ ſenſus, aliæ appetitus, aliæ facultatis vegetatiuæ, dubium eſt, an omnes iſtæ operationes, quæ reperiuntur in vno ſubiecto, puta homine, procedant ab anima vna, eaque tota, an à diuerſis partibus, ideſt à diuerſis ſpecie animabus in uno ſubiecto exiſtentibus, ita ut quædam proueniant ab vna, & quædam ab alia?

Secunda talis eſt. Cum ea, quæ habent animam, viuant, quæritur, an vita conſiſtat in omnibus his operationibus ſimul, an in vna illarum ſaltem, an ſimul in multis; an vero in nulla illarum, ſed in aliquo alio?

Quoad ſecundam partem pro ſolutione primæ dubitationis, narrat opinionem Platonis, qui animam partibilem ponebat, & in vno tres animas ſpecie multiplicabat. Intellectiuam in cerebro ad intelligendum ſitam eſſe aiebat: ſenſitiuam in corde: vegetatiuam in hepate, idemque dixit Pythagoras. Contra iſtam ſententiam tria profert argumenta, quorum

Pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Primum tale eſt. Illæ tres animæ, cum faciant vnum compoſitū, debent aliquo modo inter ſe copulari, quemadmodum forma, & materia non conſtituunt corpus naturale, niſi coniungantur, & vniantur. Vel ergo illæ tres animæ copulantur ſeipſis, & hoc nō, quippe ſunt ſubſtantiæ ſpecie ab inuicem diſtinctæ, idque Ariſtoteles relinquit, vt notum. Vel copulantur corpore, & hoc non. Quia potius corpus continetur ab anima, cuius ſignum eſt, quod egrediente anima, corpus diſſoluitur in elementa, ergo aliquo alio continentur. Hoc igitur erit anima. Nam animæ eſt continere. Tunc vlterius petitur, an iſtud continens ſit vnum, vel plura. Si plura, ſimile fiet argumentum, quod ſupra, donec perueniatur ad vnum ſpecie, ac ſimplex, cum non ſit proceſſus in infinitum, & hoc erit anima. Cum igitur tandem ad vnum oporteat deuenire, non eſt neceſſarium tot proceſſus admittere, ſed ſtatim in vno ponenda eſt anima ſecundum ſpeciem.

Secundum tale eſt. Si anima tota plures partes habet ſpecie differentes, ſequitur, ipſam eſſe totam in toto corpore, & partes ipſius in parte corporis. Oportebit ergo dare partem, in qua ſit pars, quæ dicitur intellectus. At huius nulla dabitur, licet velimus fingere, quia intellectus non eſt affixus organo corporeo.

Vt magis pateat vis argumenti, cum Tol. eſt animaduertendum, quod anima intellectiua ob id eſt in corpore forma, quoniam quoad ſubſtantiam eſt eadem realiter cum ſenſitiua. Quod ſi eſſet ab ea omnino ſeparata, ita vt eſſet purus intellectus, vel pure tantummodo intellectiua, non eſſet forma corporis. Cum ergo iſti eam ſeparent, non poſſunt ipſam alligare corpori, nec ſecundū totum, nec ſecundum partem.

Tertium tale eſt. Partes animalium inſectorum, & plantarum diuiſæ, ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo etiam in toto erant eiuſdem ſpeciei, licet non eſſent eædem numero, quia erant diuerſæ partes. Conſequentia eſt certa. Probatur antecedens. Etenim in vtraque parte abſciſſa reperitur motus, & ſenſus; non autem in vna tantummodo vnum; in altera vero alterum, ſed in vtraque vtrumque. Sunt ergo eiuſdem ſpeciei.

Excludit dubitationem. Quis enim dicere poſſet. Si anima permanet in parte abſciſſa, & eſt eiuſdem ſpeciei cum tota, cur ergo non multum durat? Reſpondet, id eſſe, quia deficiunt inſtrumenta, quibus operari poſſit, & eſt imperfecta diſpoſitio, vnde fit, vt quæ paucioribus indigent inſtrumentis, diutius durent; in vtraque tamen parte animæ inſunt omnes potentiæ animæ, videlicet motiua, & ſenſitiua.

Hu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Huiusmodi vero partes animæ, siue ad inuicem comparentur, siue cum anima tota, sunt eiusdem speciei. Inter se quidem, quia non sunt separabiles, idest non separantur secundum potentias, sed vt dictum est, in vtraque parte per se inest potentia, & motiua, & sensitiua. Cum tota vero anima, quoniam anima tota est indiuisibilis secundum speciem. Aristoteles ergo vult, in vno vnam tantum esse animam secundum substantiam; potentias vero esse multas, quemadmodum substantia pomi est vna; ipsius autē accidentia sunt multa.

Soluit posteriorem quæstionem dicens, quod plantæ habent animā, quæ tantum est principium vegetandi, & in hac communicant animalia omnia, & hæc animæ operatio est communis omnibus viuentibus. Quæ enim sensum habent, etiam vegetantur, & similiter quæ habent intellectum, sed non contra, vnde infertur, vitam præcipue consistere in operationibus huius animæ, quas debent habere quæcumque obtinent animam.

Constat ergo, ab Aristotele satisfactum esse omnibus ijs dubitationibus, quas in isto capite proposuit exponendas, ideoque gratis à Gassendo accusatus fuit.

Accusatio Sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 2. capite primo substantiæ genus (si genus est) non bene diuidit in materiam, formam, & compositum, quippe ista non videntur esse species vniuocæ, ac subiectæ generi.

Masseus dissentit, & respondet, responsionem ad istam accusationem posse sumi ex dictis à Zabarella in suo Commentario in secundum de anima textu secundo, pro solutione cuiusdam dubitationis, quæ solet excitari circa rectitudinem diuisionis substantiæ in materiam, formam, & compositum ex his. Dubitatur enim, quia omnis bona diuisio debet esse bimembris; hęc vero trimembris est.

Respondet Zabarella cum Alexandro dicens, quod omnis quidem diuisio generis in species debet esse bimembris, idest facta per oppositas differentias, sed hoc non est necessarium in diuisione vocis æquiuocę, seu analogę in sua significata; potest enim aliquid commune analogum habere significata plura duobus, quę ad duo mem-

membra reduci nequeant; ideo, quod aliqua talia reducantur ad duo membra, videtur esse per accidens; cum non ita sit in omnibus. Talis est hæc diuisio. Quia substantia non est genus vniuocum, sed æquiuocum, cui hæc tria significata respondent, habentia inter se ordinem prioris, & posterioris.

Respondetur ergo animaduertendo, quod in hac accusatione Gassendus videtur supponere, substantiam ab Aristotele diuisam esse in tria prædicta membra, tamquam verum, & legittimum, siue vniuocum genus in suas species; cum dicat. *Quippe ista non videntur esse species vniuocæ, ac subiectæ generi.*

Modo negatur, id ab Aristotele ita factum esse, diciturque cum Zabarella, substantiam ab eo tripartitam fuisse, tamquam genus æquiuocum, siue analogum in sua analogata, siue tamquam vocem quamdam omonimam in sua significata, & sic debet recipi, atque admitti, vt recta.

Accusatio Septima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia dum definit animam dicens, quod anima est actus primus corporis physici, organici &c. videtur potius ostendere, cuius sit, quàm quid ipsa sit, vnde Gassendus videtur velle concludere, hanc animæ definitionem non exactam, sed perfunctoriam fuisse, quod & confirmat ipsis verbis ab Aristotele ibi prolatis, dum ait. *Amplius immanifestum est, si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis. Figura igitur sic determinatum, & descriptum sit de anima.*

Nec dicatur, quod per illud *Figura dicere*, Aristoteles intelligit describere, determinare. Nam hoc refellitur per verba eiusdem Aristotelis, qui in calce quarti capitis ait. *Figura dictum est, quid sit alimentum; exactius autem manifestandum posterius.*

Maffeus dissentit, & respondet considerando, quod in hac accusatione Gassendus duo dicit.

Primo quod Aristoteles definiens animam, vt sit actus primus corporis physici organici, videtur potius dicere, cuius ipsa sit, quàm quid sit.

Secundo quod hæc definitio, non videtur exacta, idque confirmat verbis ab eodem Aristotele prolatis in textu 11. secundi de anima, vbi ait. *Figura igitur sic determinatum, & descriptum sit de anima.*

Quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Quoad primum dicitur, quod aliud est loqui de substantia completa in specie; aliud vero de substantia incompleta, quæ habet rationem partis. Illa enim est id, quod est; cum habeat rationem totius; hæc autem est id, quo aliquid est, vnde oritur etiam differentia in modo definiendi vtramque substantiam. Prima siquidem definitur absque vllo additamento: Secunda vero cum additamento alicuius extranei, vnde assimilatur quodammodo accidenti, in cuius definitione accipitur subiectum, ideoque dicitur definiri per additamentum. Cum itaque anima sit forma, & proinde pars essentialis, atque constitutiua corporis organici, non est id, quod est, sed potius est id, quo aliquid est, nempe corpus organicum, & ob id hoc accipi debet in definitione ipsius, vnde non potest exacte significari, quid sit anima, nisi dicatur, cuius sit.

Quo ad secundum dicitur cum Zabarella in Commentario textus 11. libri secundi de anima, quod hæc vniuersalis definitio animę, si consideretur, vt vniuersalis, est perfecta, & sufficiens, quia nulla alia melior assignari potest, idque significauit Aristoteles in textu 7. secundi de anima dicens. *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus corporis naturalis instrumentalis.*

Cæterum absolute loquendo est rudis, & figuralis, quia cognitio distincta singularum partium est potior, atque perfectior; nec enim possumus per hanc definitionem animæ communem, & vniuersalem assequi cognitionem ipsius absolute, ac simpliciter sufficientem, ac perfectam, nisi habeamus distinctam, & particularem notitiam singularum animę partium. Ex his ergo patet, hanc animæ definitionem exactam esse, saltem vt vniuersalem.

Accusatio Octaua.

Gassendus accusat Aristotelē. Quia capite secundo, magno apparatu demonstrare contendit causam definitionis propositæ; cū tamen id probet sola illa secunda definitione. Anima est id, quo primum viuimus, sentimus &c., quæ nec subtilior est, quam prima; cum non explicet, quomodo concipiendum sit illud, quo primum viuimus, & potest rursus per aliam pari iure demonstrari.

Maffeus dissentit, & respondet cum Auerroe, nec non cum Zabarella dicendo, falsum esse, quod Aristoteles reuera demonstret

pri-

primam definitionem per ſecundam. Quia vel hoc faceret à poſteriori, vel à priori, Non á poſteriori, quia in textu 12. clare profitetur, ſe velle afferre alteram animæ definitionem, quæ dicat propter quid; cum illa definitio, quæ prius allata fuit, dicat ſolum quia. Non à priori. Quia definitionem animæ iam traditam, eſſe omnino indemonſtrabilem à priori, oſtenditur ſic.

Si allata definitio animæ demonſtrari poſſet à priori de anima, certe vel demonſtraretur tota definitio animæ, tamquam maius extremum de anima definita, tamquam de minori extremo. Vel vna definitionis pars de altera parte. Neutro modo poteſt demonſtrari, ergo eſt indemonſtrabilis á priori.

Non primo modo.

QVoniam Ariſtoteles in 2. libro Poſteriorum oſtendit, non poſſe ullo modo demonſtrari à priori definitionem de definito, quia ſit petitio principij, quin etiam omnia prædicata in quid ſunt indemonſtrabilia à priori de eo, de quo in quid prædicantur. Quare nulla poteſt afferri cauſa, cur anima ſit actus primus corporis viuentis; hæc enim eſt animæ eſſentia, & anima ipſa, ſicut etiam nulla datur cauſa, cur eclypſis ſit priuatio luminis Lunæ, quia hoc eſt ipſamet eclypſis.

Non ſecundo modo.

QVia licet in definitionibus accidentium poſſit demonſtrari vna pars de altera, nempe forma de materia; hoc tamen fieri non poteſt in ſubſtantiarum definitionibus, & ratio diuerſitatis eſt, quoniam accidentia dependent à cauſa externa, vt eclypſis ab interpoſitione terræ, propterea genus, quod habet locum formæ, oſtenditur de ſubiecto, quod habet locum materiæ, per cauſam extrinſecam, vt priuatio luminis de Luna per interpoſitionē terrę. Cæterum forma ſubſtantialis ineſt in materia immediate; non vero per aliquam cauſam externam, ideo definitio ſubſtantię data per formam, & per materiam, non poteſt hoc modo demonſtrari per cauſam. Cum ergo definitio animę ſit definitio ſubſtantię data per formam in materia, nullam habet cauſam, per quam à priori valeat demonſtrari; nam actus primus ineſt in corpore viuente

imme-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

immediate, ſicut in quouis corpore naturali ſua forma.

Illud quoq; abſurdum conſequitur hanc ſententiam, quod detur demonſtratio de ſubſtantia, & quod ſubſtantię definitio educatur ex ipſa demonſtratione, cum qua conueniat ſecundum rem, & à qua differat ſolo ſitu terminorum, quę omnia de ſolis definitionibus accidentium dici poſſe, ſatis patet ex dictis ab Ariſtotele in ſecundo libro Poſteriorum.

Si dicas, Ariſtoteles in textu 12. libri ſecundi de anima dicit, priorem illam animę definitionem eſſe concluſionem demonſtrationis, & dicere ſolum quia; cum non contineat cauſam: alteram vero poſteriorem mox afferendam, dicere propter quid, & eſſe principium demonſtrationis, ergo vult duas afferre definitiones animę diſtinctas, & priorem demonſtrare per poſteriorem.

Reſpondet Auerroes in Commentario huius loci dicendo, hęc Ariſtotelis verba non eſſe ipſi animę accómodanda formaliter, ſed ſolum ſecundum ſimilitudinem, & proportionem. Cum enim anima non ſit accidens, non poteſt habere definitionem, quę ſit concluſio demonſtrationis, & alteram, quę ſit principium demonſtrationis, ſed vult ſignificare Ariſtoteles, quod definitio animę tradita in communi ſine expreſſione partium animę, ſi cóferatur cum definitione animę, in qua numerentur analogata, ſimilis eſt illi definitioni accidentis, quę eſt concluſio demonſtrationis, reſpectu definitionis eiuſdem accidentis, quę eſt principium demonſtrationis, & reddit propter quid de ipſa. Vt enim definitio, quę eſt concluſio, imperfecta eſt, reique naturam confuſe declarat ſine cognitione cauſę, ita definitio animę allata in communi imperfecte declarat eſſentiam animę.

Altera vero animę definitio exquiſitior exprimit, ſi non vnam rei naturam, ſaltem plures naturas analogatorum. Quare maiorem largitur cognitionem eſſentię animę, ac ſimilis eſt definitioni accidentis, quę eſt principium demonſtrationis, & dicit cauſam rei. Ex his plane liquet, Ariſtotelem ab hac Gaſſendi accuſatione facile defendi poſſe.

Accuſatio Nona.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 6. inſufficienter partitur ſenſibile commune, dum ſpecies illius dumtaxat facit magnitudinem, figuram, numerum, motum, & quietem.

Pri-

Primo quia numerus videtur potius pertinere ad internã fũctionẽ.
Secundo quia quies non eſt aliud, quàm priuatio.
Tertio quia ſenſibilia communia ſunt longe plura, nimirum aſperum, lene &c.

Maffeus diſſentit, & reſpondet

Primo quo ad numerum, quod poteſt bifariam accipi, nempe vel quatenus eſt menſura rerum numeratarum, & ſic pertinet ad rationem, ſiue, vt loquitur Gaſſendus ad functionem internam. Vel quatenus dicit ipſam diſcontinuationem; cum enim ſit quantitas diſcreta, nullum habet communem terminum, quo partes eius copulentur, & ſic pertinet ad ſenſum; ita ut poſſit apprehendi, etiam à brutis. Numerus enim ſic acceptus poteſt percipi ab omnibus ſenſibus, quia tangimus, atque uidemus tres, quatuor, aut plures homines. Audimus etiam harmoniam, in qua eſt multitudo ſonorum, & vocum. Guſtamus quoque duos ſapores ſimul, adeo vt guſtus diuerſitatem, & multitudinem, atque ideo numerum apprehendat, quod facit etiam olfactus, dum plures ſimul ſentit odores.

Secundo quoad quietem, patebit reſponſio, ſi prius adducatur, & poſtea diluatur argumentum, quo probari ſolet (pro ratione tamen dubitandi) quietem non eſſe connumerandam inter ſenſibilia communia. Eſt autem argumentum tale. Quies non eſt ſenſibilis per ſe. Igitur non eſt reponenda inter ſenſibilia communia. Conſequentia patet ex textu 63. ſecundi de anima, vbi Ariſtoteles docet, ſenſibile dici tribus modis. Nam aliud eſt per ſe, aliud per accidens. Per ſe autem, vel eſt proprium, vel commune, vnde colligitur ſenſibile commune eſſe ſenſibile per ſe, adeo vt quod non eſt ſenſibile per ſe, non poſſit eſſe ſenſibile proprium, neque commune. Antecedens ita ſuadetur.

Nulla priuatio eſt ſenſibilis per ſe. Quies eſt priuatio motus, ergo quies non eſt ſenſibilis per ſe. Maior conſtat ex eo, quia quidquid per ſe percipitur aliquo ſenſu externo, debet eſſe præſens ipſimet ſenſui; hoc autem de priuatione dici non poteſt, quoniam priuatio, vt ſic, nullum habet eſſe poſitiuum, quod requiritur, vt aliquid poſſit eſſe præſens.

Ad hoc argumentum reſpondetur

Primo, per illud concludi tantummodo, quod quies non poteſt agere in ſenſum imprimendo ſpeciem diſtinctam à ſpecie ſenſibilis proprij; non tamen ob id oſtenditur, quod non poſſit agere in ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſenſum, modificando ſpeciem; licet enim quies, vtpote quæ priuatio quædam eſt, nullum habeat eſſe poſitiuum; attamen ſecundum hoc eſſe priuatiuum, quod retinet, efficit, vt ſenſibile proprium habeat modum aliquem immutandi, quem non haberet, ſi non quieſceret, ſicque dicitur ſenſibilis per ſe, prout modificat ſpeciem, non prout imprimit illam.

Secundo, quod quies, quæ ponitur ſenſibile commune, non accipitur formaliter pro priuatione, ſed materialiter pro re conſiſtente, ac permanenter ſe habente in vno ſitu, qua ratione eſt aliquid poſitiuum, & propterea poteſt cadere ſub ſenſum, ac inter ſenſibilia numerari.

Tertio quoad pluralitatem, Conimbricenſes, quæſtione quarta in ſecundum de anima, articulo ſecundo docent, aduertendum eſſe, quod Ariſtoteles non omnia ſenſibilia communia ſpeciatim enumerauit, ſed quinque generalia capita, ad quæ cætera debeant reuocari, quemadmodum aſperum, & lene reducuntur ad figuram.

In hac eadem ſententia eſt etiam Polus Lauredanus, qui in ſuo Cōmentario in ſecundum de anima textu 64. ita loquitur. *Et ſecundam difficultatem ita diluo, & fateor, alia ſenſibilia communia dari, ſed tantum hæc quinque, vti ſubiecta ſenſibilium propriorum & ad quæ, vti præcipua, reliqua reducuntur, Ariſtoteles nominauit.*

Accuſatio Decima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem, dum per ironiam admonet, notandas eſſe egregias, & perſpicuas definitiones viſibilis, coloris, perſpicui, luminis &c.

Maffeus diſſentit, & cum Gaſſendus nullo argumento demonſtret, illas definitiones eſſe vitioſas, ſed ſolum dicat, eſſe notandas, Maffeus reſpondet, ſe multoties expendiſſe prædictas definitiones, vere notatu, maximaque dignas animaduerſione, illaſque ſemper inueniſſe adeo exactas, vt nullum in ipſis vitium notare vmquam potuerit. Quin etiam ſe nimis audacem reputare debuiſſet, ſi eum in rebus bene definiendis redarguere auſus eſſet, qui alijs recte definiendi præcepta numeris omnibus abſoluta optime præſcribere nouit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Vndecima.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem, dum circa caput octauum admiratur, dicens. Quænam eſt iſta comparatio? Vt non videntur colores ſine lumine, ſic neque ſine ſono acutum, & graue.

Maſſeus diſſentit, & reſpondet, quod, cum Gaſſendus nullam afferat ſuæ admirationis cauſam, vel rationem, de qua diſputari poſſit, propterea, ſicuti Gaſſendus miratur dicens. Quænam eſt iſta comparatio? Vt non videntur colores ſine lumine, ſic neque ſine ſono, acutum, & graue, ita Maſſeus miratur dicens, quę eſt iſta Gaſſendi admiratio, vt ab ea præpeditus, intelligere nequiuerit comparationem Ariſtotelis, quę tamen abſque vlla difficultate ita manifeſtari poteſt, vt omnino rationabilis cenſeatur.

Toletus enim, & Polus Lauredanus in Commentario textus 86. libri ſecundi de anima dicunt, quod iſta comparatio non in omnibus tenet, ſed in hoc, quod ſicut viſus nō percipit colores abſq; lumine, ſic auditus non percipit ſonabilia ſine ſono actu. Cętera vero diſſimilia ſunt; lumen enim eſt ex parte medij. At ſonus eſt ex parte obiecti; ſentimus enim, & audimus corpora ſonantia, & ipſorum differentias.

Præterea Hieronymus Dandinus in ſuo Commentario eiuſdem textus optime hanc eamdem comparationem explicat dicens, quod quemadmodum non videntur colores ſine lumine, quia &ſi naturam coloris habeant, & formam, qua ſint aſpectabiles actu primo; reipſa tamen, & actu ſecundo non aſpiciuntur, niſi illuminati quoque fuerint. Sic &ſi ſine ſono corpora ſint acutę, & grauiter ſonatiua, quid tamen in illis ſint acutum, & graue, intelligi non poteſt, niſi reipſa edant ſonum. Quocirca vt aſpectus ſe habet ad videndos colores, ita & intellectus, ad intelligendas haſce acuti, & grauis in ſonantibus corporibus differentias. Et vt lumen eſt neceſſarium, vt colores actu cernantur, ſic ſonus actu neceſſarius eſt, vt illæ ſonantium corporum differentiæ intelligantur. Sed lumen, vt conditio videndi neceſſaria, ſonus, vt effectus ex corpore ſonante profectus.

Denique vt lumen à coloribus diuerſum eſt, ſic ſonus ab acuto, & graui, quę in ſonantibus corporibus inſunt. Sic ergo ceſſare debet admiratio Gaſſendi; cum facile ſit percipere, aliiſque decla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

rare prędictam Aristotelis comparationem iuxta pręhabitas Interpretum expositiones.

Accusatio Duodecima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 3. capite quarto dicit, considerandum esse, cur non semper anima intelligat; neque tamen vllam reddit causam.

Maffeus dissentit, & respondet, quod cum Aristoteles in tex. 15. tertij de anima proponat considerandam causam, cur intellectus non semper intelligat, potest in alium locum differre solutionem huius dubitationis, & declarationem istius causæ, sicuti reuera Hieronymus Dandinus in suo Commentario prædicti contextus docet, ab Aristotele in alium locum remitti, in quo post docturus est, nihil eum sine phantasmate intelligere. Quod si Aristoteles vult alibi hoc declarare, profecto non est accusandus, quod hic prædictæ dubitationi non faciat satis.

Accusatio Decima tertia.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 4. & 5. diuidit intellectum in agentem, & patientem, de qua diuisione Gassendus cum admiratione quærit, qualisnam ipsa sit?

Maffeus dissentit, & respondet

Primo, quod si velimus opinari, Aristotelem loco citato diuidere intellectum in agentem, & patientem, quemadmodum ipse Gassendus visus est existimasse, dicere possumus, quod hæc est diuisio animæ intellectiuæ in suas facultates, vel potentias, quæ partim conueniunt, & partim differunt. Conueniunt quidem, quatenus vterque separatus est ab omni organo corporeo. Differunt autem, quia in genere intelligibilium, intellectus possibilis per seipsum nihil intelligere potest, nisi prout recipit species intelligibiles ab intellectu agente, qui propterea dicitur esse ens actu, quatenus adeo actiuus est, vt per illustrationem phantasmatum, res materiales sensibiles faciat actu intelligibiles; cum secundum se sint intelligibiles tantum in potentia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Secundo quod Polus Lauredanus in Commentario textus 17. libri 3. de anima dicit, non esse cum communi asserendum, in anima nostra reperiri has duas differentias, vt diuidatur per partem possibilem, & per partem agentem, sed solum nobis tradere Aristotelem, quod hæc duo inter se differentia in anima reperiri debent. Lumen intellectus agentis est in anima, quando eam illuminat, & ducit de potentia ad actum intellectionis; non tamen proprie est pars animæ, nisi partem omne id appellemus, quod concurrit ad operationem animæ.

Tertio quod Zabarella 3. de anima textu 17. putat, rationem Aristotelis non ostendere, quod in intellectu detur patiens, & agens, quia de patiente non est opus probare; nunc enim est nobis cognitus intellectus possibilis, qui patiendo intelligit, & qui, cum sit pura potentia ad omnia intelligibilia, trahitur postea de potentia ad actum: imo intellectus passiuus est potius medium, quo vtitur Aristoteles ad inueniendum intellectum agentem, & est ratio efficacissima, quę ita erigitur.

Datur intellectus possibilis, qui naturam habet patientis, & cum careat omnibus intelligibilibus, ea omnia recipere potest, ideoq; transire de potentia ad actum, ergo.

Datur ex necessitate aliquod agens, quod ducat intellectum possibilem de potentia ad actum. Consequentia vero validissima est, quia nititur his fundamentis notissimis, & certissimis, videlicet Deus, & natura nihil frustra faciunt, & nihil potest trahere seipsum de potentia ad actum; hinc enim fit necessario, vt omni potentię passiuę correspondeat actiua, & omnis materia potentiam habens ad recipiendum aliquod genus formarum, habeat statutum aliquod agens, quod eam ducat de potestate ad actum; frustra enim esset potentia passiua, quæ nullam haberet actiuam sibi respondentem.

Quare tantum abest, vt Aristoteles probet, dari in anima intellectum possibilem, & intellectum agentem, vt potius ex intellectu possibili, tamquam declarato, & cognito inferat, dari in tellectum agentem. Ex hac autem Zabarellę sententia sequitur, Aristotelem nullam facere diuisionem, quia quando diuiditur, nihil probatur.

Ex omnibus autem prędictis responsionibus patet, nullum superesse locum Gassendo, cum admiratione quęrendi, qualis nam sit diuisio intellectus in possibilem, & agentem, quia vel non est diuisio iuxta secundam, & tertiam responsionem. Vel si est diui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſio, ex prima reſponſione conſtat, ipſam eſſe diuiſionem animę intellectiuę in ſuas facultates.

Accuſatio Decima quarta.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 9. apponit quamdam particulam exceptiuam, pręter rem, dum ait. Natura neque facit fruſtra quidquam, neque deficit in neceſſarijs, niſi in orbatis, & imperfectis.

Maffeus diſſentit, & reſpondet cum Hieronymo Dandino in Commentario textus 45. libri tertij de anima, quod cum dicitur (niſi in orbatis, ſeu vitiatis, & imperfectis) duo hęc non temere coniunguntur, ſed vt duo colligantur animalium genera, in quibus neceſſaria deſint. Quędam quod vitiata, & oblęſa ſint, vt Eunuchi, & qui quatuor tantum habeant digitos: alia quod imperfecta ſint adhuc propter ętatem, neque ad neceſſarium inſtrumentorum apparatum perduci potuerint, vt infantes, & in prima ętate animalia cuncta.

Deinde reſpondet, illam particulam. Niſi in orbatis, & imperfectis, non fuiſſe ab Ariſtotele appoſitam extra rem. Tum quia ſic voluit occurrere tacitę inſtantię, quam quis afferre potuiſſet aduerſus id, quod prędixerat, nempe. Natura nihil fruſtra facit, neque deficit in neceſſarijs, neque abundat in ſuperfluis. Tum quia hęc particula. *Niſi in orbatis, & imperfectis*, poteſt denotare conditionem requiſitam ad hoc, vt natura non deficiat, nec abundet, adeo vt hęc aſſertio. Natura nihil fruſtra facit, neque deficit in neceſſarijs, neque abundat in ſuperfluis, debeat accipi, & intelligi cum iſta conditione, dummodo non ſint orbata, neque imperfecta, in quo ſenſu locutus eſt etiam Toletus in explicatione prędicti contextus 45.

Accuſatio Decima quinta.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia non raro, & quidem ſatis callide tegit ignorantiam cauſarum, dum vbi cauſam aliquam allaturus eſſe ſperatur, ait. Sed propter quam cauſam, alia ratio eſt, & ſtatim elabitur, diuertiturque ad aliam materiam, vt videre

dere est libro secundo, capite 7., & alibi.

Maffeus dissentit, & respondet, se maximopere mirari, quod Gassendus ita iniuriosus esse voluerit Aristoteli, vt sine ulla causa tam acriter ipsum accusare ausus fuerit, adeo ut dixerit, eum callide tegere ignorantiam causarum, qui secundo physicorum textu 38. scriptum reliquit. *Oportet autem semper causam vniuscuiusque summam quærere*. Non ergo credendum est, Aristotelem tali calliditate vsum esse, sed potius existimare debemus, eum de recto tractationis ordine maxime sollicitum, voluisse de rebus agere opportune, propterea consueuisse quidem differre in alium locum causam alicuius effectus melius expendendam, sed eam nõ omisisse, idque verum esse constabit, si aliqua eiusmodi loca in medium proferamus.

In primis Aristoteles libro 2. de anima textu 18. ait. *Propter quam autem causam vtrumque horum accidit, posterius dicemus &c.* vbi Zabarella dicit, Aristotelem asserere, quod causa horum duorum in præsentia non est quærenda, quia declarabitur posterius. Intelligit autem illa duo, quæ proxime docuit. Vnum, cur nutritiuum possit esse sine sensitiuo: Alterum, cur sensus tactus possit esse sine alijs sensibus, proinde sine motu, & non è conuerso; horum enim causam afferet postea, non quidem in textu 30., & 31., vt aliqui dicunt, sed in calce tertij libri, vbi exquisite loquitur de ratione huius ordinis; ibi enim dicit, causam, cur vegetatiuum possit esse sine sensu, esse, quia plantis, quæ vegetabiles sunt, non conuenit sensus; neque enim propter esse, neque propter bene esse requirunt sensum; cum sufficienter possint sine sensu seruari. Natura enim nihil frustra facit, & præterea, cum earum materia debeat esse solida, & dura, ne à frigore, & æstu facile corrumpatur, sensum habere non potuerunt, quia quæ sunt valde terrea, sunt ad sentiendum inepta, vt etiam ossa.

Cur autem tactus possit ab alijs sensibus separari, causa est, quis solus tactus est necessarius animali, vt sit animal; alij vero sensus non faciunt animal, quà animal est, sed conferunt ad conseruationem animalis, ad quærenda iuuantia, & ad nociua fugienda. Quoniam ergo animalia quædam imperfectiora nõ egent alijs sensibus pro sui conseruatione; cũ fixa lapidibus sufficienter nutriantur, ideo natura eis alios sensus non dedit, quia nihil frustra facit. Nunc igitur, inquit Aristoteles, non opus esse has causas considerare, siquidem loco suo considerabuntur, sed satis esse, si ex his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

in præſentia id habeamus, quod eſt ſcopus præſentis ſpeculationis, quod animæ natura conſiſtit in hoc, vt ſit principium conſtitutiuum horum quatuor graduum viuentium; per hoc enim poſtea definiet animam, hoc eſt per hos omnes gradus viuentium, quorum eſt forma, ſcilicet per vegetatiuum, ſenſitiuum, loco motiuum, & intellectiuum.

Præterea eodem libro ſecundo de anima textu 76. Ariſtoteles inquit. *Videntur enim & animalium aquatica habere odoris ſenſum, ſed homo, & pedibus ambulantium quæcumque reſpirant, non poſſunt odorare, non reſpirantia. Cauſa autem & de his, poſterius dicetur*, vbi Dandinus affirmat, huiuſmodi cauſam ab Ariſtotele manifeſtandam eſſe in textu 100. ſecundi de anima, aut etiam in libello de ſenſu, & ſenſili, quando de odoratu diſſeret.

Inſuper in textu 88. eiuſdem ſecundi de anima loquens de voce, ac docens, naturam vti aere, qui reſpiratur, ad duo opera, ſicut vtitur lingua ad guſtum, & locutionem, ſubdit. *Cauſa autem in alijs dicetur*, circa quod idem Dandinus conſiderat, quod Philoponus, & Simplicius interpretati ſunt, Ariſtotelem ſignificare libros de partibus animalium, & libellum de reſpiratione, quam ſententiam ipſe ea ex parte non probat, quod libri de partibus animalium; cum hos de anima libros anteceſſerint, non poterant hoc loco, tamquam ſubſecutura tractatio proponi. Quare ſolum de reſpiratione libellum intelligit, qui, & ſubſecutus eſt,& hanc rem totam optime complectetur. Denique in Commentario textus 91. libri ſecundi de anima, in cuius calce Ariſtoteles ait. *Propter quam igitur cauſam, alia ratio eſt*, Dandinus hæc ſcripta reliquit, videlicet.

Quæ porro ſit cauſa, cur piſces arteria, pulmonibus & omnino reſpiratione careant, alio potius loco explicandum eſt, neque ad rem præſentem pertinet: ſed tum in libris de partibus animalium, vt inquiunt Philoponus, Auerroes, & Simplicius: tum in libro de reſpiratione conſiderabitur.

Satis ergo monſtratum eſt, Ariſtotelem eſſe immunem ab hac accuſatione; cum non tegat callide ignorantiam cauſarum, vt male iudicauit Gaſſendus, ſed earum conſiderationem, & explicationem remittat in locum opportuniorem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Decima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia primo de anima capite primo logicam prorsus doctrinam tradit de methodo, arteue, & varijs definiendi rationibus. Quorsum id enim? Nisi quandocumque erit aliqua tradenda definitio, definiendi regulæ, ac leges generales præmittendæ sint?

Maffeus dissentit, & respondet negando, id esse superfluum, sed potius dicendum est, hoc ab Aristotele fieri potuisse absque vlla prorsus absurditate. Zabarella enim in suo Commentario in primum caput primi de anima docet, id ab Aristotele factum esse duabus de causis.

Primo quia, cum sit in Proemio, vtitur amplificatione, vt difficultatem augendo, maiorem pariat attentionem, vnde animaduertit, hanc de methodo difficultatem in secundo libro non solui ab Aristotele, vtpote qui supponet, iam declaratum esse in secundo posteriorum, qua methodo uti oporteat pro attributis, quæ prædicantur in quid.

Secundo quia sic pungere voluit Antiquos, indicans, difficillimum esse, ex dictis eorum duci posse in cognitionem essentiæ ipsius animæ.

Piccolomineus autem in suis annotationibus super hoc idem caput, annotatione tertia considerat, quod quamuis agere de logicis instrumentis sit officium Logici, non Physici; tamen declarata in Logica, debent deinde in scientijs contrahi, præaccipi, & applicari.

Nec ratio Gassendi valida est. Nam primo dicitur, quod non est inconueniens, id ipsum fieri etiam in alijs disciplinis, applicando illis regulas definiendi traditas in Logica, si res ipsa ita postularet: Secundo dicitur, id præcipue in scientia de anima fieri debere ob maximas difficultates, quas continet, easque retulit Aristoteles in eodem capite.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Decima ſeptima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite ſecundo tautologia eſt in recenſendis Philoſophorum opinionibus circa animæ naturam, vt Democriti, & Anaxagoræ.

Maffeus diſſentit,& reſpondet negando quod à Gaſſendo gratis accipitur, nempe in recenſendis Veterum opinionibus de natura, & eſſentia ipſius animæ committi tautologiam. Etenim Ariſtoteles in ſecunda parte illius capitis plura facit.

Primo à textu 20. vſque ad 24. incluſiue ponit opiniones eorum, qui animam indagabant per motum.

Secundo à textu 25. vſque ad 27. incluſiue ponit opiniones eorum, qui animam indagabant per cognitionem.

Tertio à textu 28. vſque ad 32. incluſiue ponit opiniones eorum, qui animam indagabant per vtrumque, videlicet per motum, & per cognitionem, vnde patet, Ariſtotelem verſari ſemper circa diuerſa; tautologia vero requirit, vt eadem repetantur.

Quod autem dicit Gaſſendus de Democrito, & Anaxagora, ipſemet Ariſtoteles in textu 23. primi de anima confitetur, inter opinionem vtriuſque fuiſſe aliquam diuerſitatem, quæ tautologiam tollit. Ait enim. *Similiter autem & Anaxagoras animam dicit eſſe mouentem, & ſi quis alius dixit quod totum mouit intellectus; non tamen pœnitus, ſicut Democritus.*

Accuſatio Decima octaua.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia libro ſecundo de anima capite quinto, vt citat Gaſſendus, vel iuxta noſtram citationem capite primo Summæ ſecundæ, maxima eſt farrago de actu, & potentia, tum remota, tum proxima.

Maffeus diſſentit, & reſpondet negando, illam eſſe farraginem; cum potius dicenda ſit doctrina valde vtilis, quod facile manifeſtabitur, ſi ordientes à textu 53., in quo Ariſtoteles incipit conſiderare actum, & potentiam, oſtendamus, quæcumque de his protulit, optima ratione ductum pronunciaſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Zabarella in suo Commentario super secundum de anima loco citato dicit, quod Aristoteles declaraturus, quomodo sensus ducatur de potestate ad actum, prius iacit quædam fundamenta.

Primum ponitur in textu 53., & continet distinctionem sensus, quę assignatur per actum, & potentiam. Vel enim est actu, vt cum aliquis actu videt. Vel potestate, vt quando non videt actu; videre tamen potest, vt quando est in tenebris, vel quando dormit, licet cum discrimine. Nam qui dormit, videtur esse in potentia remotiori; qui vero est in tenebris, in potentia magis propinqua.

Alterum fundamentum legitur in contextu 54., & continet solutionem cuiusdam tacitæ dubitationis, quæ poterat oriri ex dictis Nam in textu 51. dictum est, quod sentire est pati; postea vero in textu 53. dictum est, quod sentire dicitur duobus modis, idest vel potestate, vel actu, potestate quidem, quando non operatur, sed potest operari; actu autem, quando operatur, ex quibus videtur colligi posse contradictio in Aristotele, quia cum prædixisset, sensum esse passiuum, postea dicit, ipsum esse actiuum, Etenim operari est agere.

Docet ergo Aristoteles, quod operari latius patet, quàm agere proprie sumptum; licet enim hoc non conueniat patienti, sed solum agenti, attamen illud est commune vtrique. Nam sicut illud, quod habet uim efficiendi, quando exit in actum, & actu efficit, dicitur operari, sic etiam illud, quod est aptum moueri, aut pati aliquid, ac recipere aliquam perfectionem, ad quam dirigitur, dicitur operari, quando actu mouetur, & patitur; tunc enim exit in actum, & ad suam tendit perfectionem. Cum ergo verbum operari sumatur non solum pro actione, sed etiam pro passione, ideo tollitur prædicta contradictio, simul enim verum est dicere, quod sensus est passiuus, & quod operatur, dum patitur, quatenus exit in actum, ac tendit ad suam perfectionem.

Hoc autem verum esse, quod scilicet agere communiter sumptum pro operari conueniat, & ab Aristotele tribui soleat non solum agenti, sed etiam patienti, patet insuper ex tertio physicorum, quē locum hic citat Aristoteles. Ibi enim definiens motum, ait, esse actum imperfectum, & respicit id, quod mouetur, non id, quod mouet, quia mouens habet actum perfectum, & per hunc mouet. Motus vero non est in mouente, vt in subiecto, sed in moto, & patiente, ideo respectu moti Aristoteles asserit, motum esse actū imperfectum. Quapropter iuxta mentem Aristotelis mobile, quando mouetur, operatur, quia exit in actum, & transit ad perfectionem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Tertium fundamentum habetur in textu 55., & in eo continetur distinctio actus, & potentiæ. Sicut enim duplex est actus, videlicet primus, qui est ipsa forma, & secundus, qui est operatio formę, ita duplex est potentia. Vna, quę respicit actum primũ, vt est potentia materię ad formam: alia, quę respicit actum secundum, vt est potentia formę ad operationem.

Hanc vero distinctionẽ ideo necessariam esse putat Zabarella, quia sine hac non potest declarari, quomodo sensus, quem Aristoteles dixit esse, tum actu, tum potestate, de potentia reuocetur ad actum.

Et ne vlla detur occasio dubitandi de veritate prędictę distinctionis, idcirco Aristoteles eam declarat exemplo scientis, quę sane declaratio non potest censeri farrago; cum contineat, quę cognitu necessaria sunt ad prędictam distinctionem plene percipiẽdam.

Quartum fundamentum iacitur in contextu 57., & in eo distinguitur passio, siuè alteratio in perfectiuam, & corruptiuam. Hanc vero perfectiuam alterationem Aristoteles explicat exemplo sciẽtis, & ita meminit actus, & potentię dicens, quod sciens, qui iam habet scientiam, non semper actu speculatur, sed aliquando est in potentia ad speculandum; aliquando autem speculatur actu, & quando mutatur, transiens ad actum speculationis, nihil amittit, sed potius perfectionem acquirit, videlicet actum secundum, qualis est speculatio, ad quam prius erat in potentia, dum habebat solummodo actum primum, nempe scientiam. Hic ergo transitus de potestate ad actum, inquit Aristoteles, vel non est alteratio; cum in illo reuera fiat solum additio perfectionis. Vel est alteratio impropriè dicta, seu perfectiua.

Iactis prædictis fundamentis, Aristoteles in textu 59. accedit ad ostendendum, à quonam agente ducatur sensus de potestate ad actum, dicens, quod à prima potentia ducitur ad actum primum à generante. Cæterum ab actu primo ad actum secundum ducitur ab externo agente, nimirum ab obiecto, quod agit in sensorium, quemadmodum etiam ille, qui habet scientiam, vt actum primum, & actu non contemplatur, ducitur ad actum contemplationis ab obiecto mouente; cum hoc tamen discrimine, quod sensus ad actum sentiendi ducitur ab obiecto, quod est extra, vnde non est in eius arbitrio sentire, quando vult. Intellectus autem scientiam habens mouetur ad actum speculandi ab obiecto, quod non est extra, sed in anima ipsa, vnde speculari potest, quando vult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Huius autem differentiæ rationem affert Ariſtoteles in textu 60. dicens, id ita fieri, quia ſenſus eſt ſingularium; ſcientia vero, ſiue intellectus ſciens eſt vniuerſalium. Sed ſingularia ſunt extra animam. Vniuerſalia vero in anima, ergo ſenſus mouetur ab obiecto, quod eſt extra; intellectus autem ab obiecto, quod eſt intra. Minor patet, quia ſingularia exiſtunt cum ſenſibili materia, quæ non recipitur in anima, ſed eius ſpecies, & imago ſpiritalis, quæ non producitur, niſi ab obiecto reali, quod eſt extra animam, & ob id obiectum, à quo mouetur ſenſus, eſt extra. E contrario autem vniuerſalia non ſunt coniuncta cum ſenſibili materia, ſed ab ea potius abſtrahuntur, ideoque habere poſſunt eſſe in anima, vnde obiectum, à quo mouetur intellectus, dicitur eſſe intra.

Tandem Ariſtoteles in textu 61., & 62. paucis repetens quæ dicta ſunt de ſenſu in communi, docet, ſenſum, quando in principio ſenſationis patitur ab obiecto, pati à diſſimili; non autem à ſimili; tunc enim eſt talis poteſtate, quale eſt obiectum actu, quemadmodum quando patitur oculus à colore, non eſt ſimilis colori; cum non ſit actu coloratus, ſed poteſtate tantum. At poſtquam ſenſus paſſus eſt ab obiecto, tũc factus eſt actu ſimilis; oculus enim, poſtquam recepit à colore ipſo reali ſpeciem coloris, ſiue colorẽ ſpiritalem, factus eſt actu coloratus, atque ideo ſimilis colori, mediante ſpecie repræſentatiua coloris.

Ex his plane liquet, in prædicto capite non contineri farraginem de actu, & potentia, tum remota, tum proxima; cum in eo ab Ariſtotele tradantur quæ neceſſaria, vel maxime vtilia ſunt ad intelligendum modum, quo ſenſus dicitur eſſe in potentia, vel in actu, & quo de potentia ducitur ad actum.

Accuſatio Decima nona.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia in ſequentibus capitibus eiuſdem ſecundi libri de anima maxima eſt periſſologia, quod ſenſus percipiat obiectum, & priuationem eius, vt viſus viſibile, ac inuiſibile, vbi quærendum non eſt, qua ratione viſu percipi, ſeu videri poſſit quod eſt inuiſibile.

Maſſeus diſſentit, & reſpondet dicendo, quod cum periſſologia, vt videre eſt apud Ambroſium Calepinum, ſit ſermonis redundantia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tia, quando ſcilicet ſuperflue repetitur quod iam dictum eſt, certe Gaſſendus non poteſt accuſare Ariſtotelem, qui non ſuperflue, ſed rationabiliter docet, quod ſenſus percipiat obiectum, & priuationem eius, vt viſus viſibile, & inuiſibile, idque perſpicuum fiet, cõſiderãdo textus, in quibus hoc ab Ariſtotele traditur.

In primis dici non poteſt, quod ſuperfluum ſit, ab Ariſtotele conſiderari obiectum ſenſus, & priuationem ipſius. Quia ſicuti contrariorum eadem eſt diſciplina (Medicina enim eſt ſcientia ſani, & ægri) ſic eadem eſt potentia contrariorum, & propterea oportet, vtrumque conſiderari, vnum quidem per ſe, ac primario; alterum vero per accidens, & ſecundario. Hinc autem ſequitur, debere ab Ariſtotele perpendi modum, quo inuiſibile videri poſſit; cum primo aſpectu paradoxum cenſeri valeat, ſub aſpectum cadere poſſe quod eſt inuiſibile.

Nec etiam dici poteſt, quod Ariſtoteles id repetat multoties abſq; ulla ratione.

Nam in textu 103. repetit quod dixerat in textu 96., videlicet, omnem potentiam ſenſitiuam verſari circa obiectum, & priuationem ipſius. Quia in textu 96. confuſe protulerat de aliquibus ſenſibus dicens. *Adhuc autem ſicut auditus, & vnusquiſque ſenſuum, hic quidem audibilis, & inaudibilis; ille vero viſibilis, & inuiſibilis, & olfactus odorabilis, & inodorabilis. Inodorabile autem aliud quidem ſecundum id, quod omnino impoſſibile eſt habere odorem; aliud vero paruum habens, & prauum. Similiter autem & inguſtabile dicitur*, vnde patet, quod Ariſtoteles de obiecto viſus, auditus, & guſtus confuſe locutus eſt; cum non tradiderit, an illi tres modi, quibus affirmauit, aliquid appellari poſſe inodorabile, conueniant etiam obiecto viſus, auditus, & guſtus, propterea in textu 103. id explicat, aſſerens, tres prædictos modos competere quoque obiectis aliorum ſenſuum, quos nominauimus, & de quibus Ariſtoteles expreſſe meminit loco citato.

In textu 120. argumento à ſimili de viſibili, & inuiſibili, nec non de alijs oppoſitis aliorum ſenſuum Ariſtoteles oſtendit, etiam tactũ reſpicere non ſolum ipſum tangibile, ſed etiam intangibile, ſimulque declarat, quomodo dicatur aliquid intangibile, ſicut in præcedentibus expoſuit, quibus modis aliquid ſit inuiſibile &c. Patet ergo, Ariſtotelem non eſſe ſuperfluum in hac tractatione, in qua rationabilia ſemper docuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Vigesima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia tertio de anima, capite tertio iuxta citationem Gassendi, magna farrago est ad explicandum, quid sit imaginatio?

Maffeus dissentit, & respondet negando, ibi esse magnam farraginem. Quia de imaginatione Aristoteles tertio de anima loquitur in his tantum textibus, videlicet 42. 48. 49., 51. 56., & 57., neque in aliquo istorum reperitur magna farrago, sed congrua tractatio, quæ valde accõmodata est rei ad contemplandum propositæ, vt facile ostendi potest, perpendendo singulos contextus, paulo ante citatos.

In textu 42., postquã Aristoteles in textu 41. retulit duas sententias diuidentium partes animæ, quarum

Prima fuit Platonis, qui diuisit animam in tres partes, videlicet in rationalem, positam in cerebro. In irascibilem, positam in corde, & in concupiscibilem, positam in iecore.

Secunda fuit aliorum, qui animam diuidebant in rationalem, & irrationalem,

Cæpit pluribus rationibus demonstrare, has animæ diuisiones esse insufficientes; cumque in textu 41. vnam, vel alteram attulisset, in prædicto textu 42. tertiam adducit, desumptam ex facultate imaginatrice, qua præcipue refellit opinionem Platonis, & argumentatur sic.

Facultas imaginatrix, quæ, saltem ratione ab omnibus alijs diuersa est, non potest reuocari ad vllam earum, quas Plato enumerauit, ergo diuisio à Platone assignata est insufficiens. Consequentia est satis euidens. Antecedens quo ad primam partem constat ex eo, quod imaginari, & absentia etiam obiecta cognoscere, varijsque modis componere, vel eorum, quæ numquam sunt, fingendo imagines, est operatio quædam peculiaris, & ab omnibus alijs diuersa.

Quo ad secundam partem, patet ex eo, quod in primis non potest reduci ad rationalem; cum imaginatio insit etiam bestijs, quibus ratio non inest. Neque ad concupiscentiam, vel iram. Tum quia hæ appetitus quidam sunt. Imaginatrix vero est quædam vis cognoscens. Tum quia Plato nedum huius facultatis, verum

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

etiam sensuum omnium pro satellitio rationis sedem agnouit in cerebro, simulque ipse concupiscentiam in iecore posuit, iramque in corde. At si sedibus differunt, idem re, ac subiecto esse non possunt.

In textu 48. Cum superius dubitasset de principio motiuo animalium secundum locum, postea statuens, quid pro veritate sentiendum sit, docet, duo esse principia mouentia, videlicet appetitum, & intellectum, ita tamen, vt sub intellectu comprehendatur phantasia, siue imaginatio, quæ habet aliquid simile intellectui, quatenus mouet ad absentiam sensibilium, sicut intellectus.

Quod enim ipsa quoque phantasia sit principium motus, non solũ apparet in multis hominibus, qui prætermissa cognitione intellectus, prosequuntur in suis motibus phantasiam, vt faciunt ij, qui non agunt secundum rationem, sed impetu mouentur ad aliquid agendum, verum etiam in alijs animalibus, quæ carent intellectu, & ratione; in his enim sola phantasia est, quæ possit mouere; cum in hominibus reperiatur vtrumque principium, scilicet intellectus comprehendens sub se phantasiam, & appetitus.

In textu 49. probat, tam intellectum practicum, qui cognoscit propter opus (sub quo quidem intellectu comprehenditur etiam phantasia, siue imaginatio) & appetitum esse principia prædicti motus, & arguit sic.

Appetitus non mouet, nisi aliquid intendat. Hoc autem non potest mouere appetitum, nisi prius intellectu percipiatur, ergo necessarius est intellectus, vel necessaria est imaginatio ad motum. At imaginatio, seu intellectio non mouet sine appetitu, quando mouet, quia proponit appetibile. Igitur vtrumque est principium motus. Cognoscitiua namque potentia finem apprehendit, qui appetitum incitat ad motum. Quare tam cognitio, quam appetitus simul sunt principium huius motus.

In textu 51. confirmat, quod magis moueat appetitus, quam intellectus, vel imaginatio, quia, cum intellectus semper sit rectus: non tamen motus semper sit rectus. Similiter, cum imaginatio varietur, & tamen hoc semper inuariatum sit, quod debet esse aliquod bonum, & appetibile, signum est, appetitum esse causã motus præcipuam.

Intellectus autem dicitur semper esse rectus, quoad prima principia practica. Non enim est deceptio in his, videlicet. Malum est fugiendum: bonum est prosequendum, & alijs huiusmodi. Deceptio est in subsumptis particularibus, quod hoc, vel illud sit

bo-

bonum, vel malum, conueniens, vel diſconueniens, & ob id imaginatio, quæ verſatur circa particularia, ſæpe non eſt recta, & ideo iudicat bonum, quod non eſt, & contra, vnde appetitus non ſemper mouetur à vero bono, ſed aliquando ab apparente.

In textu 56., & 57. docet, imaginationem ineſſe animalibus imperfectis, & hominibus; non tamen eodem modo. Nam illis ineſt imaginatio imperfecta, & indeterminata; his vero deliberatiua, & determinata.

Profecto in his omnibus tractationibus ab Ariſtotele habitis de imaginatione, nulla prorſus cernitur farrago, niſi quis eam fingere velit; cum in ipſis tantummodo contineantur quæ maxime faciunt ad exponendam propriam conditionem imaginationis.

Accuſatio Vigeſima prima.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia libro tertio de anima capite 6., vt ipſe citat, repetit doctrinam prorſus logicam de functionibus intellectus. Illas certe Sectatores transferunt, ac tractant in Logica.

Maffeus diſſentit, & reſpondet dicendo, quod ſicuti non eſt abſurdum, decem categorias conſiderari á Logico, & à Metaphyſico. A Logico, tamquam ſubiectum operationis, & á Metaphyſico, quatenus entia ſunt, neque inconueniens eſt, corpus naturale perpendi à Phyſico, & à Mathematico. A Phyſico quidem, provt habet in ſe naturam. A Mathematico autem, prout eſt quantum, ita ſine abſurditate fieri poteſt, vt operationes intellectus noſtri pertineant ad Logicam, & ad libros de anima. Quoniam ad Logicam ſpectant, vt ſecundæ intentiones, atque ideo ut inſtrumenta, quibus vtitur intellectus noſter, vel ad agnoſcendas naturas, & eſſentias rerum, vel ad ſignificandum, quod aliquod prædicatum, ſiue attributum conuenit, aut non conuenit ſubiecto, vel ad ratiocinandum, ſiue ad aliquid notificandum, vnde non mirum, ſi Sectatores Ariſtotelis huiuſmodi conſiderationem transferant ad artem Logicam, vt ait Gaſſendus. Nam ad illam transferunt etiam tractationem de decem prædicamentis, quamvis hęc habeatur quoque in prima philoſophia. Cæterum ad libros de anima pertinent, vt effectus, qui ab ipſamet anima producuntur, & ideo Ariſtoteles eas conſiderans in tertio de anima ſecundum hunc modum, non eſt culpandus. Ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Vigeſima ſecunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia in capite 7. iuxta citationem Gaſſendi, & iuxta noſtram in textu 28. uſque ad 36. incluſiue, repetit iam ſæpe dictum, quod ſenſio ſit alius motus, aliaque alteratio, quàm aliás deſcripſerit (quod nimirum non eſt alteratio, non corruptio &c.) Vbi etiam repetit millies repetita de abſtractione mathematica.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, id ab Ariſtotele fieri ſecundum diuerſam rationem. Nam ſecundo de anima Summa tertia capite primo, & Summa quarta capite primo docens, quomodo ſenſatio dicatur paſſio, vel alteratio, loquitur de potentia ſenſitiua ſimpliciter, & abſolute, ſiue ſecundum ſe; dum autem hoc idem repetit loco citato tertij de anima, id facit comparatiue, ſiquidem intentio Ariſtotelis ibi eſt, oſtendere, ſenſum, & intellectũ conuenire in multis, ex quibus hoc vnum eſt, quod vterque patitur ab obiecto, à quo reducitur de poteſtate ad actum, vnde non mirum, ſi repetat, ſenſionem eſſe paſſionem, vel alterationem perfectiuam; id enim præſtat, vt explicet, quomodo ſenſus in hoc conueniat cum intellectu. Et ſi repetit etiam quæ alias dixit de abſtractione mathematica, id facit ſecundario, quatenus dixerat, intellectum ſpeculatiuum conſiderare verum in communi, & abſtractum; alibi vero de abſtractione mathematica locutus eſt ob aliquem alium finem, vel alio modo, ſicut primo de anima textu 17. meminit abſtractionis mathematicæ, quatenus vult oſtendere differentiam, quæ reperitur inter Phyſicum, & alios artifices in conſideratione rerum. Phyſicus enim ſolus conſiderat in rebus materiam vniuerſaliter, adeo vt ipſe dumtaxat verſetur circa ſenſibile corpus in vniuerſali, quod oſtenditur inductione. Nam aliqui conſiderant quidem paſſiones non ſeparabiles à materia, & vt non ſeparabiles; non tamen omnes, ſed aliquas in particulari, vt Medicina corpus humanum. Et aliquæ artes mechanicę perpendunt aliquas affectiones materię, aut qualitates aliquas arti conuenientes, vt ligni, vel ferri, ſed non conſiderant vniuerſaliter materiam omnem ſenſibilem. Alij artifices contemplantur quidem res, quæ non ſeparantur ſecundum rem à materia; illas tamen conſiderant, non vt in materia, ſed abſtra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

abstrahendo, & remouendo eas à materia, vt se habet Mathematicus. Alij considerant ea, quæ non sunt in materia, & hic est Metaphysicus. Superest ergo solus Physicus, ad quem referenda sit vniuersalis consideratio materiæ, ideoque definitio tradita per materiam est magis physica, quàm quæ datur per formam, ex quo discursu clare constat, Aristotelem agere de abstractione mathematica, vt exponat modum peculiarem, & diuersum, quo Physicus vtitur in contemplandis, & definiendis rebus, circa quas immoratur.

Similiter in secundo physicorum, Summa secunda capite primo verba facit de abstractione mathematica eo fine, vt scientiam naturalem separet à mathematica, & ut constet, quomodo verum sit, quod corpora physica in seipsis habeant ea, de quibus pertractat mathematicus, nempe puncta, lineas, & superficies; & tamen Physicus differat à Mathematico. Etenim vtrumque verum esse docet, quatenus Mathematicus abstrahit prædicta accidentia à corporibus physicis, & ea considerat secundum seipsa, non consideratis corporibus, in quibus existunt. Physicus vero eadem expendit, vt terminos corporum naturalium, vnde Zabarella in suo tractatu de naturalis scientiæ constitutione capite 11. dicit, quod quando Aristoteles per naturam definitam, siue per internum principium motus separat scientiam naturalem ab alijs, & præcipue à Mathematica, constituit principium cognitionis in scientia de natura, quatenus dubium tollit, quod oriri poterat circa corpus naturale, an scilicet ab alijs scientijs consideretur, & quomodo.

Itaque Aristoteles diuersis in locis diuersimode agit de abstractione mathematica. Hic enim ea vtitur propter id, quod dixerat de intellectu speculatiuo. In primo de anima, vt ostendat, Physicum in rebus definiendis differre à Mathematico. In secundo physicorum, vt scientiam naturalem distinguat à Mathematica. Non ergo est accusandus.

Accusatio Vigesima tertia.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 12., vt citat Gassendus, vel capite quinto, Summæ quartæ repetit, quod millies iam dixit, gustum esse quemdam tactum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus dissentit, & respondet, non esse inconueniens repetere idem, dummodo id fiat cum aliqua rationabili causa, vel sub diuersa consideratione, vt fecisse Aristotelem, ostendi potest, adducendo in medium, & exponendo illos textus, in quibus prædictam protulit assertionem. Dixit ergo Aristoteles, gustum esse quemdam tactum in sequentibus textibus, videlicet.

In textu 94. secundi de anima.

In textu 63. tertij de anima.

In textu 64. eiusdem.

In libello de sensu, & sensilibus capite secundo prope finem.

In eodem libello, capite quarto in principio.

Intentio Aristotelis in textu 94. libri secundi de anima eò dirigitur, iuxta interpretationem Toleti, vt proposita difficultate cognoscendi odores, tradat methodum, qua facilius cognoscantur, cõstituitque, olfactum cum gustu magnam habere similitudinem,& odores cum saporibus. Quare per sapores oportet cognoscere odores; cum sapores nobis notiores existant; homo enim melius cæteris animalibus cognoscit sapores, quod quidem Aristoteles manifestat ex eo, quia homo tactu vincit omnia animalia. Sed gustus est quidam tactus, nempe tactus linguæ circa sapores,ergo vincit etiam gustu. Melius ergo percipit sapores. Maiorem probat,quoniam homo est animal omnium aliorum prudentissimum. Tactus autem conducit ad prudentiam, ergo sicut prudentia, ita & tactu homo vincit omnia animalia. Minor probatur à signo. Etenim per tactum bonum, vel malum iudicamus de ingenio bono, vel malo, & non per alium sensum. Tactus ergo aliquid ad prudentiam facit, vnde homines boni tactus, & molles carne vocamus alijs magis ingeniosos. Quare si homo tactu superat cætera animalia, excellet etiam gustu, & ideo sapores optime cognoscet, licet alijs sensibus vincatur ab alijs animalibus.

In textu 63. libri tertij de anima eamdem pronunciat in ordine ad ipsum animal. Cum enim docuisset, sensum tactus esse illi simpliciter necessarium, admonet, hoc etiam aliquo modo dici posse de gustu, qui quamvis non sit animali necessarius, quatenus est perceptiuus saporum; attamen est ei necessarius, quatenus tangendo sentit.

In textu 64. eiusdem tertij de anima idem repetit, sed in ordine ad obiectum, quod est ipsum tangibile, ac nutritiuum, tamquam ad rationem, ob quam conuenit gustui esse quemdam tactum; ideo enim gustus est quidam tactus, quia est sensus tangibilis, & nutritiui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Non obſtat, quod Ariſtoteles hanc eamdem rationem deſumptam ex obiecto viſus fuerit tetigiſſe in ſuperiori contextu 63., in quo dixit. *Quapropter & guſtus, vt tactus quidam; alimenti enim; alimentum autem corpus tangibile.*

Nam reſpondetur animaduertendo, has duas rationes valde differre. Quia per primam ſignificatur, guſtum conuenire cum tactu, quatenus etiam ipſe verſatur circa idem obiectum materialiter ſumptum, quod eſt corpus tangibile. Per alteram vero deſignatur, guſtum differre á tactu ſecundum diuerſam rationem formalem, ſecundum quam verſatur circa corpus tangibile. Ariſtoteles enim dicens in textu 64., propterea guſtum eſſe quemdam tactum, quia eſt ſenſus tangibilis, & nutritiui, per hoc quod addit. *Et nutritiui*, denotat, quomodo guſtus verſetur circa nutrimentum; non enim reſpicit illud, quatenus eſt tangibile; nam ſic formaliter pertinet ad tactum, ſed quatenus refertur ad nutritionē animalis.

In libello de ſenſu, & ſenſilibus capite ſecundo prope finem, Ariſtoteles ait. Guſtatiuum vero ſpecies quædam tactus eſt; perinde autem eſt, ac ſi diceret, guſtum eſſe quemdam tactum. Hoc autem dictum ab Ariſtotele pronunciatur in ordine ad elementa. Nam, cum antea oſtendiſſet, ſenſui viſus aſſignari elementum aquæ, poſtea nititur demonſtrare, quomodo vnicuique aliorum ſenſuum tribui poſſit aliquod elementum peculiare, vnde loco citato, poſt quàm patefecit, ſenſui tactus tribuendam eſſe terram, ex eo, quod guſtus eſt quidam tactus, concludit, etiam ipſi guſtui dandum eſſe elementum terræ, ideoque repetit illam propoſitionem in ordine ad elementa.

In eodem libello capite 4. in principio, eadem vtitur aſſertione, ſed vt reddat rationem ordinis à ſe adhibiti in conſideratione ſaporis, & odoris. Videbatur enim prius eſſe dicendum de odore immediate poſt colorem, quia odor ſentitur per medium extrinſecum, ſicut & color; non autem ſapor, ſed ordo diſciplinæ requirit, vt à manifeſtioribus ad minus manifeſta procedatur. Manifeſtius autem nobis eſt genus ſaporum, quàm odorum, vnde prius de ſaporibus eſt agendum. Vt ergo Ariſtoteles reddere poſſet conuenientem rationem huius ordinis, ſecundum quem prætulit conſiderationem ſaporis tractationi de odore, probare debuit, ſapores eſſe nobis notiores odoribus; cumque id confirmet ex eo, quod habemus certiorem tactum, ideoque guſtum, qui eſt quidā tactus, quàm odoratum, propterea prædictam aſſertionem iterū pronunciauit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Ex his omnibus apparet, Aristotelem diuersimode illam adhibuisse.
In secundo de anima, textu 94., vt præscriberet nobis methodum cognoscendi odores.
In tertio de anima, textu 63. in ordine ad ipsum animal.
In textu 64. eiusdem in ordine ad obiectum.
In libello de sensu, & sensilibus capite 2. prope finem, in ordine ad elementa.
In eodem libello capite quarto in principio, vt reddat rationem ordinis in habenda tractatione de saporibus, & odoribus. Quamobrem Aristoteles recte se gessit, nec accusandus erat.

Accusatio Vigesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia tertio de ánima capite 13. iuxta citationem Gassendi, & iuxta nostram, Summa tertia capite primo, & secundo inculcat rursus necessitatem tactus, & quod sensibilis exuperantia sensum offendat, ergo dignus est, qui redarguatur.

Maffeus dissentit, & respondet animaduertendo, quod Gassendus duo Aristoteli obijcit.
Primo quod sæpius inculcet necessitatem tactus.
Secundo quod sæpius repetat, sensum offendi propter exuperantiam obiecti sensibilis.
Quoad primum dicitur, diligenter expendendos esse illos textus, in quibus Aristoteles fatetur, tactum esse ita necessarium animali, vt sine illo animal esse non possit. Hoc autem docet in tertio de anima, textu 60. 63. 64. 67., & 68.
Quoad secundum dicitur, quod Aristoteles illud profert in secundo de anima, textu 123., & in tertio de anima, textu 68.
Nunc ergo inspiciendum est, an eadem ratione vtrumque ab Aristotele semper in medium afferatur (sic enim accusari posset) An vero secundum rationes diuersas, quo pacto nulla reprehensione dignus erit.
In textu 60. asserit, sensum tactus esse necessarium animali, propterea quod ibi proposuit ostendendum, quibus insit, & quibus non insit sensus; hoc autem explicat per duo dicta, quorum primum tale est. Sensus non inest omnibus viuentibus, idque probat.

Pri-

Primo quia quæ ſimplex habent corpus, non poſſunt habere ſenſum tactus. Atqui aliqua viuentia ſimplex habent corpus, ergo non poſſunt habere tactum, ergo nec ſenſum; nullus enim eſt ſenſus ſine tactu.

Simplicia vero corpora vocat illa, quibus multum dominatur aliquod elementum, quales ſunt plantæ, in quibus abundat elementum terræ, non ſolum ſecundum ſubſtantiam (ſic enim abundat etiam in animalibus, quæ plus terræ habent, quàm alterius elementi) ſed ſecundum qualitates alteratrices, quæ tactum impediunt.

Secundo quia non omnia viuentia ſunt ſuſceptiua formarum ſine materia, ideſt ſpecierũ ſenſibiliũ, vt ſpecies ſunt, ob id non ſentiũt.

Secundum tale eſt. Omnia animalia ſenſum habent, quod probat, ſuppoſitis duobus.

Primo quod natura nihil fruſtra facit.

Secundo quod omnia, quæ natura fiunt, propter finem fiunt.

Tunc arguit ſic.

Animalia ſine alimento finem ſuum conſequi non poſſunt. Sed abſque ſenſu ali non poſſunt, ergo neceſſario habent ſenſum. Maior eſt nota. Nam finis animalium eſt conſeruatio ſui, quam appetit vnumquodque, nec eam conſequi poſſunt ſine alimento. Minor probatur. Quoniam animalia non ſunt ſicut plantæ, quæ ſumunt alimentum ex terra, in qua natæ ſunt. Verum animalia indigent motu ad quærendum alimentum.

Ex hoc diſcurſu conſtat, Ariſtotelem dicere, quod tactus eſt neceſſarius animali, vt patefaciat, quibus reuera ineſt ſenſus, & quibus non ineſt.

In textu *63*. repetit idem in ordine ad probandam quamdam minorem propoſitionem illius argumenti, quo in textu *62*. vſus eſt ad manifeſtandam veritatem huius concluſionis, videlicet. Corpus non manens, ideſt progreſſiuum, habens animam cum ſenſu, debet eſſe mixtum. Argumentum autem Ariſtotelis fuit iſtud.

Si prædictum corpus non eſſet mixtum, eſſet ſimplex. At vero ſimplex eſſe non poteſt, ergo debet eſſe mixtum. Sequela patet ex ſufficienti diuiſione corporis in ſimplex, & mixtum. Aſſumptum, ſiue minor propoſitio ita probatur. Si eſſet ſimplex corpus, tactum non haberet. Sed neceſſario debet habere tactum, ergo non poteſt eſſe ſimplex corpus. Maior eſt nota conſideranti omnia corpora ſimplicia, nempe Cœlum, & elementa, quibus tactus non ineſt. Minorem confirmat in textu *63*. demonſtrando,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

corpus animalis necessario tactiuum esse, & arguit sic.

Si corpus animalis non esset tactiuum, non posset conseruari. Consequens est falsum, ergo & antecedens. Falsitas consequentiæ satis constat; cum conseruatio sui sit connaturalis vnicuique rei à natura institutæ, ac productæ in esse. Consequentia deducitur ex eo, quod animal est corpus animatum. Omne autem corpus, videlicet generabile, & corruptibile est tangibile, seu sensibile tactu, ideoque debet habere tangibiles qualitates, quemadmodum & corpora illa, quæ ipsum tangunt, prædita sunt qualitatibus tangibilibus, vnde corpus animalis potest immutari ab his, quæ illud tangunt, naturali permutatione (vt patet ad sensum) vsque ad suam corruptionem, nisi habeat sensum tactus, per quem discernere valeat conuenientia à corruptiuis, & possit illa quidem accipere; ista vero fugere. Constat ergo, quomodo animal corrumperetur, nec posset conseruari, si non haberet sensum tactus, & simul etiam patet, Aristotelem aliter protulisse prædictá enunciationem de tactu, ac ipsam expresserit in textu 60.

In textu 64. eamdem ponit ad significandam differentiam, quæ reperitur inter tactum, & inter alios sensus; dicit enim, quod tactus est simpliciter necessarius omnibus animalibus, quod de alijs sensibus dici non potest.

In textu 67. eamdem repetit, vt doceat, ex ipsa deduci posse huiusmodi consectarium, nempe animalia destrui, destructo tactu, quia non est animal sine tactu, nec tactus sine animali, vnde mutua est vtriusque corruptio.

In textu 68. eamdem constituit ad probandum, quod excedentia tangibilia corrumpunt animal; argumentatur autem hunc in modum. Omne excedens sensibile corrumpit sensum, ergo omne excedens tangibile corrumpit tactum. Corrupto autem tactu, qui est simpliciter necessarius animali, corrumpitur animal, ergo excedens tangibile corrumpit animal.

Ex his perspicuum est, Aristotelem, quo ad primum non posse reprehendi; cum semper illam eamdem assertionem retulerit ad varios fines.

Quo ad secundum dicitur, quod Aristoteles in primis illud tradidit in secundo de anima textu 123., deinde in tertio de anima textu 68. in ordine ad diuersa. Ibi quidem in ordine ad potentias, ostendens, cur sensibilia excellentia, vt sonus vehemens, vehemens color, & alia huiusmodi destruunt, ac lędunt potentias; hoc enim euenire docet, quia istæ potentiæ consistunt in quadam harmonia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

monia, & temperie dispositionum, qua perturbata, vel dissoluta, læditur, ac destruitur potentia, sicut consonantia Musicæ perit, chordis fortiter percussis; nam vehemens percussio temperiem chordarum soluit. Cæterum hic, nimirum tertio de anima, textu 68., illa vtitur ad suadendum, quod vehementia sensibilia corrũpunt animal, quod est aliquid à potentijs diuersum, vnde Aristoteles non debebat á Gassendo accusari, quòd eamdem propositionem pluries iterauerit; cum id fecerit, respiciens diuersos effectus, vt sunt isti duo, scilicet corruptio potentiarum, & corruptio animalium.

Accusatio Vigesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro primo capite tertio falsum ponit antecedens, quod nullus motus animæ cõueniat.

Maffeus dissentit, & respondet negando quod Gassendus gratis accipit, nempe Aristotelem ponere falsum antecedens, dum asserit, nullum motum animæ conuenire; hoc enim à Gassendo probandum erat.

Accusatio Vigesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia ibidem colligit, vt falsã, ita & impiam prorsus consequentiam, quod impossibilis sit mortuorum resurrectio.

Maffeus dissentit, & respondet cum Dandino in suo Commentario in primum de anima, textu 41., digressione 10., Aristotelem in eodem textu naturaliter locutum fuisse; sic autem verum dixit, quippe viribus naturæ fieri nequit, vt semel corruptum, redeat idem numero, neque à priuatione ad habitum potest dari regressus; hæc tamen fieri possunt virtute diuina, quam non considerat Physicus, nec Aristoteles, qui loquitur physice.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Vigesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia, inquit, falsum item est, quod Cœlum moueatur ex accidenti circulariter, si præsertim animam habeat, vt docetur hic, textu 49.

Maffeus dissentit, & respondet animaduertendo, quod Gassendus non accipit assertionem Aristotelis in eo sensu, in quo ipse illam protulit. Nec enim Aristoteles moueri per accidens circulariter attribuit Cœlo, vt videtur existimasse Gassendus, sed animæ, dum ait. *Immanifesta autem est, & cur circulariter fertur Cœlum, causa. Neque enim animæ substantia causa est, cur circulariter fertur, sed secundum accidens sic mouetur*, scilicet anima, nõ autem Cœlum. Et quod postrema verba debeant referri ad animam; non verò ad Cœlum, facile intelligetur, si exponatur id, quod Aristoteles in contextu citato præstare intendit. Vult enim, iuxta expositionem Hieronymi Dandini, celeberrimi Cõmentatoris librorum de anima, contra Platonem arguere, ac demonstrare, quod ex eius sententia non potest cognosci, nec exponi causa, cur moueatur Cœlum. Animaduertit autem Dandinus, hoc ab Aristotele aduersus Platonem considerari, propterea quod ipse Plato de Cœli, ac Mundi anima præcipue loquebatur, & ea dicebat, quæ cæteris quoque animabus animalium secundaria ratione conuenirent. Cum vero illa Cœlorum conuersio sit naturalis, & perpetua, minimeque violenta, debet in ipso Cœlo habere principium, & causam, quo præaccepto, Dandinus affert rationem Aristotelis contra Platonem, quæ talis est.

Cum, vt præmonitum fuit, Cœlum debeat in seipso habere causam sui motus circularis, certe vel causa huius motus est anima, vel ipsum cœleste corpus. Non anima, quoniam oporteret, eam prius per se moueri, vt postea suo motu Cœlum impelleret. Sed ostensum est, eam nequaquam per se moueri, quin potius moueri ex accidente, moto Cœlo.

Neque verò cœleste corpus, quoniam ipsum est, quod mouetur, ideoque est mobile, non mouens. Quare neque sibi ipsi, neque animæ potest esse causa motus.

Hinc satis liquet, illa verba. *Sed secundum accidens sic mouetur*, pertinere ad animam, non ad Cœlum. Si enim hoc diceretur

mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

moueri per accidens, profecto diceretur moueri ad motum animæ, quod est irrationabile. Nam sic oporteret, animam esse per se mobilem; quod tamen esse à veritate alienum, Aristoteles pluribus ostendit primo de anima, Summa tertia, capite primo.

Accusatio Vigesima octaua.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro secundo, capite secundo sub finem immerito probat illorum sententiam, qui volunt, animam neque esse corpus, neque aliquid sine corpore. Cum enim de anima in vniuersum loquatur, an non sequitur, humanam sine corpore nihil esse?

Maffeus dissentit, & cum Dandino in Commentario textus 26. libri secundi de anima, respondet

Primo, quod Aristoteles dicens, rectam fuisse opinionem eorum, qui asserebant, animam non posse esse sine corpore, non potuit significare, animam esse mortalem, & á corpore inseparabilem, quippe sibi aperte contradiceret, cum in textu 51. dixerit, quod licet anima sit actus corporis, aliqua tamen separari potest à corpore, quia non est actus corporis, materialis, & pendens à corpore, siue affixus organo, vel instrumento corporeo. Et in textu 21. affirmauit, animam intelligentem separari posse, tamquam perpetuum à mortali.

Secundo quod Aristoteles asserens, animam sine corpore esse non posse, aut de mortali solùm anima locutus est, vt se habet vegetatiua, & sensitiua, cum intellectum iam dixisset esse aliud genus animæ separandum ab alijs: aut respexit animam, quatenus est anima, & forma. Nam omnis anima, vt est anima, & forma, nec non actiones per corpus exercet, sane requirit corpus, & si nihil aliud habeat, omnino non potest esse sine corpore. Quod si aliqua sit immaterialis, & intelligens, habeatque operationem propriam, nempe contemplationem, in qua non solum corporis instrumento non vtitur, quia corpus est illi potius impedimento, hac ex parte separari poterit, & esse sine corpore. Quam ob causam Simplicius non tam animam, quàm intellectum separabilem esse voluit. Anima quippe non tam essentiæ, quàm habitudinis ad corpus nomen est. Itaque sicut Nauta, vt Nauta, siue vt Gubernator nauis, ab ea est inseparabilis, vt autem Homo, separa-

bi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

bilis, sic anima, vt anima, vel vt forma corpus informans, non potest esse sine corpore; sine quo tamen esse potest, vt Mens vel vt Intellectus habens propriam operationem contemplatiuam, omnino independentem à corpore, non solum, tamquam ab organo, verum etiam, tamquam ab obiecto.

Tertio quod hæc enunciatio Aristotelis dicentis, nullam animam posse esse sine corpore, non debet intelligi quoad existentiam, quasi non possit aliqua saltem per se absque corpore cohærere (Intellectiua enim reuera est huiusmodi) sed quoad quidditatem, & definitionem, adeo vt neque intelligi eius natura, neque definitione valeat explicari sine corpore, sed & concipi, & definiri semper debeat cum ordine aliquo ad corpus, quemadmodum & per ordinem ad corpus, & ad tale corpus eam Aristoteles definiuit, cum dixit, esse actum corporis potestate vitam habentis.

Præter has responsiones, quas omnes optimas esse fateor, liceat mihi aliam afferre, quæ sumitur ex modo loquendi, quo vsi sunt illi Antiqui Philosophi, quorum opinionem Aristoteles commendauit. Ipsi enim aiebant, animam non posse esse sine corpore, quia licet anima non sit corpus; attamen est aliquid corporis.

In hoc dicto duo mihi consideranda occurrunt pro responsione ad propositionem, & accusationem Gassendi.

Vnum est, quod hi Philosophi dicentes, animam non posse esse sine corpore, loquebantur indefinite; non autem vniuersaliter;nec enim aiebant, nullam animam, sed animam indefinite acceptam non posse esse sine corpore. Scimus autem, eam esse conditioñe, & legem enunciationis indefinitæ, vt simul sit vera cum sua opposita, quemadmodum simul veræ sunt istæ duæ indefinitæ, videlicet. Homo currit. Homo non currit, quatenus aliquis currit; aliquis vero nõ,vnde quod attinet ad assertionem ab Antiquis prolatam de separabilitate animæ, poterant illam tueri, vt veram, quamuis concederent, eius oppositam simul esse veram; cum veritati consentaneum sit, fateri, aliquam animam, videlicet vegetatiuam, & sensitiuam non posse esse sine corpore, etiam quo ad existentiam, & aliquam posse esse sine corpore scilicet intellectiuam. Ex eo igitur, quod Aristoteles recipit, vt veram opinionem ponentium, animam non posse esse sine corpore, non sequitur, vt putabat Gassendus, animam humanam sine corpore nihil esse, quoniam hæc non comprehenditur in ista Veterum positione; cum possit esse sine corpore.

Alterum est, quod in reddenda ratione, ob quam ipsi opinabantur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

animam non posse esse sine corpore, indicarunt, se sumere animam, non quidem simpliciter, & absolute, siue secundum seipsam (sic enim datur aliqua, vt intellectiua, quæ potest esse sine corpore) sed respectiue, seu cum habitudine ad aliud. Etenim dicebant, ideo animam non posse esse sine corpore, quoniam licet non sit corpus, nihilominus est aliquid corporis, vnde colligitur, de omni anima sumpta eo modo, quo ab illis considerabatur, nempe prout est aliquid corporis, vere pronunciari posse huiusmodi enunciationem, nimirum. Anima non potest esse sine corpore, adeo vt etiam anima intellectiua sub ea intelligatur esse comprehensa; reuera enim anima intellectiua non potest esse, nec etiam concipi potest, vt aliquid corporis, si sit, vel concipiatur esse sine ipso corpore.

Accusatio Vigesima nona.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia falsum videtur, iuxta principia certe Aristotelea, quod respectu sui corporis anima sit causa efficiens, formalis, & finalis. Nam esto, quod sit formalis, & finalis (si causæ tamen dici mereantur) At efficiens quomodo? Si non inducitur anima, nisi in corpus dispositum, organisque elaboratis.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo negando, falsum esse, quod anima secundum Aristotelea principia respectu sui corporis dicatur esse causa efficiens, formalis, & finalis. Ratio autem negationis est. Quoniam, vt quisq; per se ipsum videre potest in contextu 36., & 37. libri secundi de anima, tum ex proprijs definitionibus prædictarum causarum, traditis in secundo physicorum textu 28., & 29., tum ex aliquo proprio attributo earumdem, vt respectu formæ est esse actum ex secundo de anima, textu secundo, Aristoteles concludit, animam esse causam sui corporis, hoc est corporis animati in triplici genere causæ, nimirum efficientis, formalis, & finalis, ideoque id affirmans, pronunciauit id, quod maxime cohæret suis principijs, & suæ doctrinæ.

Secundo dicendo, finem, & formam posse, imo debere citra omnem controuersiam appellari causas, quia conuenit illis definitio causæ; cum vtrique competat esse id, ad cuius esse sequitur aliud;

id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

idest effectus. Etenim ad esse finis, qui mouet agentem ad operandum, & ad esse formæ, quæ iuncta cum materia constituit compositum, sequitur aliud, siue aliquis effectus, vt satis constare potest ex operibus tam naturæ, quàm artis.

Tertio dicendo, quod aliud est considerare corpus in ordine ad esse, quod recipit ab anima, & aliud est considerare corpus in ordine ad operationes animasticas. Verum quidem est, quod anima non est causa efficiens corporis primo modo sumpti (sic enim est causa, vt forma) falsum tamen est, animam non esse causam efficientem sui corporis secundo modo accepti, vnde Aristoteles duas assignauit animæ definitiones, quarum vna, quæ habetur in textu 7. libri secundi de anima, tribuitur animæ, tamquam formæ corporis, dum dicitur esse actus primus corporis physici organici; altera vero, quæ legitur in textu 24. eiusdem secundi libri, conuenit animæ, prout est causa efficiens, & principium productiuum operationum in corpore animato, cum dicitur principium, quo primo viuimus, & sentimus, & loco mouemur, & intelligimus.

Accusatio Trigesima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia falsum videtur, quod sentire sit tantum pati. Videre certe est potius agere, vnde & proprijssime respondetur quærenti, quid agis? Non autem, quid pateris? Imo Aristoteles ipse visionem alias actum dicit, & nominatim in hoc opere libro 3. capite 3.

Maffeus dissentit, & respondet, ad hoc, vt plene satisfiat huic accusationi, diligenter expendendam esse quæstionem illam, quæ à Philosophis excitari solet, dum quærunt, an sensus sit potentia passiua, quod enim non sit, ostenditur

Primo quoniam Aristoteles primo de anima textu 65. contrarium asserere videtur, dum ait, sensum non pati, & ideo senem, si habeat oculum iuuenis, visurum esse ad instar iuuenis.

Secundo quoniam Aristoteles secundo de anima textu 37. aperte docet, animam esse causam effectiuam generationis, motus, augmentationis, & sensationis. Vult ergo, sensum, siue animam sentientem esse potentiam actiuam; non vero passiuam.

Tertio quia si sensus esset potentia passiua, certe pateretur ab obiecto sensibili, quod non videtur fieri posse, quoniam sic sensibile

obie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

obiectum esset nobilius ipsomet sensu; cum omne agens sit præstantius patiente. At potius ipse sensus censeri debet nobilior obiecto sensibili; cum virtus cognoscens, qualis est sensus, perfectior, & nobilior sit non cognoscente, cuiusmodi est obiectũ sensibile; nec enim verbi gratia color, qui est obiectum visus, cognoscit.

Quarto quia si sensus esset potentia passiua, sequeretur, facultatem nutritiuam esse illo perfectiorem, quoniam est vis actiua; cum agat in suum obiectum, nempe in nutrimentum, vt Auerroes diserte fatetur secundo de anima textu commenti 52.

Pro solutione huius quæstionis, ponitur ista conclusio.

Cum Græcis, quibus adhæret etiam Zabarella, dicendum est, sensum diuersimode acceptum esse potentiam, tum actiuã, tũ passiuã.

Etenim perfecta sensatio duo requirit, videlicet receptionem speciei sensibilis in organo sensus, & iudicium sensus.

Quod receptio speciei sit necessaria, satis constat ex Aristotele, qui secundo de anima textu 121. docuit, sensum esse susceptiuum specierum sine materia.

Quod autem requiratur iudicium sensus, ostenditur

Primo quoniam Aristoteles in libello de sensu, & sensilibus, capite secundo contra Democritum esserentem, visionem esse quamdam apparitionem rei visibilis in oculo, dicit, quod si visio consisteret solum in apparitione rei spectabilis in oculo, certe speculum posset videre, quoniam in eo apparet res obiecta visibilis, quod plane absurdum est, vnde secundum doctrinam Aristotelis, visio, quæ est sensatio, non consistit in sola receptione speciei.

Secundo quia si sola receptio speciei sufficeret ad videndum, quotiescumque fit receptio, fieret etiam visio; quod tamen experimur esse falsum; nam sæpe contingit, vt rem coloratam ob oculos positam non videamus, eo quia licet fiat impressio speciei in oculo; anima tamen alijs rebus intenta, non iudicat. Quare pręter impressionem, & receptionem speciei in organo sensus, vt fiat sensatio, requiritur etiam iudicatio.

Ex his patet, sensum posse appellari potentiam actiuam, & passiuam respectu diuersorum. Cum enim ad sensionem efficiendam concurrere debeant receptio speciei, & iudicatio, absque dubio asserere licet, sensum esse potentiam, passiuam quidem, quatenus in organo recipitur species (quidquid enim recipit, recipiendo patitur) actiuam vero, quatenus receptam in organo speciem iudicat, & iudicando, sensionem ipsam producit. Sicut enim recipe-

re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

re est pati, sic iudicare speciem, & producere sensationem est agere.

Si dicatur. Cur Aristoteles secundo de anima textu 121., sensum appellauit potius passiuum, quàm actiuum, si est partim actiuus, & partim passiuus? Videbatur enim potius dicendus actiuus, quã passiuus, facta denominatione à parte præstantiori; cum sit præstantius agere, quàm pati.

Respondetur cum Zabarella in tractatu de sensu agente, capite 10. dicendo, denominationem ab Aristotele factam esse à maiori parte, siue à pluri. Nam in operatione sensus tria sunt, videlicet receptio speciei in organo. Iudicium animæ. Et receptio iudicij in organo animato. Ex his autem vnum tantummodo, videlicet iudicium, dicit actionem, reliqua duo dicunt passionem, & ideo sensus à maiori parte denominatur potius passiuus, quàm actiuus, quamvis habeat vtrumque, nec non secundum partem præstantiorem deberet potius vocari actiuus, quàm passiuus, vt dicebatur in argumento; attamen hoc non est necessarium, cum denominatio non solum sumi consueuerit à parte præstantiori, sed etiã á parte maiori.

Ad primum dicitur, quod ibi Aristoteles loquitur de sensu ratione suæ substantiæ, quam non pati concedunt omnes. Nos vero dicimus, ratione organi sensum pati, quod ita se habere, Aristoteles ibidem significat exemplo visionis senum, & iuuenum nobis proposito.

Ad secundum dicitur, quod licet sensus possit appellari actiuus, quatenus iudicat speciem, & sic sensionem producit; non tamen ob id sequitur, eum non posse dici passiuum; talis enim est, quatenus recipit speciem, & iudicium eiusdem.

Ad tertium dicitur, quod quamuis agens per se, qui rem ducit de potestate ad actum essentialem, sit præstantior patiente; attamen agens non per se, sed accidentalis, qui rem ducit de potestate accidentali ad actum, non est huiusmodi. Nec enim verbi gratia sonus tintinnabuli, qui Philosophum dormientem e somno ad cõtemplandum exuscitat, atque ab ocio ad studia reuocat, est nobilior dormiente. Sic ergo, licet sensibile obiectum agat in sensum; non tamen ob id est præstantius illo; cum non ducat sensum de potentia essentiali, sed solum accidentali ad actum.

Ad quartum dicitur primo, quod illud forte contingeret, si poneremus, sensum esse tantummodo passiuum. Cum autem dicamus, ipsum esse quoque actiuum, propterea non sequitur, facultatem nu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

nutrientem esse nobiliorem sensu, licet fateamur, hunc esse aliquo modo passiuum.

Dicitur secundo, quod sensus, quamuis passiuus excedit facultatem nutrientem, licet actiuam

Primo quia sensus dirigitur ad altiorem operationem, videlicet ad ipsum sentire, quod est præstantius ipso viuere.

Secundo quia sensus est præditus munere cognoscendi, quod facultati alenti nullo modo accidit.

Illud vero pro coronide huius quæstionis animaduertendum est, quod prædicta Græcorum opinio est adeo vera, vt ipse quoque Aristoteles eam tenere visus fuerit, dum in secundo de anima textu 37. docuit, sensum esse potentiam actiuam, & in eodem secundo de anima textu 121. insinuauit, ipsum esse passiuum, dicens, esse susceptiuum specierum sine materia.

Ex his omnibus elucet, accusationem Gassendi facillime reijci posse.

Primo quia dicit, falsum esse, quod sentire sit tantum pati. Nam in primis Aristoteles id non asserit, cum potius ostensum sit, ipsũ in ea fuisse sententia, vt existimauerit, sensum esse actiuum, & passiuum; respectu tamen diuersorum, vt explicauimus.

Deinde, licet Aristoteles illud affirmasset; non tamen ob id falsum dixisset. Nam facta denominatione á parte maiori, verum est fateri, sensum esse tantummodo passiuum.

Secundo quia dicit, quod videre est potius agere. Ad hoc enim iuxta prædicta respondetur, quod etiamsi videre sit potius agere, quatenus respicitur iudicatio speciei, & prout fit denominatio à parte præstantiori; attamen videre dicitur esse potius pati, si fiat denominatio à parte maiori, respectu eorum, quæ concurrunt ad visionem efficiendam.

Tertio quia dicit, ipsum quoque Aristotelem confiteri, visionem esse actum. Etenim ostensum est, ab Aristotele vtrumq; de sensu, atque ideo de visu pronunciari, nimirum ipsum esse actiuum, & passiuum.

Accusatio Trigesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem, Quia eodem porrò capite quinto docet, inter sensũ, & sensibile similitudinem reperiri. Contra quam assertionem Gassendus ait. Explicet illam. Vel explicatu, & eris mihi magnus Apollo.

Maf-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus dissentit, & respondet, quod, cum Gassendus petat, sibi explicari similitudinem ab Aristotele positam inter sensum, & sẽsibile, par est, vt eius desiderio fiat satis; iacto tamen prius hoc fundamento, quod cum similitudine inter sensum, & sensibile, coniuncta est aliqua dissimilitudo.

Primo quia ita expresse docet Aristoteles libro secundo de anima, textu 62. dicens. *Sensitiuum autem potentia est tale, quale iam actu sensibile, sicut dictum est. Patitur igitur, non simile existens, passum autem assimilatum est, & est quale illud.*

Quin etiam Aristoteles respiciens vniuersaliter illa, quæ patiuntur, & mouentur in textu 54. eiusdem secundi libri de anima inquit. *Omnia autem patiuntur, & mouentur ab actiuo, & actu existente. Quapropter est quidem vt à simili patiantur; est autem, vt à dissimili, sicut diximus. Patitur enim quod dissimile est; passum autem simile est.*

Secundo quia etiamsi Aristoteles id scriptum non reliquisset; ipsa tamen ratio suaderet. Nam quæ nullo modo ab inuicem differunt, proprie loquendo non dicuntur similia, sed eadem, vnde Aristoteles primo de generatione, & corruptione Summa 3. capite 3., & sequentibus loquens de ipso agere, ac pati, tradidit, actionem, & passionem non exerceri inter omnino dissimilia, vt nonnulli volebant, neque inter omnino similia, quemadmodum alij arbitrabantur, quia sic idem ageret in seipsum; cum omnino similia sint idem, sed inter contraria, quæ partim similia sunt, quatenus conueniunt secundum genus, & materiam; partim vero sunt dissimilia, nempe secundum formam; & speciem. Quare manifestum est, solidum esse fundamentum à nobis antea constitutum, dum posuimus, cum similitudine inter sensum, & sensibile coniunctam esse dissimilitudinem. Hoc itaque facto principio, ad exponendam similitudinem inter sensum, & sensibile proceditur hunc in modum.

Inter ea, quæ se habent ad inuicem, tamquam motiuum, & mobile, debet esse proportio, & similitudo coniuncta cũ dissimilitudine.

Sensitiuum, siue sensus, & sensibile sunt huiusmodi, ergo

Inter sensitiuum, siue sensum, & sensibile debet esse proportio, & similitudo coniuncta cum dissimilitudine.

Maior patet ex eo, quod oportet, motiuum esse aptum natum mouere illo modo, quo mobile est aptum natum moueri, & vice versa mobile debet eo modo moueri, quo mouens est aptum natum mouere, secus nec mouens mouere, nec mobile posset moueri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ueri, proinde inter vtrumque requiritur proportio, & ſimilitudo; quæ tamen ſecum fert aliquam diſſimilitudinem, atque diuerſitatem conſiſtentem in eo, quod mobile debet eſſe tale in potentia, quale ipſum mouens eſt in actu; ſi namque mobile eſſet actu tale, quale eſt mouens, non moueretur, quemadmodum, ſi aqua eſſet actu calida, nō calefieret ab igne, qui actu retinet calorē.

Minor propoſitio probatur ex eo, quia hoc eſt commune omni potentiæ, vt moueatur à ſuo proprio obiecto, quod agit in potentiam imprimendo ſpeciem ſui repreſentatiuam, ſicut facultas viſiua mouetur á colore, dū in ipſa color imprimit propriam ſpeciem, vnde ſenſus ab Ariſtotele ſecundo de anima textu 121. dicitur eſſe potentia ſuſceptiua ſpecierum ſine materia.

Neceſſe igitur eſt, inter ſenſitiuum, ſiue ſenſum, & ſenſibile dari proportionem, vel ſimilitudinem, quæ tamen eſt coniuncta cum aliqua diſſimilitudine, quatenus antequam ſenſus recipiat in ſe ſpeciem obiecti, non eſt talis, quale eſt ipſum obiectum, poſtquam autem informatus eſt ſpecie ſui obiecti, euadit ſimilis illi. Viſus enim ante receptionem ſpeciei coloris non eſt coloratus, quemadmodum eſt, poſtquam ſuſcepit in ſe ſpeciem coloris.

Ecce igitur, quomodo facile ſit explicare ſimilitudinem inter ſenſum, & ſenſibile, vt pateat, eam ab Ariſtotele optime conſtitutam fuiſſe.

Accuſatio Trigeſima ſecunda.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 6. defendit, ſenſum non falli circa proprium ſenſibile: at hoc ipſum falſum oſtendemus, cum pro Pyrrhoneis diſputabitur.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, ſe non teneri hac in re Ariſtotelem vindicare ab accuſatione Gaſſendi, qui nullam cum Pyrrhoneis diſputationem inſtituit in aliquo ex illis tribus operibus Ariſtotelis, in quibus ipſum defendendum ſuſcepit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Trigeſima tertia.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem: Quia capite 7. falſum videtur, quod præſentia luminoſi in perſpicuo ſit lumen. Si quidem præſentia eſt mera relatio, & lumen abſoluta qualitas.

Maffeus diſſentit, & reſpondet, lumen ab Ariſtotele in ſecundo de anima textu 69. ita definitum fuiſſe, vt ſit actus huius perſpicui, ſecundum quod eſt perſpicuum; non autem ita, vt ſit præſentia luminoſi in perſpicuo, quemadmodum dixit Gaſſendus, vnde ſicut anima definita fuit ab Ariſtotele per actum in ſecundo de anima textu 7. nec tamen ob id eſt relatio, ſed forma ſubſtantialis, ita ex eo, quod lumen definitur per actum, non licet inferre, ipſum eſſe relationē, ſed eſt qualitas realis, vt etiam Gaſſendus affirmat.

Neque obſtant verba, quæ Ariſtoteles in textu 69. ſecundi de anima profert dicens. *Quid igitur perſpicuum, & quid lumen, dictum eſt, quod neque ignis eſt, neque omnino corpus, neque defluxus corporis vllius (eſſet enim vtique aliquod corpus, & ſic) ſed ignis, aut huiuſmodi alicuius præſentia in perſpicuo; neque enim poſſibile eſt, duo corpora in eodem ſimul eſſe*. Videtur ergo his verbis Ariſtoteles confirmare quod à Gaſſendo prolatum fuit, dum dixit, quod Ariſtoteles putat, lumen eſſe præſentiam luminoſi in perſpicuo, vnde Ariſtoteles videtur eſſe redarguendus ob rationem à Gaſſendo adductam, quia ſcilicet præſentia eſt mera relatio, lumen vero eſt qualitas abſoluta.

Huic enim inſtantiæ occurritur cum Dandino in Commentario eiuſdem textus 69. dicendo, quod lumen deſcribitur quoque, vt ſit præſentia lucidi corporis in perſpicuo, non quod formaliter nihil aliud ſit, quàm præſentia (ſic enim eſſet mera relatio) ſed quod ex lucido corpore præſente in perſpicuum deriuetur, tamdiuque in eo perſeueret, quamdiu illud fuerit præſens, eoque recedente, ſtatim recedat, & quod erat illuminatum, relinquatur tenebroſum, adeo vt præſentia corporis lucidi non ſit eſſentia luminis, ſed conditio quædam neceſſaria, ſine qua corpus lucidum non illuminaret actu perſpicuum, ſicuti combuſtio lignorum ab igne non conſiſtit eſſentialiter in approximatione lignorum ad ignem, ſed in virtute actiua, quam habet ignis, vt comburat, & in virtute paſſiua, quam habent ligna, vt comburantur. Ipſa vero appro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

proximatio lignorum ad ignem requiritur, vt conditio, ſine qua non comburerentur ligna, nec ignis combureret. Sic ergo corpus lucidum habet in ſe virtutem illuminandi perſpicuum, & hoc eſt aptum natum recipere lumen; id tamen ſine præſentia corporis lucidi fieri nequit, proinde lumen non poteſt euadere actus perſpicui ſine præſentia corporis lucidi, non quia tota eius eſſentia, & natura poſita ſit in huiuſmodi præſentia, ſed quia, vt diximus, hæc eſt neceſſaria, tamquam conditio, ſine qua non, in quo ſenſu Ariſtoteles loco citato dixit, lumen eſſe præſentiam ignis, aut huiuſmodi alicuius corporis.

Accuſatio Trigeſima quarta.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia ſuppoſitum potius, quàm probatum eſt, debere medium alterari, & propter hoc ſenſiterium, vt proinde immerito in Democritum inuehatur, ac præ cæteris id habeat. Vacuo facto, nedum exquiſite, ſed omnino nihil videbitur.

Maffeus diſſentit, & reſpondet negando, ab Ariſtotele gratis accipi, & ſine vlla probatione pronunciari, debere alterari medium, & propter hoc, ſenſorium, vt proinde immerito in Democritum inuehatur.

Ariſtoteles enim experimento, ſiue à ſigno prædictam aſſertionem confirmat dicens, quod ſi coloratum admoueatur oculo, plane non cernitur, eam ſolam ob cauſam, quia ſublatum eſt lumen, quod ad cernendum erat neceſsarium, mediumque perſpicuum, quod à colore moueatur, vt ſic aſpectus quoque moueri queat. Dum ergo dicit, experientia compertum eſse, quod ideo color videri non poſſit, ſi coloratum ponatur ſupra viſum, quia nimirum deeſt lumen, & medium, quod moueatur ab ipſo colore, profecto ſufficienter, & iuxta modum conuenientem Philoſopho naturali, qui non debet relinquere ſenſum, demonſtrat; non autem ſupponit, debere medium alterari, ac propterea iure merito Democritum reprehendit, qui non ſolum putabat, medium, ſiue perſpicuum illuminatum non eſse neceſsarium ad videndum, ſed potius dicebat, ipſum eſse impedimento, quo minus viſio fiat, vnde iuxta ſententiam Democriti, ſi eſset vacuum à terra vſque ad Cœlum, vtique formica exiſtens in Cœlo perfectiſſime vide-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

retur. Aristoteles autem ad ostendendam necessitatem medij aduersus positionem Democriti argumentatur sic.

Visio non fit, nisi existente aliqua passione ab obiecto. Sed à colorato non potest oculus pati, vt signo superius allato monstratum est, ergo debet pati à medio. Quare in vacuo nihil poterit videri, vnde Gassendus mirari non debet, si Aristoteles in textu id habeat, videlicet. Vacuo facto, nedum exquisite, sed omnino nihil videbitur; hoc enim recte, ac valide infert Aristoteles ex prædicto argumento, vt patet.

Accusatio Trigesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 11. falsum videtur, quod tactus pro medio habeat aerem, aut aquam. Nisi forte qui coniectus est in medias flammas, recreetur aere, aut aqua.

Maffeus dissentit, & respondet

Primo, Aristotelem, quando dicit, tactum habere pro medio aerem, aut aquam, esse in parte disputatiua; quando autem ex propria sententia, & pro veritate loquitur de medio tactus, asserit, esse carnem, vt patet ex verbis ab eo prolatis in textu 116. secundi de anima, vbi ait. *Quare medum tactiui, caro.*

Secundo, medium in tactu esse duplex, videlicet. Vnum per accidens, & hoc est corpus extrinsecum, vt aqua, vel aer, vel aliud corpus humidum, in quo contingit esse ipsum obiectū tangibile. Alterum per se, & est ipsa cutis, qua caro septa est, atq; vestita.

Neque vero dicentes, cutim esse medium per se in sensu tactus, recedimus ab Aristotele, cuius verba retulimus paulo ante, quibus ipse affirmauit, carnem esse tale medium.

Quia, vt optime animaduertunt Conimbricenses, quæstione prima in secundum de anima, articulo primo, assertione secunda, caro non semper sumitur stricto modo, & in sua propria significatione, sed aliquando etiam late pro ipsamet cuti, seu membrana. Itaque Aristoteles asserens, carnem esse medium tactus, accipit carnē pro cuti; cum caro proprie dicta sit organum tactus, quemadmodum Aristoteles clare docet pluribus in locis, & præcipue

Primo de historia animalium capite quarto dicens. *Tactus itaque in parte corporis similari consistit, vt in carne.*

Secundo de partibus animalium capite quinto, vbi ait. *Caro autem,*

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

& quod carni proportionatur, vim obtinet sentiendi. Et ibidem capite 8. ait. *Nunc de cæteris similaribus partibus dicendum est, & primum de carne*, postea subdit. *Tactum autem primum esse certum est, tactus vero sensorium pars eiusmodi est, aut prima, vt pupilla oculi.* Tandem in secundo de anima textu 94. dicens, in genere hominum ingeniosos à non ingeniosis distingui secundum sensorium, siue organum tactus, ait, duros carne esse ineptos mente, molles autem carne esse bene aptos. Vult ergo Aristoteles, carnem esse organum tactus; cumque idem nequeat esse medium, & organum, propterea dicendum est, quod quando Aristoteles ponit carnem pro medio, accipit carnem pro cuti; quando autem asserit, ipsam esse organum, sumit carnem proprie, ac stricte, vt distinguitur ab ipsa cuti.

Tertio dicendo cum Toleto quæstione 31. in secundum de anima prope finem, quod aer, & aqua dicuntur esse medium corporum, ideoque medium mathematicum, quatenus mediant inter duo corpora; non tamen ob id appellantur medium sentiendi; nam tale medium est caro, siue cutis.

Itaque tactus, vt est sensus, habet pro medio carnem, siue cutim; Sed quia caro, siue cutis est corpus, habet aliquando pro medio mathematico aerem, vel aquam, vt corpus est.

Accusatio Trigesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 3. capite 3. falsum videtur, quod imaginatio non conueniat Api, aut Formicæ.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod hæc accusatio fuisset conuenientior, si Gassendus Aristoteli obiecisset apparentem quãdam contradictionem, quæ in eius dictis videtur notari posse, quoniam Aristoteles alicubi negauit, quod alibi concessit. Nam in textu 156. secundi de anima negat, imaginationem inesse Api, aut Formicæ, dum inquit. *Postea sensus quidem semper adest. Imaginatio autem non. Si vero idem esset, quod actus, omnibus vtique contingeret bestijs imaginationem inesse: videtur autem non, vt Formicæ, aut Api, aut Vermi.*

Cæterum in contextu 57. secundi de anima concedit, imaginationem esse in aliis quoque animalibus præter hominem, ideoque videtur admittere, imaginationem competere Api, Formicæ, ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Vermi, quæ sunt animalia præter hominem, quod prius negauerat. Non ergo rationabiliter accusatur Aristoteles à Gassendo, quod negauerit, imaginationem conuenire Api, aut Formicæ; cũ id etiam affirmauerit, atque concesserit, sed potius debebat Gassendus Aristotelem redarguere, quod sibi visus fuerit aduersari.

Quamuis autem Gassendus id non fecerit, attamen libet Aristotelem ab hac etiam apparẽti contradictione reddere omnino immunem. Nam adhibita distinctione imaginationis, quam exhibet Aristoteles ipse, facillimum est vtramque tueri partem enunciationis, in qua dicebatur, Formicas, & Apes prædicta facultate gaudere, ac non gaudere. Docet enim Aristoteles libro 3. de anima textu 56. duplicem esse imaginationem, videlicet rationalem, & sensitiuam, dicens. *Imaginatio autem omnis aut rationalis est, aut sensitiua*. Itaque verum est affirmare, prædictis animalibus, cæterisque imperfectis, vt sunt Ostreæ, conuenire imaginationem sensitiuam, sicuti loco citato expresse fatetur, inquiens. *Hac igitur & alia animalia participant*, & simul verum est negare, ijsdẽ animalibus inesse imaginationem rationalem; hæc enim est propria hominis; cum dicatur deliberatiua, & ideo indiget ratione, quæ soli competit homini. Etenim deliberare nihil aliud est, quàm conferre multa sub vna communi mensura, & quod conuenientius est, ac melius in ordine ad finem, eligere. Hoc autem est opus rationis, & ob id sicut alijs animalibus deest ratio, ac propterea vis deliberatiua, sic eis non potest conuenire imaginatio rationalis.

Accusatio Trigesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem dicens, quod non apparet, quonam modo intellectus agens à patiente poterit separari, vt ille quidem sit immortalis; hic vero corruptibilis, quemadmodum docet Aristoteles capite quinto, si vterque est eadem reipsa facultas, vt vulgo docetur. Et intellectus patiens ille sit, qui proprie intelligit; cum agens solum destinetur fabricandis speciebus intelligibilibus.

Maffeus dissentit, & respondet cum Conimbricensibus, & cum D. Th. in Commentario text. 20. libri tertij de anima dicendo, quod ibi Aristoteles docet, intellectum tam agentem, quàm patientẽ, se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ſecundum id, quod eſt, ideſt ſecundum ſuam naturam, & rationem eſſe ſeparatum, ideſt non addictum corpori, aut alicui eius organo: proindeque immortalem eſſe, & extincto corpore manere ſuperſtitem.

Neque officit, inquit, quod poſt hanc vitam recordatio non eſt; hoc enim pertinet ad organicam potentiam, nimirum ad imaginationem, non ad intellectum, in quem paſſio corporea non cadit. Imaginatio autem (hanc vero, vt Interpretes exponunt, intellectum paſſiuum appellat, quia iuxta ſententiam D. Th., ſicuti hęc pars animæ dicitur rationalis, prout aliquatenus rationem participat, obediendo rationi, & ſequendo motum ipſius, vt habetur primo Ethicorum capite 19., ita dicitur intellectus) extinguitur vnà cum corpore, ſine illa vero mens iam nihil eo modo, videlicet reminiſcendo intelligit.

Non ergo, vt putauit Gaſſendus, Ariſtoteles diſtinguit intellectũ agentem à patiente, quia ille ſit immortalis; hic vero corruptibilis, ſed vtrumque dicit eſſe immortalem, & propterea tota hæc pars animæ intellectiua ſeparatur ab alijs partibus animæ, nimirũ a vegetatiua, & ſenſitiua, ſicut perpetuum à corruptibili.

Quod autem Ariſtoteles non intendat ſeparare intellectum agentem à poſſibili, ſicut æternum à caduco, ex eo colligi poteſt, quod vterq; pertinet ad eamdem ſubſtantiam animæ intellectiuæ, cuius eſt propria facultas, adeo vt vterque partim conueniat, & partim differat.

Conuenit quidem, quatenus vterque ſeparatus eſt ab omni organo corporeo, vt docuit Atiſtoteles 3. de anima textu 7. Differt autẽ, quia in genere intelligibilium, intellectus poſſibilis per ſeipſum nihil intelligere poteſt, niſi prout recipit ſpecies intelligibiles ab intellectu agente, qui propterea dicitur eſſe ens actu, quatenus eſt adeo actiuus, vt per illuſtrationem phantaſmatum res materiales ſenſibiles faciat actu intelligibiles; cum ſecundum ſe ſint intelligibiles tantum in potentia. Quapropter ſi iuxta doctrinam Ariſtotelis vterque intellectus eſt ſeparatus ab omni organo corporeo, vterque poterit eſſe ſine corpore, quod eſt eſſe immortalem, vnde falſum erit aſſerere, intellectum agentem ſeparari à patiente, tamquam perpetuum à corruptibili.

Confirmatur ſic. Per Ariſtotelem primo de anima textu 13. ſi anima propriam habet operationem, contingit, eam à corpore ſeparari. Sed per Gaſſendum intellectus poſſibilis habet propriam operationem; cum ſponte fateatur, eum proprie intelligere. Igitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

tur per Gaſſendũ intellectus poſſibilis poterit à corpore ſeparari. Hoc autem eſt eſſe immortalem, ergo per Gaſſendum intellectus poſſibilis erit immortalis, ideoque dici non poterit, quod intellectus agens diſtinguatur à poſſibili, tamquam immortale à corruptibili.

Accuſatio Trigeſima octaua.

GAſſendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite ſeptimo, inquit, explicet Ariſtoteles, qua ratione intellectus ſit idem cum re intellecta, vbi Gaſſendus exclamat, dicens. O quàm multa facile dicuntur, facileque excipiuntur, quæ ſi attente perpendantur, apparent potius chimærica.

Maffeus diſſentit, & reſpondet dicendo, quod aſſertio Ariſtotelis facillime poteſt explicari, animaduertendo, quod per ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam obiecti, quod cadit ſub contemplationẽ, obiectum intelligibile non ſolum vnitur intellectui, ſed etiam fit illi ſimile, quatenus de eſſe materiali, quod habet, provt extra animam exiſtit, transfertur ad eſſe immateriale, in quo aſſimilatur intellectui, qui ſimiliter eſt immaterialis. Quare ſi res intellecta per ſpeciem vnitur intellectui, & eleuatur ad idem eſſe immateriale, profecto perſpicuum eſt, intellectum, & rem intellectam eſſe idem, ſiue intellectum eſſe idem cum ipſa re intellecta, & ita exponunt etiam Conimbricenſes hanc Ariſtotelis aſſertionẽ in Commentario textus 15. libri tertij de anima.

Accuſatio Trigeſima nona.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia primo de anima capite primo dicit initio, excellere animæ notitiam propter certitudinem, & poſtea tamen difficultatem, obſcuritatemque illius inculcat, quaſi certitudo ſcientiæ naturalis non ſit ex euidentia.

Maffeus diſſentit, & reſpondet cum Zabarella in ſuo Commentario in primum librum de anima, vbi conſiderans, quomodo Hiſtoria, ſiue ſcientia de anima poſſit inter primas poni ob certitudinem cognitionis, dũ dicitur eſſe difficillima, docet, melius eſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

vt sonāt Grȩca verba, dicere, quod scientia de anima est exquisita, siue accurata, quàm dicere, quod est certa. Exquisita vero dicitur, quia considerat animam, tamquam primum principium omnium effectuum, atque operationum ab ipsa prouenientium, quod est proprium scientiarum, quæ possunt appellari exquisitæ, vnde Metaphysica dicitur exquisitissima, quia tradit cognitionem per causas absolute primas, atque supremas.

Quod autem anima sit prima causa omnium, quæ sunt in corporibus animatis, per se manifestum est, & aperte docetur ab Aristotele in secundo de anima, textu 24., vbi assignans alteram animæ definitionem, præter illam, quam tradiderat ibidem, textu 7. dicit, quod anima est principium, quo primo viuimus, & sentimus, & loco mouemur, & intelligimus.

Insuper in eodem secundo libro, textu 36., & 37., demonstrat, animam esse causam viuentis corporis, vt formam, vt finem, & vt efficientem. Est enim finis respectu materiæ, quatenus ab ea desideratur, & appetitur, tamquam bonum, & quid diuinum, vt loquitur Aristoteles primo physicorum, textu 81. Forma, respectu corporis animati, cum sit actus primus ipsius, vt habetur in secundo de anima, textu 6. Et efficiens, respectu omnium operationum. Est enim causa efficiens primum principium, vnde motus ex secundo physicorum, textu 29., & anima est primum principium viuendi, seu vegetandi, sentiendi, loco mouendi, atque intelligendi, quæ sunt propriæ operationes viuentium.

Quamobrem iuxta sensum græcorum verborum à Zabarella receptum, Aristoteles non debet accusari, quòd asseruerit, scientiam de anima excellere propter certitudinem, & simul esse difficillimam, quia licet ex eo, quod est maxime difficilis, videatur posse inferri, eam non esse certam, idest euidentem; non tamen ob id sequitur, ipsam non esse certam, hoc est exquisitam, & accuratam, vt ostensum fuit.

Accusatio Quadragesima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia ibidem statuit discrimen Physicæ, & dialecticæ definitionis, quod illa sit per materiam; hæc vero per formam: & in antecedentibus tamen voluit, formam esse quod quid erat esse rei physicæ: vt proinde physice melius, quám per formam, definiri res nequeat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus dissentit, & respondet, animaduertendo, quod physica definitio duo habet, nimirum & est definitio, & est physica. Vt definitio, respicit formam, tamquam partem potiorem, & magis præcipuam, quatenus vnaquæq; res tunc magis esse dicitur, quando est actu, quod habet à forma, quàm quando est potestate, quod recipit à materia. Definitio autẽ, vt definitio explicat esse rei definitæ. Cæterum vt physica respicit materiam, tamquam partem sibi magis necessariam, quia numquam posset denominari physica, nec vmquam vt talis distingui posset ab alijs definitionibus, quæ non sunt physicæ, nisi materiam in se contineret. Considerans ergo Aristoteles definitionem physicam, quatenus physica est, iure merito respicit materiam, & in textu 17. primi de anima statuit, illam, quæ datur per materiam, esse physicam, siue naturalem.

Pro confirmatione huius doctrinæ libet hic ponere quæ scripta reliquit Piccolomineus in suis annotationibus super textum 16. primi de anima, annotatione prima, vbi ait. Considero primo, quod cum corpus, vt physicum, & mobile, præditum sit omni genere causæ, iure naturalis Philosophus tenetur per omne genus causę, definire; maxime propria tamen eius, vt ab alijs cõtradistinguitur, est consideratio materiæ, quia vnà cum ea cuncta considerat, hinc Aristoteles secernens illum à dialectico, ei tribuit, quod per materiam definiat; cum tamen mox dicat, ei competere definitionẽ, quæ est ex vtrisque.

Accusatio Quadragesima prima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia declarat, accidentia maxime conferre ad cognoscendum quid est: & voluit tamen in organo, quid est esse principium omnis demonstrationis, qua scilicet passio (quæ accidens est) de subiecto demonstretur.

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod accidentia maxime conferunt ad cognoscendum quid est eo modo, quo effectus ducunt in notitiam suarum causarum, videlicet à posteriori, & confuse. Ipsum vero quid est dicitur esse principium demonstrationis propter quid, per quam propria passio à priori demonstratur de subiecto, vt perfecte sciatur, & cognoscatur distincte. Sic autem Aristoteles sibi non aduersatur; cum vtrumque sit verum, licet respectu diuersorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quadragesima secunda.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 3. nititur multis confirmare, animæ nullum inesse motum, & 8. tamen physicorum capite 3. imaginationem, & opinionem appellauit motus. Imaginatio autẽ, & opinio, inquit Gassendus, cuius sũt, nisi animę?

Maffeus dissentit, & respondet dicendo, quod Aristoteles loco citato à Gassendo, docens, nullum animæ motum inesse, locutus est de motu proprie sumpto, qui non inest, nisi corpori naturali. Verum in 8. physicorum asserens, imaginationem, & opinionem, quæ insunt animæ, esse motum, accepit motum improp rie, ac late, prout significat operationem animæ, ideoq; sibi nõ cõtradicit.

Accusatio Quadragesima tertia.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro secundo, capite secundo ità orditur. *Quoniam autem ex obscuris, manifestioribus autem fit certum, & secundum rationem notius &c.* Dicit nimirum, ait Gassendus, *Ex obscuris*: & tamen consequenter addit. *Manifestioribus autem*. Hæc enim quomodo cohæreant?

Maffeus dissentit, & respondet, hæc duo, scilicet. Ex obscuris, & manifestioribus, optime, ac facillime cohærere. Nam vt docet Toletus in Commentario textus 12. libri secundi de anima, vbi Aristoteles vtitur prædictis dictionibus, volens ponere aliam animæ definitionem, prius explicat modum procedendi, quem dicit esse ab obscuris, ideſt natura; nobis autem notioribus ad notiora secundum naturam, siue secundum rationem. Cum ergo hæ dictiones. Ex obscuris. Et ex manifestioribus, referantur ad effectus, qui simul dicuntur esse obscuriores secundum naturam, & manifestiores nobis, certe apparet, Aristotelem bene fuisse locutũ.

Accusatio Quadragesima quarta.

GAssendus accusat Aristotelẽ. Quia capite 3. molitur demonstrare definitionem animæ, & in Analyticis tamen docuit, demonstrari definitionem non posse.

Maf-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem revera demonstrare primam definitionẽ per secundam. Et quia de hoc satis egit in responsione ad octauam accusationem, ideo ad illã se remittit.

Accusatio Quadragesima quinta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 4. admittit, ignis augmentum in infinitum abire: & nihilominus statim post. Natura, inquit, constantium terminus est &c., vbi Gassendus interrogando ait. Quid? Ignis natura non constat? Quasi dicat. Si natura constantium est terminus, & ignis natura constat, debet habere terminum, ideoq; non potest in immensum excrescere.

Maffeus dissentit; & respondet cum Auerroe, quem sequitur Zabarella in Commentario textus 41., Aristotelem, dum ait, omniũ natura constantium terminos esse magnitudinis, & augmenti, respicere sola corpora animata, idque colligitur ex consideratione verborum, quæ Aristoteles profert in textu.

Primo enim dicit, terminos esse augmenti; augmentum autem proprie sumptum solis competit animatis. Augmentum vero ignis Aristoteles non appellaret augmentũ simpliciter, sed augmẽtum ignis, quemadmodũ cadauer nõ vocatur homo, sed homo mortuus

Secundo ait. *Hæc autem animæ sunt*. Hæc, idest terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti ab anima sunt. Asserit ergo, se de solis animatis eam propositionem protulisse.

Tertio ait. *Naturam autem constantium*, & ita vtens illa particula aduersatiua *Autem*, indicat, se in illa propositione respicere sola animata. Prius enim de igne loquens dixerat eius augmentũ procedere in infinitum, postea subiungit. *Natura autẽ constantiũ &c.* Quare contradistinguit natura constantia ab igne, nec sub secunda propositione vult ignem contineri. Vt autem tollatur omnis difficultas, operæ precium erit cum eodem Zabarella exponere sensum vtriusque propositionis.

Prima ergo sic est accipienda, videlicet. Ignis augetur in infinitũ, donec habet combustibile, vnde Aristoteles non dicit absolute, quod ignis augeatur in infinitum; nam forte hoc falsum esset, sed hoc addito, nimirum donec habet combustibile, sicque nihil aliud significat, quàm perseuerantiam incrementi, præsente combustibili, quemadmodum aliud est dicere. Te semper amabo, & aliud

eſt dicere. Te ſemper amabo, donec viuam; illud enim abſolute prolatum eſt falſum, ideſt ſumendo ſemper pro tempore perpetuo, quia ille non viuet perpetuo; hoc autem eſt verum, & per illud ſola denotatur perſeuerantia dilectionis, durante vita.

Altera quoque propoſitio debet ita intelligi, vt per eam ſignificetur, quod augmentum viuentium terminatur, etiam præſente alimento; cum fieri poſſit, vt alantur viuentia, quamuis non augeantur, vt euenit in ſtatu conſiſtentiæ, ac diminutionis. Itaque Zabarella expoſitis duabus prædictis propoſitionibus, animaduertit, argumentum, quo Ariſtoteles probat, incrementum viuentium non eſse primario ab igne, poſse reduci ad formam ſyllogiſticam tali pacto.

Augmentum ignis perſeuerat ſemper, donec habet combuſtibile, quod eſt eius pabulum, & alimentum. Augmentum viuentium non perſeuerat ſemper, donec vtuntur alimento, ergo

Augmentum viuentium non eſt augmentum ignis, ſeu non eſt ab igne, ſed ab anima, quæ eſt forma, & habet imperium omnium operationum, que fiunt in ipſo viuente.

De ipſo autem igne dicit Zabarella, quod quamuis abſolute loquendo ſit impoſſibile, ipſum excreſcere in infinitum; cum aduerſetur natura vniuerſalis, & ordo Vniuerſi; attamē eſt poſſibile igni quatenus eſt ignis ſecundum potentiam logicam, quia non eſt eadem ratio de animatis, & de inanimatis. Nam animata ſunt organica, ideoq; ad vſum organorum, nec non ad varias operationes edendas requirunt certam quantitatem intra quoſdam terminos quadam latitudine comprehenſos, ita vt ſecundum propriam naturā non poſſint maiorem, nec minorem habere quantitatem, ſi viuere debeant. Inanimata vero non ſunt organica, nec vllam certam figuram, aut ſtatutam quantitatem poſtulant, vnde non apparet, cur dato quocumque igne, poſſit ei repugnare, quod detur maior.

Contrahendo itaque reſponſionem ad accuſationem Gaſsendi dicitur, hanc propoſitionem, ſcilicet. Omnium natura conſtantiū terminus eſt, & ratio magnitudinis, & augmenti, non pugnare cum illa, videlicet. Ignis augmentum in infinitum abit, quouſque fuerit combuſtibile. Tum quia ignis eſt inanimatus, & non viuens. In illa vero propoſitione agitur de animatis, & viuentibus. Tum quia ſicuti per illam ignis habet maximam quantitatē, ita per hanc non ſignificatur, quod habeat quantitatem infinitam, ſed ſolum, quod augeri poſſit in infinitum, ideſt perſeueranter, donec apponitur combuſtibile.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accusatio Quadragesima sexta.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia capite 7. lumen, & tenebras contraria facit: & postea tamen, vt & alibi reponit inter priuantia: sicque propriæ distinctionis proprios confundit terminos.

Maffeus dissentit, & respondet cum Dandino in Commentario textus 70. libri secundi de anima, vbi Aristoteles lumen, ac tenebras facit contraria, quod lumen videtur esse tenebris contrarium, non vera, & propria contrarietate, sed illa oppositione, quæ inter habitum est, & priuationem, si quidem lumen est veluti habitus, nec aliud quidquam significant tenebræ, quàm priuationem, & absentiam huius habitus à perspicuo, quod aptum erat illuminari, adeo vt Aristoteles dicens, lumen, ac tenebras esse contraria, loquatur de contrarietate improprie dicta, quæ competit etiam priuatiuis.

Accusatio Quadragesima septima.

GAssendus accusat Aristotelem. Quia libro 3., capite 6. dicit, sensum propriorum non falli (quod dixerat etiam libro 2. capite 6.) & tamen textu 53. postea falli posse approbat his verbis. *Sensus propriorum quidem est verus, aut quam paucissimum habens falsum.*

Maffeus dissentit, & respondet negando, Aristotelem loqui eo modo, quem illi Gassendus imponit. Nam in textu 152. libri secundi de anima inquit. *Sensus enim propriorum semper verus est, & omnibus inest animalibus*, vbi non leguntur ea verba, quæ insuper á Gassendo addita sunt, videlicet. *Aut quàm paucissimum habens falsum*, ideo Aristoteles liber est ab hac accusatione.

Ac-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Accuſatio Quadrageſima octaua.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 10. Intellectus omnis, inquit, rectus eſt, & capite tamen 3. ad falſum flecti poſſe docuerat.

Maffeus diſsentit, & reſpondet dicendo, quod cum ab Interpretibus Ariſtotelis quæri ſoleat, an Intellectus poſſit eſse falſus, diſtinguendo concludunt, ipſum per ſe loquendo non poſse eſse falſum, ſed ſolum per accidens. Ratio primi eſt. Tum quia 3. de anima textu 51. Ariſtoteles dicit, quod intellectus ſemper eſt rectus. Tum quia per ſe ordinatur ad proprium obiectum, quod eſt verum, & quod eſt per ſe, ſemper eodem modo ſe habet.
Ratio ſecundi eſt. Tum quia id ſignificare voluit Ariſtoteles loco citato á Gaſsendo. Tum quia Intellectus decipi poteſt, dum componit, ac diuidit, & dum verbi gratia definitionem vnius attribuit alteri, vel formando definitiones, aliquando componendo attribuit alicui definito quod ei non conuenit. Ita docet D. Th. prima parte, quæſtione 17. articulo tertio in corpore.

Accuſatio Quadrageſima nona.

GAſsendus accuſat Ariſtotelem. Quia capite 13. in fine admittit, facultatem loquendi eſse ſenſum: & in præcedentibus tamen non probauerat, niſi quinque ſenſus. Neque vero facultas loquendi aliquis ex illis eſt.

Maffeus diſsentit, & reſpondet negando, Ariſtotelem admiſiſse, facultatem loquendi eſse ſenſum. Nam in textu 68. tertij de anima ita loquitur. *Auditum autem, vt ſignificetur aliquid ipſi. Linguam autem, vt ſignificet aliquid alteri.* Nominat ergo Ariſtoteles linguam, vt inſtrumentum loquendi, non quia ſit ſenſus, ſed quia, vt optime animaduertit Hieronymus Dandinus, auditio, & locutio coniunctæ ſunt, & qui loquitur, audienti loquitur, audienſque, loquentem audit, & omnino auditio, & ſonatio ſimul ſunt. Quamobrem Ariſtoteles non eſt redarguendus, quod in præcedentibus tradiderit, ſenſus eſse ſolum quinque; lo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

co autem citato, videatur ponere plures, dum loquens de sensibus, præter illos quinque, ponit etiam facultatem loquendi. Quoniam Aristoteles hanc non exprimit, quia putet, eam esse sensum, sed propter coniunctionem ipsius cum auditu, quemadmodum cum Dandino dictum est.

Has omnes responsiones ego Ioannes Maffeus ea, qua decet animi humilitate, ac reuerentia, quoad ea, quæ Fidem Catholicam respiciunt, iudicio Ecclesiæ libentissime subijcio. Quoad rationes vero à me adductas pro defensione Aristotelis, cuilibet perito, atque ingenuo Philosopho iudicandas relinquo, ita tamen, vt ego discendi cupidus potiores ab eo inuentas, prompto animo me recepturum profitear.

FINIS

Accusationum pertinentium ad tertiam Partem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

ERRATA PRIMÆ PARTIS.	CORRIGE
Pag. 2. acc. 2. ver. 16. Tractato	Tractatio
pag. 3. verſ. 8. Et magnitudinem.	Et magnitudines, deinde ſupplenda ſunt hæc verba. Hæc autem corpus habent, & magnitudinem.
pag. 5. acc. 3. ver. 21. fatetur, ea eſſe nota.	Fatetur, ea eſſe nota?
ibid. ver. 37. Sic eſt enim eſt ſubſtantia	Sic enim eſt ſubſtantia
pag. 15. acc. 7. ver. 37. Si que	Sicque
pag. 25. acc. 11. ver. 24. An ad ea motus eſſe valeat.	eſſe valeat?
pag. 48. acc. 21. ver. 5. Quia etiam	Qnin etiam
pag. 50. acc. 23. ver. 8. Enunciationes.	Enunciationes.
pag. 61. acc. 33. ver. 8. Non poſſe	Non poteſt.
pag. 66. acc. 37. ver. 7. Ipſium	Ipſum
ibid. ver. 35. Ab ipſo, nunc	Ab ipſo nunc
pag. 67. verſ. 8. Concluſiunem.	Concluſionem
ibid. ver. 32. ſecundam	ſecundum
pag. 77. acc. 44. ver. 26. Quarti libri, qui diuiduntur	diuiditur
pag. 78. verſ. 25. erambem.	crambem
pag. 80. acc. 45. verſ. 36. ın	in
pag. 82. verſ. 38. vltimam mutatum eſſe.	vltimum
pag. 83. ver. 9. præcedere ipſum, mutari.	ipſum mutari
pag. 84. ver. 1. Ante omne mutatum, eſſe præcedit.	mutatum eſſe, præcedit.
pag. 86. ver. 7. debet pertranſiire	pertranſire
ibid. ver. 11. nunquuam.	nunquam.
pag. 87. verſ. 24. tota ſphera	Sphæra.
pag. 88. verſ. 13. vel ocius	velocius.
pag. 92. acc. 47. ver. 9. illius 12. libri	octaui libri
pag. 93. ver. 28. abſque, vllo	abſque vllo
ibid. ver. 35. & hornm	& horum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

pag. 95. ver. 38. prædictam enunciationem.	enunciationem.
pag. 96. verſ. 10. per ſe moneri	moueri
ibid. ver. 25. feruntnr	feruntur
ibid. ver. 39. moueutur	mouentur
pag. 102. ver. 1. adducit ſecundu	ſecundum
pag. 103. ver. 21. Manifectum	Manifeſtum
pag. 09. acc. 49. ver. 35. de Iaconis	Raconis
pag. 117. acc. 58. ver. 16. & aliqua; non	& aliqua non
ibid. ver. 27. principia, contraria	principia contraria
pag. 118. ver. 20. reſpectu rei genitæ i dicitur	genitæ, dicitur
pag. 136. acc. 73. ver. 19. fit	ſit
pag. 142. acc. 75. ver. 38. euius	cuius
pag. 143. ver. 28. preceſſit	præceſſit
pag. 144. ver. 23. ſuerit	fuerit
ibid. in calce vltimi verſus. Se	Si
pag. 152. acc. 78. ver. 5. Villalpardo	Villalpando
pag. 157. acc. 82. ver. 10. Motum, æternum	Motum æternum
pag. 164. acc. 84. ver. 5. argumentam	argumentum.
ibid. ver. 22. admitti	admittit
ibid. acc. 85. ver. 2. tot, facit	tot facit
pag. 174. acc. 93. ver. 19. libro	libri
pag. 180. acc. 99. ver. 8. contrarius terminus	termino
ibid. ver. 13. in expoſitione textu	textus
pag. 182. acc. 102. ver. 1. Quia etiam	Quinetiam
ibid. acc. 103. ver. 1. Aſſendus	Gaſſendus.

ER.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

323


ERRATA SECVNDÆ PARTIS	CORRIGE.
pag. 188. acc. p. ver. 20. Pytago. ricorum	Pythagoricorum.
pag. 190. acc. 2. ver. 9. aberrauit	aberrauerit
pag. 192. acc. 5. ver. 3. Promitti	Promittit
pag. 205. acc. 22. ver. 13. quo	quod
pag. 212. acc. 27. ver. 37. defi- nitudine	de finitudine
ibid. ver. 39. de monſtrare	demonſtrare
pag. 216. acc. 31. ver. 10. Ex hbc	Ex hac
pag. 222. acc. 34. ver. 35. ſpæricæ	ſphæricæ
pag. 242. acc. 48. ver. 5. ingento	ingenio
pag. 248. acc. 55. ver. 4. eo mo qui	eó modo, quo.

ERRATA TERTIÆ PARTIS	CORRIGE.
pag. 261. acc. 2. ver. 12. inuecti- gauit	inueſtigauit
pag. 281. acc. 18. ver. 24. dic rigitur	dirigitur
ibid. ver. 25. tun enim	tunc enim.

Z

1. 6. 400


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

325

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

00564394

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.400